

HISTORIA ECCLESIASTICA NOVA.

QVA BREVI COMPENDIO, RES IN ECCLESIA GESTAE, ROMANORVMQVE Pontificum à B. Petro vsque ad Paulum IIII. describuntur.

AVTHORE MICHAELE BVCCHINgero Colmariense.



RELIQVA QVAE HOC LIBRO TRACTANtur, ex præfatione cognosces.

Sophoniæ iij. Cap.
Lætare & exulta in omni corde filia Hierusalem Rex Israël Dominus in medio tui, non timebis malum vltra.





LOVANII,
Apud viduam Seruatij Sasseni, impensis hæredum Arnoldi Birckmanni.
M. D. LX.
Cum Gratia & Priuilegio Regio. Sig. P. de Lens.

Cautum eſt Priuilegio Regio.

NE quis præter hæredes Seruatij Saſſeni, hanc Hiſtoriam Eccleſiaſticam nouã, Michaelis Bucchingeri Colmarienſis, intra quatuor annos proximos excudat, aut diuendat. Præuaricatori confiſcatio iſtiuſmodi librorum, & grauis mulcta pecuniaria in pœnam cõſtituta. Vt latius patet in literis Bruxellis datis Anno 1559. Aprilis 8.

Signatis P. de Lens.

AD DEVM PRECATIO PRO Ecclesia sancta Catholica.

EST vnum corpus varijs Ecclesia terris,
Per Christum miris consociata modis:
Qui caput illius, nos viuida membra vocamur,
Quos eadem casto iungit amore fides.
O caput, ô nostræ reparator Christe salutis,
Quem dominum nouit Christiadum ora suum.
Qui quodcunq; voles vel nutu perficis ipso,
Cuius vt hæc rerum est machina tota manu.
Collige nos varijs sparsos tot sensibus, vni
Quos hic diuersos vis inimica facit.
Fac, vt qui loti sacra baptismatis vnda,
Ac per te geniti, turba nouata sumus,
Concordes verè corpus coeamus in vnum,
Cælitus vnitum cuius es ipse caput.
Ceu propria humanam reparasti morte salutem,
Deniq; & immensi totius orbis opus:
Sic eadem nobis Da sit doctrina fidesq;,
Grataq; plebs celebret nomen in orbe tuum.
Tot fluctus passim, rapidas tot verte procellas,
Hæc tua queis variè voluitur ipsa ratis.
Naufragium siquidem præsens minitatur & vrget,
Et prope iam sæuis præda rotamur aquis.
Vllæ nec vires hominum, sapientia nulla,
Iam nec opes poterunt ferre salutis opem.
Hos rerum fluctus, tempestatesq; malignas
Sola serenabunt lumina, Christe tua.

ALIA PRECATIVNCVLA PRO PACE.

OMnipotens æterne Deus, rerumq; creator,
Qui mare, qui terras, summaq; regna tenes.
Huc oculos aduerte tuos, auresq; benignas,
Et clemens populi suscipe vota tui.
Temporibus, quæ sunt longè tristissima, nostris
Pacis, te petimus, munera redde tuæ:
Per Christum, vera quem voce fatemur, IESVM,
Tecum cum sacro Flamine Numen idem.

SEBASTIANVS SOLIDVS
scripsit vij. Calend. Maias.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, EIDEMQVE PIENTISSIMO PRINCIPI, ET DOMINO, D. IOANNI

Rudolpho, Abbati Murbacensi & Lutrensi, Domino suo clementi, Michael Bucchingerus, S. D. P.



TSI Christus saluator, Princeps, gloriosissima & triumphali sua passione serpentis antiqui caput ita cõtriuerit, vt iam nihil virium seu potestatis in vnctos & electos habeat teneátq;, nisi quantum à Deo Opt. Max. ipsi conceditur. Tamen non quiescit stygius ille veterator, millies execrandus, subinde supercilium erigere, & venenoso suo Circæo poculo, humanũ genus, quod primitus exercuit, soporare, dementare, adeoq; hominũ saluti nunquã non insidiari. Nũquam, inquã, capit somnũ somnificus ille Sched & antiquus amuleti dissuasor, verũ omnẽ (quod aiũt) mouet lapidem: id vnũ die noctuq; curás, vt quoscũq; à tramite salutis in inuiũ adducat. Atq; id quidẽ nõ solũ per se, sed per cacangelos & spiritus impostores, superciliosos vafrosq; hæresiotas ministros suos: Quorum quidẽ instinctui, etiam nostro tempore deploratissimo, fere (Eheu) nouissimo, nimium plures aures præbent. Hoc ego cum cõsiderarem, temperare mihi nequiui, quin cruentissimorum pseudomistarum (qui sua vota secant) panurgiã & fucum detegerem, vt si qui boni Christiani, ex illius insidijs nõdum circumuenti & illaqueati sint, à nequissimis hostibus pseudoangelicis, sibi cauendum esse intelligant: Si qui verò lethifero illo philtro inebriati, adeoq; illorum laqueis irretiti sint, vt quũ compedes suos intellexerint, profundã summi opificis misericordiã supplices implorãtes, vinculorum suorum dissolutionem impetrẽt. Quẽadmodũ verò hostis, tũ demũ periculosissimus & dirus est, quũ amicũ se simulat, & latrones pessimi sunt, qui amplexãdo strãgulãt, Ita hoĩes profugi ab Ecclesia, cum maximè nobile inferorũ spoliũ & animas, ad interitũ ducũt, dũ se nõ sanguinarios hosteis, sed amicos: Nõ cacãgelos, sed angelicos simulãt & ostẽdunt. Hac ratione impulsus, classicos & grauissimos pietatis authores (ex quibus, tãq ex amenissimo prato, selectissimos flosculos, gnomas & iudicia decerpsi, & in hunc librum, quasi semina quædã odoriferę herbę, inspersi & cõtraxi) religionisque orthodoxæ assertores præcipuos quos θεοδιδάκτους vocamus,

vocamus, quanta potui diligentia, cura & attentione animi, perlegi: ita quidem, vt ipſorum & conſilio adiutus, & authoritate firmatus, me recentioribus hæreſiarchis opponerem. Non quidem ad effundendum ſanguinem, ſed ad iugulandum errores, veritatem enim tacere, eſt aurum ſepelire. Has ergo primitiolas & theſes, quum vidiſſent amici haudquaquam indocti, videlicet D. Eberardus Billikius, Albertus Mazius, Theobaldus Thamerus, Bartholomeus Grotus, & cæteri tui nominis ſtudioſiſſimi, omni ope conniſi ſunt efficere, ne ſupprimeretur altera fœtura. At ego, omnium doctiſſimorum abortiuus, incertos aleæ iactus formidans, humilemq; dicendi filũ, & ſtili tenuitatem perpendens, id prorſus recuſaui, qui mihi ipſi (ſolent nanq; primi fœtus horriduli eſſe & inſuauiores) ea, memoriæ conſulturus conſarcinarã: addens præterea, me nudius atq; incultius ſcripſiſſe, q̃ pro hoc noſtro ſeculo politiſſimo. vt enim nõ ſolum ardua res eſt theologica tractare, ita periculoſum quoq; vel doctioribus eſſe cõſpicor, ſcripta ſua in lucẽ hocce noſtro æuo emittere: cũ dictum ſit,

Τὸ γνῶθι σεαυτὸν πανταχοῦ 'στι χρήσιμον. Id eſt, ſuas metiri vires vndiq; eſt frugiferum.

Ad hæc libens ego ingenij mei hæbetudinem, oculorum cecutientiam inter tã radiantia aſtra agnoſco. Verebar adhęc fieri haud paruæ præſumptionis vitio obnoxius, ſi indoctus ad docendũ prorũperem, de meaq; penuria alios ditare vellem, nondũ enim adipe & pinguedine ſpiritaliũ chariſmatũ repletus. Præterea, qui Icari in modũ aſſumptis pennis, altius q̃ par eſt volare cõtendunt, facillime glutino ſolaribus radijs diſſoluto, vno motu ad imũ è ſupernis deturbãt. Cum enim tãgo abuſus, mox futuros obmurmuratores ſcio, fucis ſimiles ignauis, nihil nõ caninis rictibus mordẽtes, qui dicturi ſunt, ſuperciliosſus eſt, aliena à noſtris moribus p̃dicat, etiãſi inuidia virtute parta, gloria, nõ inuidia, putãda ſit. Si autẽ ſchiſmaticos pungo, mox adulator ſum & hypocrita, ſic multis innatũ eſt calũniari, & neſcio an vnq̃ διαβολὴ Lucianica validior: ſic reprehendebatur à Pſeudoapoſtolis D. Pauli ſtudiũ, ipſe tamẽ ἀνεπίληπτος manſit. Hîc illi viri mecænates egregij: Eò magis in publicũ dabis. An non Moabitida mulier ſpicas collegit? an nõ formicis ſua ira? An nõ impetus hic ſacrę femina mẽtis habet. Nõne & minutis herbis magna ineſt virtus, ac minimis gẽmis maximũ adeſt preciũ? Quis eſt qui accẽdit lucernã, & in occulto ponit, neq; ſubter modiũ, ſed ſup candelabrũ, vt qui ingrediuntur lumẽ videãt? Preterea iunioribus myſtis anſa dabitur, & imperiti nondum emunctæ naris, quibus cortice natare opus eſt, quibuſque non vacat grandia Heroum volumina (ſpiſſitudine commentariorum deterriti) reuoluere, in p̃ptu, & breui

Cicer. in 2. inuect. in Catil.

Ruth. 2.

 (dixe

(dixerunt)manu summarium habebunt(modo non sit omnino muc cosis naribus ἐπαγωγῶς)contra dicaculós anomistas. Sic ergo persuasus reijciens vulgi subsannationem, ventis vela commisi: Cum tota virtutis laus (vt præclarè scriptum est à Cicerone) in ipsa tantùm actione cõsistat. Et Isocrates, ἐὰν ᾖς φιλομαθὴς ἔσῃ πολυμαθής. Præstat Penelopes telas texere, quàm ocio & delicijs diffluere. Non nobis solum nati sumus, sed quisque ad id quod facere potest, detrudendus est, inquit Cicero. Qui diu vixit, nec profecit ad bonos mores, & honesta studia, non diu vixit, sed diu fuit. Sic nec qui varijs tẽpestatibus huc illuc voluitur, multum nauigauit, sed multum iactatus est. Nemo vnquam ignauia immortalis factus est, inquit Salustius. Et Horatius, Qui felices aliquando esse volunt, laborare debent. Mala mille affligunt hominem, cui segne & inutile corpus.

Ignori nulla cupido.

Ocium vitandum.

Segnities hominis cunctos effœminat artus,
Emollit vires, ingeniumq; rapit.

Sic Dominus in mundi primordio labori addixit filios Adæ: Ex qua sententia illud scriptum est à Paulo ad Ecclesiam Thessalonicensiũ, si quis non operatur, nec comedat. Salomõ exemplo formicæ segnes ad opus extimulat. Et Dauid beatũ esse ait, edentẽ panẽ labore manuum suarum quæsitum. Nec Dominus noster in Euangelio suo non laborem tollit, sed anxiam solicitudinem de successu, quod est μεριμνᾶν. Nam etiam sancti illi Eremitę, quum se ardor ille contemplationis interdum remiserat, exercebant se varijs operibus, pars manuũ, quidã ingenijs, taceo numerosam exemplorũ syluam, ne ea cõposito coegisse in vnum videar ad inanẽ ostentationẽ. Sed cuinã vigiliæ, rogásne? singulis mortalibus. Quis enim ignorat nos in hoc natos vt omnibus viuamus? Quis dormiens vnquam trophæum fixit? quis in delicijs viuens & cantibus sese oblectans, pietatis coronis est vnquam decoratus? Quis sementis tempore domi sedens, instante æstate sinũ suum manipulis impleuit? Quis vindemiauit vineã, quã ipse non cõseuerit? Quis certaminũ præfectus adeò caret iudicio, vt ijsdẽ coronis dignos iudicet, victorẽ, & eũ qui nihil certarit? Eorum sunt fructus, quorum fuerunt labores. Nemo qui non cucurrit palmam & brabæon retulit. Labores gloriam pariunt, sudores coronas comparant. Ex laboribus valetudo, ex sudoribus salus. Exercitium dormientem naturam excitat, morbos fugat, deniq; temporis lucrũ est vberrimum. Blando veneno desidiæ, virtus paulatim euicta senescit. Luxus & otiũ in iuuenibus stultitia est, in senibus verò crimẽ.

Corrumpunt forti celsas cum pectore mentes
Otia plumoso desidiosa toro.

Maxi-

Maximè necessarium est (inquit Chrysostomus) vt qui Deo placere, probusq; & castus esse nititur, vitam degat non supinam, mollem, & dissolutam: sed laboriosam, multisq; negotijs & sudoribus plenã. Nullum beneficij genus heroicis animis dignius, quàm quod erogatur in posteros. Sudoribus emuntur literæ, sed pariũt immortalitatem. Vigilijs parantur, sed semel partæ nunquã amittuntur. Serius cõtingunt, sed vbi contigerint tutissima simul & perennis est possessio. Ponite ait Dominus, corda vestra super vias vestras, Ascẽdite in montem, portate ligna, & ædificate domum, & acceptabilis mihi erit, atq; glorificabor, ait Dominus Deus noster, ad institutũ. Haggei.1. Merces interim nostras nullis præferimus, nec gloriolæ choragium quidẽ ambiẽtes, id bona numina testor, Christi gloriã quęro, nõ moror lectorum applausum, cessurus libenter meliora adferẽtibus (nõ fieri potest, inquit Philon, vt magna discãtur ante parua) quorũ etiã nõ recuso limã. Important alij ad structurã Ecclesiastici ædificij margaritas, alij gemmas quamlibet preciosas, illi aurũ & argentũ. Nos importamus ligna, imò si hæc non placent, offerimus fœnum & stipulã. Quum huc autẽ atq; illuc multũ diuq; circũspicerẽ, cui hosce meos ardores, & gratũ animũ nominatim (Priscis namq; mos fuit scriptoribus, suas vmbratiles lucubrationes, quo feliciori omine in lucẽ prodirẽt, consecrare, inscribere atq; nuncupare principibus) dedicarẽ: Nemo mihi te, princeps ter maxime, cũ dignior, tum aptior occurrit. Primũ enim (frigescat adulatio, cũ hæc sit panopliæ similis pictæ delectãs solum, nihil verò vtilitatis præbẽs) norunt pleriq; R. D. T. & pietate & eruditione multiiuga insignẽ esse, ideoq; amabilẽ. Itaq; plerique tuã nobilitatẽ nõ ex maiorũ imaginibus, quas clarissimas accepisti, sed ex virtute dimetiuntur. Nouimus, τοὺς αὐτοὺς εὐγενεῖς τοὺς καὶ ἐναρέτους. Recte igitur διδακτικὸς vocaris. Rectè φιλάγαθος, qui verè bonis rebus studes, & bonos adamas & promoues, à quo mala ita sunt aliena, q̃ quæ alienissima. Euangelij tuba, & doctrinæ Christianæ prõptuariũ: Apostolus Paulus in Ecclesiæ ministro perfectissimo desiderat sobrietatem, prudentiã, sanctitatẽ, cõtinentiã, sanãq; doctrinã. Quæ omnia in te vno affatim cumulata cõspiciuntur, atq; vt summatim dicã, in te sacerdotalia ornamenta collucent, & virtus splẽdicat. Et sicut claritudo natalium nõ facit matrẽfamilias, sed boni mores, Ita neq; stẽmata, neq; opes, neque nobilitas dãt primatum apicẽque sacerdoti, sed religio doctrinæ copulata. At non cõmodum videtur esse, princeps optime, nunc tuas omneis laudes recensere, probe sciens, & tenuitatẽ meã, id digne & pro merito non posse, auresque tuas ad laudes proprias plusquã Catoniana grauitate ac seue-

ritate rigidas & occlusas esse. Cęterùm hanc nostrã quantulamcunq;
lucubratiunculam, tuæ grauissimæ dignitati nuncupandam censui-
mus, Excellentissime antistes, in aliquantulum nostræ in eam grati-
tudinis testimonium & argumentum, ob amplissima in nos ab ipsa
collata beneficia. Siquidẽ nõ solũ humana lege, aut exẽplis dãnatam
& probro semper habitam ingratitudinẽ perspicimus: verũ etiã di-
Sapien.16. uina, quæ certissima est regula certissimusq; gnomon, humanarum
omnium sanctionũ. Cui accedit Solomon in libro Sapientię dicens.
Ingrati spes, tanq̃ hybernalis glacies tabescet: & disperiet tanq̃ aqua
superuacua. Demũ in Euangelica lectione sugillantur meritò & re-
Luc.17. darguuntur nouem illi Elephãtiaci. Ex quibus plane perspicuũ est,
nullum esse virtutis officium, cui exercendo magis obstringamur:
quàm vt pro susceptis beneficijs gratos nos exhibeamus, & cũ se of-
fert opportunitas, gratiam pro viribus referamus. Accipiat ergo R.
D. T. hunc exiguũ librum (quod ex multis præclarissimis S. paginę
scriptoribus iam ferè per 8. menses, nõ sine vigilijs & laboribus ma-
ximis collegi, congessi, & quantum ingenio atq; industria potui, au-
gmentaui. Nihil enim statim absolutum esse, dixit Cicero) quod, quo
C. de claris oratorib. Et 5. de fini. te affectu & obseruãtia prosequar luculenter attestatur, à me obuijs
manibus ac serena fronte, pro magnis in me collatis beneficijs, ma-
lui enim tenuia hæc, q̃ nulla dare: nec dubito, quin hęc mediocria
(nihil enim obscure & sphingicôs traditur) animo lætissimo sis acce-
pturus. Artaxerxes Persarũ rex, cognomento memor, nõ tã donum,
quàm donantis animũ exosculatus est, donamus ergo & nos parui
agelli fructum, sed vt T. R. D. auxilio larga cõmendatione crescat.
δόσις ὀλίγη μέν ἄλλα φιλη, Nec me inq̃ clã est, quàm sit hoc plus quàm le-
uidense munusculum impar magnitudini tuæ, qui cum eruditione
rara, tum moribus integris non minus q̃ incorruptis, cœtum eccle-
siastici ordinis ornas, illustras. Verùm cõfidebã fore vt viro princi-
pi, libellum quãtumuis pusillum ipsa cõmẽdaret vtilitas: Est paruus
codex, non tamẽ arte caret. Maximè præterea laborem T. R. D. pla
citurum spero, cum non ignorẽ, quãtum illa delectetur S. matris Ec
clesiæ statutis, et Patrũ in eadẽ scriptis. Longiorẽ Iliada ad te, Prin-
ceps optime, scripsissem, nisi pro me apud T. R. D. materia ipsa lo-
queretur, Ergo dum vacat & rerum nõ seria tractas. His animũ mẽ-
temq; tuã quandoq; relaxa. De me poteris tibi polliceri, dum vita
mihi comes fuerit, Semper honos nomenq; tuũ, laudesq; manebũt.
Deus Opt. Max. tuã amplitudinẽ, ad publicum orbis christiani cõ-
modum q̃ diutissime seruare dignetur, tueatur, dirigat, Nestoreáq;
senectutẽ addat. Cui me vnice cõmendatũ iri cupio, Vale, & me in
sinu

ſinu tuæ manſuetudinis foue, abſentem abſens (prout cœpiſti) dilige, & cum à ferijs occupationibus fueris feriatus, hæc qualiacunq; ſunt tranſlegere non ſpreueris.

T. R. D. *Obſequentiſſimus, Michael Bucchingerus, presbyter.*

PERORATIO AVTHORIS AD LECTORES CANDIDOS.

HAbes candidiſſime Lector, quiſquis es, introductiones has noſtras extemporarias quidem & illaboratas, paucis ac ceu ſubciſiuis horis (nec tamen omnia perſtrinxi, quæ volui, ſed quæ ſuppeditauit cū breuitas tēporis, tum ingenioli mei vis atq; facultas, quā perexiguā eſſe confiteor) abſolutas. In quibus nō ſpectabis verborū corticē, ſed medullam: nō carnē, ſed ſpiritum: nō verborū duritiē ac incōcinnitatē, ſed materię ac rei maieſtatē, quę eſt cauſa fidei: in qua non verbis (neminē enim ledo, nullius famam inceſſo, nullius eruditioni derogo, contētus in ea ſparta exornanda quam ſemel nactus ſum) non prudentia carnis certandum, ſed ſpiritu, ſed veritate, quæ olim triumphabit, vtcunq; iā ab hominibus conculcetur, vtcunq; iactură patiatur, vincit tamē ſi quando diligentius examinata fuerit. Atq; vt in nūmo non ſpectatur elegātia ſculpturæ, ſed pōdus ac materia. Ita non refert q̄ ſit elegans oratio, ſed q̄ grauis & vtilis. Inueniet hic ingenuus non pauca ad bene beateq; viuendum hortamenta. Diſcet hic hæreticorū terriculamenta eſſe fugienda, & voluptatū fugā, ad ſanctiorē vitam quàm maximè conducere. Quid plurimis? vino vendibili haud opus eſt ſuſpenſa hedera: Et merx proba (inquit Plautus) vel in abſtruſo ſita, facile emptorē repperit. Nec iſta dragmata ſcripſimus, vt extolleremus S. Eccleſiā (cui omnia ſubijcimus) ſeu huius fidem, quæ nullius commendatione aut pręconijs indiget, tantum abeſt, vt noſtris egere videatur, ſed ad fratres confirmandos (ſani inquit Dominus, non indigent medico, ſed male affecti) & exteros quoque perducendos ad tanti boni communionem. At iam nunc quoſdam criticos exaudire videor (qui nugones, etiam domeſtici, quanta virulentia me ſępius impetiuerint, & atrociter clandeſtine confoderint, Deo relinquam) meis lucubratiunculis obſtrepentes. Hui? Quid mihi Bucchingere cum iſtis tuis frigidis exercitationibus, tricis Apianis & crambe repetita? quid gra- Matth. 9.

culo

culo cũ fidibus? Quid pygmæus, Atlantis vice, ſuſtinet cælum? Quid aſino cum lyra? quid ſui cum amaracino? Quis nouus hic noſtris ſucceſsit ſedibus hoſpes? Quid Siſiphi ſaxũ voluis? Quid Saul inter prophetas? ne ſutor vltra crepidam. Tún' viã indicabis? Scio ego, haud illas eſſe, quæ præclaris ac maximis ingenijs reſpondeat, ſed vt authoritate ſua paruo pedi magnos calceos circundent. Nos liberè fatemur, Daui ſumus non Oedipi. Nec omnia poſſumus omnes. Neq; ex quouis ligno Mercurius exſculpi poterit. Quis dixerit hominẽ ex omni parte beatum? Hoc ſolum ſcimus, dicebat Socrates, quod nihil ſcimus. Vt deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas. In magnis & voluiſſe ſat eſt. Demoſthenes à cane, quomodo ῥῶ litera exprimẽda eſſet, diſcere nõ erubuit. Et homines pudebit ſcriptis hominum vti? Atqui in rebus agendis, ita ſtrenue nauauit operam D. Vvicelius, vt nuſquam nõ fuerit Argus πολυόμματος, circumſpectus, prudẽs, inculpatus, & ſagax. Quẽ ego vt Deũ aliquẽ ſuſpitio, quo longo admodum ſum interuallo inferior, illud Homericum ſemper in ore habens, οὔτι ἐγὼ θεός εἰμι τί μ' ἀθανάτοισιν ἐίσκεις. Reliqui Thraſones diuerſarij cum me laudãt, tum nullius præcij meipſum exiſtimo: Cum verò pauci, bonum & egregiũ hominem. Miſerum quidem multos habere æmulos, ſed etiam miſerrimum carere æmulis & detractoribus. Themiſtocles Athenienſis homo, quod res eius docuerunt, acutiſsimus, rogatus à quodam an præclara iam ſibi videretur agere: nõdũ inquit, nam inuidos non habeo. Miſerrimus eſt, dicit Seneca, cui nemo inuidet. Vnde Simonides interrogatus, cur nõ inuidos haberet, reſpondit, quia nihil fœliciter geſſi. Scio enim illã omnium ſcriptorũ (à conditis etiam bonarum literarum monumentis) cõmunẽ ſortem, illorum præcipuè quorum camæna & ſcriptio ſit nõ omnino expoſita, plebeia atq; inerudita, vt nemo eorum omnium maledicentia inuidorum atq; obtrectatione caruerit: ſemper nãq; virtus ad ſe inuidiã trahit, vt Cæcias nubes. Nec pietatẽ ferre poteſt impietas. Hoc expertus eſt inter gẽtiles Virgilius Homeruſq;, poetarum principes atq; anteſignani: hoc Demoſthenes græcorum omnium eloquentiſſimus: hoc Cicero, qui in arte eloquentiæ Romanæ ſtetit rex oratorũ & linguæ latinæ illuſtrator, & omnes deniq; illi, qui aliquã in literis celebritatẽ ſunt vnquam conſecuti, huius rei vnico carmine cauſam reddit Ouidius. Summa petit liuor perflant altiſsima venti. Hæc illa (inuidia) eſt ægritudo animi, quę ab aliquo propter res alterius ſecundas, itẽq; eruditionẽ cæteraq; expetẽda, qua ipſe caret, ſuſcipitur. At proderit ſæpe & multum liuor & æmulatio, quoniam excitat nos cautoſq; reddit, & quicquid nobis vel criminis, vel erroris, vel ignorantiæ

Amaracinũ oleũ eſt ex amaraco herba.

rantiæ fuerit ab aduersarijs iniustum, conabimur suo tempore, totis viribus purgare, emendare, & frequentissimo studio repensare. At satis admirari non possum vel potius conturbari, quod inde sim inuidiam reportaturus, vnde summam beneuolentiam magnasq; gratias sperabam, quod si aliter euenerit, malo tamen ab vno erudito, velut Antimachus à Platone, commendari, quàm à cẽtum indoctis, quid enim homines de compitis rumigeruli, omnium litium depectores atq; nugarum seminarij, per imperitorũ circulos & Epicurea symposia de me sentiant, manum non verterim, quorum iudicia Epicurus crepitibus ventris assimilanda duxit, qui cum ipsi se inertiæ & somno dederint, non tantùm quæ præclara sunt discere nolũt, sed cæteros etiã, qui id studij habent, nunquam desinunt reprehendere, demorsicare, & manibus pedibusq; explodere. Verè degener inuidia, nam cum homines hominum causa sint facti, vt Stoicis placet, non immerito à vera genuinaq; homines natura degenerasse censentur, qui felicitati inuident alienæ. Vnum saltem sciat calumniator, non mihi, sed Deo impingi, si quid contra adducta sermonũ Dei testimonia mussitauerit. Verùm quò digressus sum? à diuerticulo reuocandus pes, & ad pensum redeundum. Non erunt autem parerga hæc pio lectori ingrata, ad institutum reuertor.

Qui cupis ergo pios studij tolerare labores,
Et fausto summos claudere fine dies,
Suscipe tam sanctum pedibus, manibusque volumen,
Hicque tuus vigilet nocte, dieque labor.
Quare age muriceis taxum postpone ligustris,
Vanaque diuinis scripta voluminibus.
Huc age flecte pedem, celeres huc dirige gressus,
Qui glaucam casto Pallada amore colis.

Hæc si placuisse cognouero, omnibus ingenij corporisq; neruulis conabor maiora, quæ postea, Deo auspicãte, condonabuntur. Ac volui ego quoq; studioso, hisce vigilijs nostris, quoad possem prodesse. Quod si aliqua ex parte sum consecutus, satisfactum est voto meo: sin autem minus, tamen volui certe, atq; conatum præstiti, qui laudari à bonis solet, etiam cum non optimus est rei euentus. Quicquid interim est operis, in hoc tibi inscribitur, vt arbitrio stetq; cadatq; tuo. Cæterùm ne te, optime lector, loquaci præfatione & longis ambagibus diutius contineam, & ne compendium nostrum titulum breuitatis amittat, paucissimis verbis comprehendam capita tractandorum.

In Christo multis nominibus
vester, M. Bucchingerus.

ELENCHVS SEV ILLVSTRIORES AC præcipui loci, his vigilijs passim inspersi.

FINIS.

HAec sunt amice lector, in eum (quē vides) ordinem, paucissimis sanè mensibus, à nobis congesta, quò piorum animi corroborarentur. Neq; est quòd mihi ex hijs vigilijs ausim asserere, prꝺter insignem ignorantiam & breuē laborē, si modò labor est gratificari pijs: Siquidem vniuersa ferè, quæ hic offendis, à doctioribus diffusius sunt discussa. Neq; tamen magnis theologis ista parauimus, sed rudibus venæq; inferioris ingenijs. Nos aliò properantes breuitati, quantum fieri potuit, studuimus. Tuum itaq; fuerit, hanc secundam & alteram castigationem, formulis veluti nouis (multò enim nitidior & emendatior in tuum sinum aduolat) renatam, æqui boniq; consulere. Valete iterum candidi athleticè, & arctam viam Dei mandatorum pertinaciter currite. valete nquam, phaselisq; salubres auras precare, constanterq; pollicere tibi omnia quæ in rem tuam sunt de Bucchingero. Et tu inuidia vale longum, macresce, depone molestos ronchos, Nullas ferias habeat discaperata frons. Cæterū istos syllabarios, inuidos phanaticos & laruatos, in minutissimis quibusq; dentem exacuentes, nihili curamus: nam vt illos multa, sic & me quoq; ingenue fateor multò plura ignorare, semper enim erit quod ignorabimus, non vni dat cuncta Deus. Sed quemnam dederis (oro) authorem, cui in opere suo excudendo non obrepserit interdum somnus? Abi ergo inuidia, κρόμμυα ὀσφραίνου, κλαῖε ὁμοῦ.

Nil aliud nisi se valet ardens Ethna cremare.
Sic se: non alios inuidus igne coquit.

Basilius.

Inuide quid suspiras? propriúmue malum, aut alienum bonum?

Horatius.

Inuidus alterius macrescit rebus opimis.

Plutarchus.

Vt ferrum ærugine consumitur, sic inuidi suopte ingenio.

Et sicut Cantharides vegeto maximè tritico innascuntur, Sic inuidia maximè inuadit bonos viros.

FACIES S.R.E. CATHOLICAE, PLENA pietatis & dulcoris.

PSAL. 118.
Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam.

ECCLESIA quid.



ECCLESIA CATHOLICA MILITANS, est sanctorum communio seu congregatio, complectens tam bonos quàm malos. Demonstrat parabola Euangelica de area, Matth. 13. tritico & palea. Item altera de sagena missa in mare. Est autẽ duplex verriculum, vnum, prædicationem Euangelicam designat, quod traxerunt Apostoli & posteri: De quibus Dominus, Ecce ego mittã piscatores multos, & piscabuntur eos. Et post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum, quia oculi mei super omnes vias eorum. Alterum calumniatoris est, de quo Habacuck, cap. 1. Totum in hamo subleuauit, traxit illud in sagena sua, & congregauit in rete suum. Vide Hiero. ad Gerontiam de mono. Hierem. 16.

Vel aliter. ECCLESIA est multitudo, vel collectio fidelium, fide & charitate vnita: pro qua vnione Christus orauit, dicens. Pater rogo vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te. Ioan. 17.

Vel sic. ECCLESIA est congregatio fidelium, consentientium in vnam ac eandem Euangelij doctrinam, secundum consonantiam sanctorum patrum, & in eundem Catholicum ac legitimum Sacramentorum ritum.

Aliter. Lactantius iiij. diuinarum institutionum, capite vltimo.

ECCLESIA Catholica est, quæ verum cultum retinet, & in qua vera est religio, scilicet confessio & pœnitentia, quæ peccata & vulnera delinquẽtium salubriter curare potest. Atque vt breuiter dicam. ECCLESIA CHRISTI, est tota fidelium & in Christo regenitorum congregatio, & corpus Christi mysticum: in qua, à bonis Deus colitur. 1. Thessalon. 2. 1. Timoth. 3. Acto. 12. 1. Petri. 5. &c. Hæc est illa mũda ac sancta Ecclesia, precioso Christi, dilecti sponsi, sanguine mundata, & ab omni peccati inquinamento, iuxta Paulum, sanctificata, qui ait. Viri, diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illã sanctificaret mundans eam Ephes. 5.

lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, vt sit sancta & immaculata. Hæc hactenus inconcussa stetit propter constātiam fidei in Christum: Vnde nō immeritò PETRA OFFENSIONIS dicitur, quando ad eam quamplurimi hactenus collisi apostatici.

ECCLESIA ex pluribus constat.

COnstat autē Ecclesia, vt paulò accuratius (modò bonus genius vitæ dux fuerit) explicabimus ex pluribus. Barbaris puta, Græcis, Latinis, Hebræis, pueris, senibus, dominis, seruis, masculis, fœminis. Non genus, non conditio, aditum regni cœlorum obstruit.

Itaque. Tenetur quilibet Christianus firmiter credere: VNAM esse in terris VNIVERSALEM ECCLESIAM VISIBILEM (vt paulò post dicetur) in fide & moribus errare non valentem. Cui omnes fideles, in ijs quæ sunt fidei & morum, obedire adstringūtur. Hanc inquam Ecclesiam, hoc est cōgregationem sanctam credimus, quoniam catholica est, id est, vniuersalis, atque ad nullam gentē aut prouinciam restricta, sed toto terrarum orbe consistit, iuxta Prophetam dicentem. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. (Psalm.18.) Et Apostolus Gratias, inquit, ago Deo meo pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo. (Romano.1.) Hanc itidem Apostolicam credimus, quòd ab illis cœperit, & ab eis congregata & instituta sit, dicente Paulo: Quòd superædificati sumus super fundamentum Apostolorum.

VNA ECCLESIA.

EST autem VNA ECCLESIA, cum illa veteri Ecclesia Christi (vtranq; connectit lapis angularis) habens immobile ac solidum fundamentum vsq; ad nos deriuatum, firmamētum atq; inuicta veritatis columna, non confusa atque indigesta congeries, sed ordinatissima Christianorum compages. Nec alia, inquam, est Ecclesia Christiana, ab illa veteri: Sępe enī in veteri Testamento inuenimus vsurpari Ecclesiā pro ijs, qui vnū verum Deū, & in eo suam salutē, in protoplasto perditā, per Messiā restituendā sibi profitebātur. (Vnitas Christianæ Ecclesiæ, cum veteri.) Et nos quoque Ecclesiā dici posse censemus, congregationem omnium fidelium à principio mundi vsque ad consummationem seculi: & non solum comprehendere Ecclesiam Christi, sed etiam Synagogam Moseos, simul & eos qui fuerunt sub lege naturali. Vtraque igitur, veluti ciuitas magna, fundata est super fundamentum, Prophetarum & Apostolorum, Christum IESVM. Quem Patres expectauerunt, Prophetæ præ-

tæ prædixerunt, Apostoli aduenisse prędicauerunt. Hic ille Christus est, qui idoneos nos fecit ad participationem sortis sanctorum in lumine, Colloss. 1. qui eripuit nos à potestate tenebrarum, Primogenitus vniuersæ creaturæ, qui nulla temporis diuturnitate mutatur, vnde Malach. 3. Ani Adonai velo sanithi, hoc est, ego Dominus qui non mutor, permanet enim, Psal. 106. Hebræ. 17. ad institutum.

HANC ECCLESIAE VNITATEM Salomon indicauit. Perfecta (inquit) mea, vna est matri suæ, electæ genitrici suæ. Eadem inculcat fortis fidei agonista Paulus, suis Ephesijs, quarto capite. Vnũ corpus, inquit, vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Et idem, 1. Cor. 11. Caput viri Christus, caput verò Christi Deus, &c. VNA ergo quãquam à S. Pneumate paracleto regatur inuisibiliter, est tamẽ & in manifesto palamque cognoscibilis de hac Hymnidicus psaltes egregius, Psal. 21. Apud te, inquit, laus mea in Ecclesia magna. Et idẽ Psalmographus, psal. 67. In Ecclesijs benedicite Domino. Rursusq; psal. 106. Exaltent eum in Ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eum. VNITATIS ECCLESIAE meminit D. Cyprianus martyr, lib. 2. cap. 12. Ecclesia catholica (inquit) vna esse potest, scindi vel diuidi non potest. Et Augustinus de vtilitate creden. cap. 7. ait: Vna est catholica Ecclesia, cui hæreses aliæ diuersa nomina imponunt, cum ipsæ singulæ proprijs vocabulis, quæ negare nõ audeant, appellentur. Et Cyprianus ad Magnum filiũ, lib. 1. Epistolarum, ait, Quòd vna Ecclesia sit, declarat in Canticis Spiritus sanctus. Et alio in loco (in tracta. de simpli. Prælat.) eadem ebuccinat idem, dicens. Vna est Ecclesia, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur, quomodo solis radij multi, sed robur vnum tenaci radice fundatum: Et cum de fonte vno riui plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur in origine S. E. esse vnam & concordem in doctrina & fide, confirmat D. Clemens Alexandrinus, scribens. Quia enim Deus vnus est, & vnus Dominus, idcirco etiãm id, quod valde pretiosum est, quia vnum fit, laudatur, cum sit imitatio quædam eius principij vnius. Huius itaque natura vnius vna Ecclesia concluditur, quam in multas dissecare conantur αἱρέσεις. Quapropter tum iuxta ὑπόστασιν, tum iuxta cõsiderationem, tum iuxta principium, tum iuxta excellentiam, vnam esse dicimus, antiquam καὶ καθολικὴν ἐκκλησίαν in vnitatem vnius fidei. Et sicut vna Ecclesia est & vna doctrina Apostolorum, Sic itidem vnus eius verus est intellectus. Hic rectè idem Clemens. Comprehensiua (inquit) speculatione simul &

Vide Cypria. 1. libr. Epist. 6. & Ignatium in Epist. ad Philippens.

Ecclesia cognoscibilis.

Ecclesia atomos.

Oratione Stromat. 6.

proprijſsimo iudicio oportet verum diſcerni ab apparente: & cum vna quidem regia via ſit, multæ autem aliæ, quarum quædã in præcipitium ducant, quædam in torrentem fluuium, aut in mare profundum: nunquid iſtam viarum diuerſitatem ſi quis audit, idcirco profectionem abijciet? Non, ſed vtetur regia via & leophoro, quæ prorſus eſt abſque periculo. Quemadmodum enim vna eſt doctrina Apoſtolorum, ſic etiam vna traditio, ſeu interpretatio.

ECCLESIAE Vnitas Vnde.

SEd vnde Eccleſiæ ea vnitas, & ſibi per omnia ſecula conſentiens? Ex ſpiritu vnicæ veritatis vnico, Spiritum illum, Chriſtus (imago Dei inconſpicui) ſuæ Eccleſiæ, non ſolum coſolatorem, ſed & rectoré, & omnigenæ veritatis doctorem promiſit. Hic eſt ille Spiritus, qui
Tertulla. de Trinitat. charitates nectit, affectiones conſtringit, ſectas repellit, regulam veritatis expedit, hæreticos reuincit, improbos foras expuit, Euangelia cuſtodit, diffingens & deſtruens pro arbitratu, quod abitrio ſuo finxit. Vndè in peruerſorum conuenticulis, ſpiritus talis reſidere nõ poteſt, quia diſtracti ſunt, inflati ſunt, implicati mundanis, excæcati. In Zion habitat Dominus, Pſal. 73. Hiere. 8. Ioan. 3. Spiritus ſanctus nuſquam ſibi diſsidet, ſui vbique ſimilis eſt, veritas eſt: cum è diametro harmagedon ille impoſtor infernalis mille artifex ſit, Centiceps beſtia, exite de illo.

Vnitatis Excellentia.

VNITAS autem omnem numerum ſimpliciſsime penetrat, omniumque numerorum communis menſura, fons & origo, omnẽ numerum in ſe vnice coniunctum continet, omnis multitudinis inſors, ſemper eadem & immutabilis & indiuiſibilis eſt, partium omnium expers, non ſecatur, ſed in vnitates multiplicatur. Sic vnum rerum omnium principiũ eſt, vnus Deus ſui vbique ſimilis, ſicut ſcriptum
Deutero. 6. eſt in quinto libro Moſeos. Adonai chad, hoc eſt, vnus eſt Deus, cuius viribus nihil obſiſtit. Vnius Dei vnus mundus, & rector illius vnus. Vnius mundi vnus ſol. Vnus quoque in mundo phœnix.

Ipſa ſibi proles, ſuus eſt pater, & ſuus heres,
Nutrix ipſa ſui, ſemper alumna ſibi.
Ipſa quidem ſed non eadem, quia & ipſa, nec ipſa eſt,
Aeternam vitam, mortis adepta bono.

Sic vnum eſt elementum vincens & omnia penetrans, ignis. Ab vno homine Adamo, omnes producti ſunt, Ab vno illo omnes mortui

rui sunt. Ab vno IHESV CHRISTO (quo nihil sapientius, nihil melius) rursus regenerati sunt. VNVS DEVS, spiritus increatus, immensus, incommutabilis, summè potēs, summè sapiens, summè bonus, & pater omnium est, cuius cognitioni nulla interponitur nubecula. VNVS MEDIATOR Dei & hominum (pro omnibus ex æquo mortuus) Christus. Vnus inquam altissimus creator, qui super omnes, per omnia, & in omnibus nobis. Vnus enim PATER cælestis, πατὴρ μελλόντων, καὶ θεὸς ἐστὶ σοφὸς, δυνατὸς, ἅμα καὶ πολύολβος, Id est, Pater futurorum, rerum. Id est, Deus est sapiens, fortis, simul & prædiues. à quo omnia, & nos in illo. Vnus Deus IHESVS CHRISTVS, Sar Salom & princeps pacis. Maleach Ha Berith, hoc est, angelus testamenti, Malach. 3. μέγαλος, σωτὴρ, Sacrificium noui testamenti patris verbum: Sapientia patris per quam creati sunt cæli, Hiere. 51. Ioā. 1. per quem omnia, & nos per ipsum. Ipse ipse inquam stadiodromus, philaletes, philadelphus, pax nostra. Ephes. 2. quem & alibi Paulus μεσίτην appellat: cuius cælum thronus est, & cuius scabellum terra est. Ipse Cardiognostes, qui fecit vitam ex morte, lucem creauit ex tenebris &c. VNVS DEVS SPIRITVS SANCTVS (pro suo arbitratu cuique suas dotes impartiens) in quem omnia, & nos in ipsum. Potenter creās, sapienter formans, diligēter conseruans omnia, Roma. 11. Augusti. de serm. Do in monte. li. 2. cap. 31. Vnum baptisma, per quod Christi corpori inserimur omnes. Vnus panis, de quo edimus omnes. Vnus calix, cuius omnes ex æquo sumus participes. Vna ciuitas. Vna Petri nauis hippagona: Quæ omnia monadem exigunt. Non ergo mirum, si vnam sanctam catholicam Ecclesiam, matrem nostram & sponsam Christi vnicam dixerimus. HAEC est illa Arca patris Noē, Geneseos 7. quæ in toto orbe terrarum, vnica fluctuat in aquis horū temporum, extra quam nemo saluus esse poterit. Hac in arca Nohemi, qui delitescit securus erit Firmissimè tene (inquit Augustinus in lib. de fide ad Petrum. cap. 43.) arcam Dei esse catholicam Ecclesiam. 1. Petr. 3. Extra hanc, nec sacramenta suscepta valent. Hæc hortus ille conclusus est, soror & sponsa Christi, cuius maceriam nemini attentare licet. Et profectò, magna vis est vnitatis Ecclesiasticæ, magna arctissimaque cōiunctio, quam qui violat, non vnū hominē, sed totam fidelium congregationē, neq; hanc solam, sed Christum ipsum, qui caput eius est, violat.

Confitetur ergo vera fides, iuxta scripturā & symbolum Apostolorum, & patrū, quòd vna sit Ecclesia, hoc est, cōgregatio omniū hominū in vera fide, & cultu vnius Dei, ab initio ipso seculi vsq; ad finem cōuenientiū, quanq̄ habuerit diuersos status, hęc verò Ecclesia nunc solum est in eis qui primogeniti oīs creaturæ fidē tenent, & secūdum

eam Deum colunt, ita vt quicquid de Ecclesia dicitur in scriptura,
iam ad Christi Ecclesiam referatur.

Septem Ecclesiæ leguntur in libro Apocalypseos, & quid sibi velint.

Apocal. 1. LIcet autem in Apocalypseos libro septem scribantur Ecclesiæ, vi-
1. delicet EPHESVS, nobilis vrbs Asiæ, ab Androclo Codri A-
then. regis filio condita, vt ex Pherecide scribit Strabo: Celebris tem
plo Dianæ, quod incenderat ob præposteram immortalitatis libidi-
2. nem Herostratus. SMYRNA, quam Homeri fuisse patriam plera-
que indicant: sed ante alia, porticus templo & statua Homeri insig-
3. nis. Multa de Smyrna Strabo lib. 14. PERGAMVS, insignis
ciuitas Asiæ, quæ diu sub Attalicis regibus fuit fortunata, vide Stra-
4. bonem lib. 13. Plinium nat. histor. lib. 35. cap. 12. THYATIRA,
Macedonum habitatio, quam nonnulli Mysorum vltimam dicunt,
ait Strabo lib. 13. de Thyatira erat puella illa Lydia Porphyropolis
seu purpuraria, quæ per Apostolum Paulum in Philippis vrbe Ma-
cedoniæ, verbum vitæ suscepit, Actor. 16. SARDIS, σάρδεις plura-
5. liter vrbs Lydię caput, regia Crœsi, apud quam Aliacis tumulus su-
per excelsa crepidine. Huius ciuitatis Episcopus fuit Melito, vir cele-
berrimus & doctor insignis, cuius multa extant passim vulgata ope
ra. PHILADELPHIA, vrbs quondam Mysiæ, terremotibus
6. concussa, iuxta quam Orientem versus, exusta regio patet stadijs
longa quingentis, quadringentis lata. LAODICEA, insignis ciui-
7. tas Laodicea iuxta Licaones, haud ita procul ab Hierapoli & Colos-
De Laodicea Cyprianus in Epi. ad Collo. sub finem. Cantic. 6. sis illis, à quibus Collossensis dicti, ad quos grauissima diui Pauli Epi
stola extat. VNA tamen in libro Sir sirim, id quod Græci Asma
asmaton dixere, est columba. Nam sapientia ædificauit sibi domum,
Prouerb. 9. Excidit columnas 7. Vna est ergo Ecclesia septem ordi-
Esaiæ 11. nibus distributa, vel septem charismatibus insignita. Quam spiritus
distributor pacificat & adunat, custodit & regit, &c. In hisce septem,
Ioannes prædicans, Episcopus & pastor horum fuit, antequam in
Patmum à Domitiano relegaretur. Exulans in Patmo, officio suo
Episcopali, pastorali, Euangelistico & Apostolico fungi non poterat.
Scripsit itaque sanctus Iohannes (cuius meminit D. Hierony. lib. 3.
Epistolo. ad Galat. cap. 6. Item, Tertullia. in lib. de præscriptionibus hę
reticorum) prophetiam eam sibi reuelatam, contra Hebionitas. Ce-
rinthum, atque contra omnes hæreticos & scismatarchas, pacem Eccle
siæ conturbantes, corpus bestiæ infernalis. Ecclesias septem ponit (in-
quit Cyprianus) vt seruetur septenarius numerus, vt dies septem,
quibus

quibus Dominus mundum fecit: vt angeli ſeptem qui adſiſtunt ante faciem Dei. Et lucerna ſeptiformis in tabernaculo teſtimonij: Et ſpiritus ſeptem, ac candelabra ſeptem,& columnæ ſeptem, ſuper quas ædificauit domum SAPIENTIA. Obijcitur Lemma.

Hic video adeſſe quoſdam ſupinos, multis quæſtionibus, tãquam tendiculis inſtructos. Tamen Eccleſiarum (blaterant) numero plura- 1. Corint. 11. & 14.
li meminit Paulus. Quibus reſponderim: Quod hic dicit Eccleſiôn, nemo Chriſtianus accipiat de mollibus honoribus cellarum & baſi- Cauilli remotio.
licarum, ſed de fidelıũ concionibus: Sentiens eſſe multas diſtinctione locorum ac perſonarum, vnicam profeſsione fidei, & ſacramẽtorum cõmunione. Ita multa leguntur tabernacula Dei, quum reuera ſit vnicum tabernaculum vniuerſos electos complectens; quoniam omnes in Chriſto ſunt idem. Sic idem Paulus alijs in locis, in plurali loquitur, videlicet, Rom. 16. Acto. 14. 1. Theſſa. 2. Galat. 1. 1. Cor. 14. Sed neq; hoc fit abs re. VNICA ergo Eccleſia Catholica, quæ omnes in vniuerſum orthodoxos, cum viuos, tum mortuos continet & complectitur, illos inquam, qui eãdem fidei Sacramẽta, idem baptiſma, eundem ſeruatorem Chriſtum, eandem S. E. authoritatem profitentur. Hanc nos olim Prophetæ, & poſthac Chriſtus, Deus & homo, docuit. Ex hac vnica Eccleſia multæ conflantur Eccleſiæ, hoc eſt, congregationes, vna in omnibus fides docetur, vnum Euangelion. Omnes iiſdem ſacramentis vtuntur; Nulla cæremonijs certis caret. Nihil diſpar in tanta vnitate. Ex hac ergo concordia, atque conſenſu ex omnibus reſultante, manifeſte vera Eccleſia Chriſti dignoſci- Vera Eccleſia.
tur. In qua per IHESVM CHRISTVM apertiſsimè, & citra omnem ambiguitatem æterna fælicitas ſeruatoribus promittitur; Numeri 15. Pſal. 102. Ezech. 33. Math. 23. Math. 5. 6. Luc. 11. Rom. 12. Fides dilectione formata eſt Christiana.
Incredulis verò contemptoribus ſempiterna incendia interminantur, dicente Domino: Πορεύεσθε ἀπ' ἐμοῦ οἱ κατηραμένοι εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, τὸ ἡτοιμασμένον τῷ διαβόλῳ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ. ἐπείνασα γὰρ καὶ οὐκ ἐδώκατέ μοι φαγεῖν. Digreſſio.
Ergo (inquit D. Ambroſius, offic. lib. 3. cap. 16.) qui facit mandatum Dei, eius amicus eſt, & hoc honorabitur nomine. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu (ait Dominus) non poteſt introire Ioan. 3.
in regnum cælorum. Et idem Ioannes in eodem capite, inquit, Mandatum nouum (ait Dominus) do vobis, vt diligatis vos inuicem, ſicut ego dilexi vos; Omnis enim virtutis opifex vel architectrix eſt charitas. Et Lucæ 9. Si quis vult poſt me venire ſemetipſum abneget, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me. Item, Filioli nemo vos ſeducat: Qui facit iuſtitiam iuſtus eſt, ſicut & ille iuſtus eſt. Et 1. Iohan. 3.
Paulus, Romano. 2. Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed

factores legis iustificabuntur. Et ad Galatas quinto capite, scriptum legimus. In Christo Ihesu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur: Id quod
2.Timot. 2. exemplificarunt nobis Naimitæ, Lucæ septimo. Item ad Timotheum, inquit. Si commortui sumus conuiuemus. Et alio in loco Paulus, Romanorum octauo. Nisi enim mortificetur quod animale est, non exoritur quod est spirituale. Deficere proficere est, Exanimari viuificari est, sibi excidere, est reddi sibi, sic concidere est erigi, suis viribus destitui, est robustum fieri in Christo, sic emori, est in Deum transformari. Sine voluntate tua (inquit Augustinus, sermone 15.) non erit in te iustitia Dei: voluntas quidem non est, nisi tua: Iustitia non est, nisi Dei: esse potest iustitia Dei sine vo-
Affectum sequitur effectus. luntate tua, sed in te esse non potest, nisi per voluntatem tuam. Qui ergo fecit te sine te, non te iustificat sine te. Quis ergo non dixerit praxin potissimam esse partem christianismi? vita præsens habet exercitium mandatorum, futura solatium: Si nihil operatus es hic, frustra in futuro speras, non enim finita vita ista est locus, vt terram nostram compunctione fodiamus ad ferendum fructum.
Matth.25. Lucæ.16. Prouerb. 6. Aut mendicando, quod erubescebat, Confusibile enim tunc erit mendicare, vt claret in fatuis virginibus, & diuite epulone. Vade igitur, inquit Sapiens in Prouerbijs, o piger ad formicam, & vide vias eius, & disce vias eius, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, parat in æstate cibum sibi. Quemadmodum enim (ait Cicero 11. de finibus) ad cursum equus, ad arandum bos, ad indagandum canis, Sic homo ad duas res, intelligendum & agendum natus est, quasi im-
Cice.1.off. mortalis Deus. Atque vt pulchritudo corporis, apta compositione membrorum mouet oculos, & delectat hoc ipso quod inter se omnes partes cum quodam lepóre consentiunt. Sic hoc decorum, quod elucet in vita, mouet approbationem eorum quibus cum viuitur ordine & constantia, moderatione omnium dictorum atque factorum. Cæterùm credere se in Christum quomodo dicit, qui non facit, quod Christus facere præcepit? aut vnde peruenit & ad præmium fidei, qui fidem non vult seruare mandati? Nutet necesse est & vagetur, & spiritu erroris arreptus, velut puluis quem ventus excutit ventiletur, nec ambulando proficiet ad salutem, qui salutaris viæ non tenet veritatem, hæc præter institutum nostrum.

ECCLE.

ECCLESIA VBI.

AT reclamant dicaculi Anomystæ (quos Græci vocant ἀθέους) Stentorea voce. Penes nos (garriunt) ista catholica Ecclesia est, nos illius filioli scilicet, & cohæredes: Et quid non audent argutuli? Quibus respondemus, & quidem paucis, non enim cõmentarios, sed tantum breuissimas theses, laconismum, primitiolas, εἰσαγωγὰς & curtam προσαγωγὴν, offerimus. Si veritas inquam, iam primum (vt iactanter gloriari soletis) vobis authoribus reuelata est, vbi quæso, digitus ille Dei intra 1500. annos sese continuit? cum manifeste à sponso IHESV dictum sit. Vos cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit? Quod vero hæc pollicitatio non ad solum Apostolicum senatum pertineat, sed ad vniuersos Ecclesiæ mystas, omnibus catholicis planè cognitum & perspectum esse debet. Quod si cõsolator ille qui paracletus est & Spiritus sanctus, ad Apostolos tãtum pertinuit, quis post Apostolorum emigrationem, ex hac valle lachrumarum, veritatem docuit? Certe sicut nõ Apostolis tantũ, sed posteris etiam, dictum est: Euntes docete omnes gentes. Ita quoque ad vniuersos Ecclesiæ mystas pertinet, quod Christus dicit: Paracletus docebit vos omnia. Et, si hactenus theantropos deseruit sponsam suam: Quomodo verum est, quod Christus dicit. Ecce ego vobiscum vsq; ad cõsummationem seculi: Neq; me fugit, hæresiotas, nostris illis recẽtioribus temporibus, garrire: In prioribus seculis neq; Christon, neq; Euangelion, neque baptisma, neque fidem, neque opera bona, &c. cognita fuisse. Huius generis est illud, quod quidam dicere non erubuerit, nempe Euangelium se habere tam purũ & opulentum, vt nunquam fuerit à tempore Apostolorum. Quid poterat dici θρασυντικώτερον? Quid Paulo sublimius? tamen vt passerculus loquitur, quum ait sese abortiuum & Apostolorum minimum, ac prorsus indignum Apostoli nomine, deniq; reiectamentum ac peripsema huius mundi. Quid excucullato Luthero, & apostatico deiectius, & tamen superbit? Quis vnquam, quo primum siue Cadmus siue alius literas inuenit, maiores ineptias, putidiora mendacia, & magis impia scripsit? Vitium esse scimus, in extremis hærere corticibus, & quis non dixerit arrogantiæ esse & impietatis vltrà niti quàm fas & tutum sit? Sic cecidit Lucifer, & reliqui casuri sunt, qui nimium in viribus suis confidũt, & prudentiæ suæ innituntur, tametsi omnia sub Christi (vt solent) prætextu & verbis eius fecisse videri volũt. O execrabilem philautiam, ô quãtus arrogantiæ tumor? Quid superbit terra & cinis? Noli elatus esse, sed time, inquit Apostolus. Impurus est apud Dominum quisquis est elato corde. Parum pius est, qui sibi pius videtur. Et omnes qui superbè incedunt,

Romano. 8.

Marci. 16.

incedunt, Dominus (vt scriptum est, Danielis 4. capite) deprimet:

Id est, laudis ne sias propriæ præco. Iuxta illud ὑπὲρ ἑαυτοῦ μὴ φράσῃς ἐγκώμια. Sententia sua nemo fœlix est. Vtres aër distendit, homines autem stultos elatio, dixit Socrates.

Lucæ. 18. Quid obsecro euenit Pharisæo, sese publicano præferenti? Execrabiles & detestabiles sunt (inquit Diuus Cyprianus, Epistol. 13. lib. 3.) qui tumidi & inflati aliquid sibi arroganter assumunt. Arrogans autem appellatur is, qui sibi res magnas & præclaras sumit & vendicat. Simili Lutherica arrogantia (vt gentilitia proferam) infectus Menecrates Medicus. Sic Neuius comediographus. Sic Rhēnius Palemō, gloriabatur secum natas esse literas, ac demum secum morituras, qui etiam non erubuit Marcum Varronem principē linguæ latinæ porcum appellare. An nō eadem insania detraxit Lutherus S. R. E. Pontifici? Nihil sentire melius est quàm praua sentire, inquit Cicero. Et idem. Quid est tam futile, quàm quicquam approbare nō cognitum? Nihil temeritate turpius est, nec quicquam tam indignum sapientis grauitate & constantia, quàm aut falsum sentire, aut quod non satis explorare perceptum sit & incognitum, sine vlla dubitatione defendere. Qualis cuiusque animi affectus esset, talem esse hominem Socrates differebat: qualis autem homo ipse esset, talem eius esse orationem, &c. QVOD si verum est, recentiores apostaticos esse Ecclesiam, profectò hactenus non extitit Ecclesia, nec in spiritu. Item, vana, imò nulla fides christianæ religionis: Ergo nondum baptizati sumus, & retinctio, quam dibaphi lychnobij periculose moliuntur, rite progreditur. Sed blaterant aduersarij Christum (qui verè ἀναμάρτητος & impeccabilis est) perpetuò adsistere concioni suæ, sed non esse eam, quam nos dicimus, veterem Ecclesiam. Dicant ergo nobis, vbi prius vera Ecclesia fuerit, in Oriente ne, an in Occidente? Immò dicant catholicis: Si S. R. E. catholica, quam antiquam (vt infra docebimus) & catholicam vocamus, & in qua, hæretistæ apostatici baptizati sunt, à qua item, Biblia & sacramenta acceperunt, & absque cuius suppetijs seu manu, nec suam monstrosam Synagogam conseruare possunt: Si inquā hæc nostra non est, Cur nō pandunt nobis, vbi nā illa, & qui nam ad ipsam pertineant? miseri, suæ Ecclesiæ nullam possunt ostēdere traducē. Acephali, cur audēt sese opponere vniuersali cōsensui christianitatis & Christo, qui Ecclesiæ caput est? sed gāniūt Christō suum esse caput, certe cauda fœda, traducem colli, pectoris, & aliorum Christi corporis membrorū ostendere non possunt: sed fingant se posse: Ostendant igitur (si verè catholici sunt) legitimos Episcopos suos, domōstrent certā eorū successionē ab ipsa Petri sede originē trahentē

Aristote. 4. Ethicorum.

Cicero pro Cluentio. 1. Acad.

Cic. 1. de Natura deorū.

Cic. v. Tusculan.

vsque

vſque in hodiernam diem,deſignent aliquos ſuæ doctrinæ anteceſſo res,viros Apoſtolicos,qui in Apoſtolorum Eccleſijs continua ſucceſſione docuerunt,& ſi audent (vt verbis Tertulliani vtamur) interſerere ſe ætati Apoſtolicæ, vt ideo videantur ab Apoſtolis traditæ, In li. de præſcrip. hæret. quia ſub Apoſtolis fuerũt,ędant ergo origines Eccleſiarum ſuarum, Euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum,ita per ſucceſsiones ab initio decurrente, vt primus ille Epiſcopus, aliquem ex Apoſtolis, vel apoſtolicis viris(qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerit) habuerit autorem & anteceſſorem.Hoc enim modo Eccleſiæ apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt,ſicut Smyrneorum Eccleſia Polycarpum ab Ioanne collocatum refert,ſicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum,id & proinde vtique & cęteræ exhibent,quos apoſtoli in Epiſcopatum conſtitutos,apoſtolici ſeminis habeãt traduces. Confingant tale aliquid hæretici.Quid enim illis poſt blaſphemiam inlicitum eſt? ſed etſi confinxerint,nihil promouebunt. Multo plura in hanc fermè ſententiam habet ibidem,quæ breuitatis gratia omittimus: Itaque vt ſemel concludam, nihil horum oſtendere poſſunt, niſi duntaxat quoſdam ceruicoſos & pertinaces homines,qui à matrice Eccleſia,ſuperbo auſu exierunt. Catholici verò poſſunt ſuam fidem oſtendere, traducis eſſe communionis ſanctorum , vniuerſorum ſeculorum & omnium nationum.Poſtula à me,inquit Dominus,& dabo tibi gentes hæreditatem tuam,poſſeſsiones tuas πέρατα τῆς γῆς. Sinant igitur Pſalm. 2. nobis noſtram catholicam,vniuerſalem, & Apoſtolicam Eccleſiam. Habeant illi ſuam Eriſticam & ſpinoſam,quæ extra Lutherũ acephala eſt.Sinant inquam nobis,noſtrum iuge ſacrificium , habeant illi ſuas ἀγάπας & Ethnicorũ epulas conuiuales,Donec ipſi nobis demonſtrare poſsint certiorem.Habeant illi vani nugiuenduli (iterum dico)ſuam,nos catholicam fortiter,Dei nutu,retinebimus. Et quid paleis ad triticum?Peruerſorum ſomnia,& promiſsio ſponſi,longè longè diuerſa ſunt. Diſplicent Deo , qui hominibus peruerſis placere Danielis 8. voluerunt,inquit Scriptura,&c.Neque ſequitur,Eccleſiam ideo non eſſe,quòd in ipſa verſentur multi hypocritæ,paucis bonis (cum nec ipſi immunes ſint)admixti,nam & in horreo dominico, ſunt triticum Hierem. 23. Pſalm. 52. Galato. 2. Roman. 3. & paleæ:in rete Euangelico boni & mali piſces.Ad nuptias vocãtur, tàm prudentes,quàm fatuæ virgunculæ.Maximus ille Auguſtinus, eruditione & pietate clariſsimus antiſtes,hoc negocium contra Parmenianum Donatiſtam tractans.lib.2. cap. 11. inter cætera ſic ſcribit.Spiritus ſanctus in Eccleſiæ prępoſito vel miniſtro ſic ineſt, vt ſi Propter abuſũ, matrix minime abolenda. fictus non eſt, operetur per eum Spiritus ſanctus, & ad eius mercedem in ſalutem ſempiternam,& eorum regenerationem vel ædificationem,

tionē,qui per eū siue consecrantur siue Euangelizantur. Si autem fictus est,quoniam verissimè scriptum est, Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum,deest quidem saluti eius, vt auferat se à cogitationibus,quæ sunt sine intellectu,ministerium tamē eius non delerit, quò per eam salutem operarur aliorum,hæc ille. De hac materia, vide Theophilactum in cap.Luc. 19. Et Augustinum in omnibus libris contra Donatisticos.Item,D.Chrysosto.homil.8.in 1.Corinth.3.&c̄ Sequitur ergo promissionem Christi suis Apostolis factam, non ad Hussitas recentiores & dibaphos, sed ad pastores Ecclesiæ legitimos pertinere.At ganniunt,Quid? Operaturne Spiritus sanctus per tam impios protomystas,Christicidas & hipparchos? Ego nullius impietati(si modo sunt)patrocinabor,nec mea ipsa delicta seu excursiones excusare conabor,Sed hoc plenis buccis intono. Si Spiritus sanctus
Lucæ. 11. (qui digitus Dei est)non,nisi per bonos ministros operatur, in maximo certe discrimine versatur sancta Ecclesia.Quòd si septiformis ille gratiæ spiritus per bonos tantùm operatur, ergo solùm boni prædicant,nullus apostata.Boni Eucharistiam,& alia Ecclesiæ sacramenta administrant:Certè,qui hoc olim in Ecclesia approbarunt, cū Donatistis anathemate percussi sunt.Euangelion prædicauit, haud dubium,sine detrimento catholicorum, miser ille & nulli miserabilis (quis enim illius vnquam est misertus?)trifur Iudas, & magistri sui proditor: & qui tincti sunt à Iuda nō minus baptizati sunt,quā quos baptizauit Cephas: In hoc tamen differunt, quòd ministerium ipsum,Iudæ in perniciem,Petro verò ad fœlicitatem cesserit. Ea propter non est existimādum,à spiritu veritatis derelictum gregē 1500. annos fuisse(vbi enim Ecclesia,inquit Irenæus,ibi & Ecclesia,& omnis gratia, spiritus autem veritas.) ac nunc primum funesti cuiusdam excucullati impudentissimis, flagitiosissimisq; scriptis, spiritum illum elicitū nos reuisere voluisse:Eum enim benignissimum & mitissimum IHESVM,Nympham suam tot seculis dereliquisse, nullus est,nisi malo impiorum morbo infectus, qui credat. Eradatur ergo abusus(si quis irrepsit) omnis, quis enim in hominibus huiuscemodi abusus probaret? Quæ participatio iustitiæ cū iniquitate? quæ societas luci ad tenebras? qui consensus Christi ad Belial? Neque me præterit,maledictionem à Propheta vaticinatam, cum ait. Væ qui dicitis malum bonum,& bonum malum,ponentes tenebras lucem,& lucem tenebras, amarū in dulce,& dulce in amarum. Rursus autem plantatio Christi,& huius pollicitatio Ecclesiæ facta, semper vigebit,& inæternum efflorescet. Non poterit Petridos nauicula submergi(iactatur, inquit Chrysostomus, de verbis Esaiæ, homil.4.

Esaiæ.11. Hierony. in Matt.cap.6 Lib.3.c.40. 2.Corint.6. Esaiæ.5.

homil. 4. sed non mergitur) nihil efficiét aduersus eam fluctus, Acto. 14. Nihil tempestates opinionum, Titũ 3. 1. Corint. 11. manet quod Domino semel placuit, & quod Dominus semel fecit.

ECCLESIA verò VBI SIT, quæstio certè inter nos (inquit Augustinus, contra Petiliani Donatistæ epistolam. cap. 2.) versatur: vtrum apud nos, an apud illos (Donatistas) quæ vtique vt ex ipso nomine ostenderent, quia per totum est, secundum enim totum καθολόρ Græcè dicitur. Hæc autem Ecclesia corpus est, sicut dicit Apostolus pro corpore eius, quæ est Ecclesia. Vnde vtique manifestum est, eum qui non in membris Christi est, Christianam salutem habere nõ posse. Membra verò Christi, per vnitatis charitatem sibi copulantur, & per eandem capiti suo cohærent, quod est Christus IHESVS, hæc ille. Catholicum autem esse, est veritatem sensus communis tenere. Apertius. Is verè & Germanè catholicus est, qui veritatem Dei, qui Ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui diuinæ religioni, qui catholicæ fidei nihil præponit: non hominis cuiuspiam authoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philosophiam, sed cuncta hæc despiciens, in fide fixus ac stabilis permanet, & quicquid vniuersaliter antiquitus Ecclesiam catholicam tenuisse cognouerit, id solum sibi tenendum credendumque decernit, &c. Sed audiamus de eadem superiori controuersia, Lactantium libro quarto, capitulo trigesimo. Is in hæc verba prorumpit. Sed tamen (inquit) quia singuli cætus hæreticorum se potissimum Christianos, & suam esse Ecclesiam catholicam, putant. Sciendum est illam esse veram, in qua est religio, confessio, & pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus est subiecta imbecillitas carnis, salubriter curat, hactenus Lactantius. IAM alterum cauillum ventilemus, obijciunt. Prædixit Christus suis Apostolis, dicens. Multi dicent vobis, ecce hîc est Christus, ecce illic est, magna erunt dissidia dógmatum, & quælibet pars gloriabitur se habere Ecclesiam: Quid tali tempore faciundum erit? auribus lupum teneo. Quis poterit iudicare, quę pars adhæreat Ecclesiæ Dei? nam alteram partem errare ratio efflagitat. Sciendum itaque, veram Euangelij doctrinam, & veram sacramentorum administrationem, non esse nouam, sed peruetustam, perpetuoque ab Apostolis & successoribus in Ecclesia vsitatam.

Catholica Ecclesia.

Vbi vera Ecclesia, in qua Christiano manendum sit.

Quæ pars adhæreat Ecclesiæ Dei.

Igitur, qui probauerit se eandem habere doctrinam, & easdem sacramenta, quæ habuit vetus Ecclesia, ille verissimè catholicus censendus est, militiæ Christi adscriptus est, extra Antichristi synagogam & [illegible] viuit. In illa (inquit Diuus Hierony- mus)

Aduersus Luciferianos.

mus) Ecclesia permanendum est, quæ ab Apostolis fundata vsque ad hanc diem durat. Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi non à Domino IHESV CHRISTO, sed à quoquam alio nuncupari, vtputa Marcionitas, Valentinianos, Montenses, siue Campates. Scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam: Ex hoc enim ipso, quod postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænunciauit. Nec sibi blandiantur, si de scripturarum capitulis videntur sibi affirmare, quod dicunt: Cum & diabolus de scripturis aliqua sit loquutus, & scripturæ non in legendo, sed in intelligendo consistant, &c. Quod si dixerint iterum aduersarij nostri, nos catholicos non habere Ecclesiam, age dicant nobis, vbi illi baptizati sint, & vnde Euangelion acceperint: dicant item, vtra pars ab alia desciuerit? Quod si recentiorum Hussitarum doctrina Ecclesiæ est, necesse est primitiuam Ecclesiam & Apostolicam doctrinam Christi non esse, nam ex diametro dissident (vt infra docebimus) Quæ enim societas Christo cum Belial? nec patitur consortium diaboli, quem semel morte sua deuicit. Magna ergo insania est Christo nemympho, & huius sponsæ, non credere: (assumetur illa, relinquetur synagoga, inquit Ambrosius, Et sicut Christus præfertur Moysi, sic Ecclesia synagogæ) cuius veritatem cæleste numen, hoc est veritas, inspirauit, tot martyrum sanguis comprobauit, tot iam seculis piorum hominum consensus subscripsit, quam Christus in sermone tradidit, quam Apostolicæ resonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, mundus testatur, elementa loquuntur, dæmones confitentur, adeoque credunt, vt ei contremiscant: Sed longè altior mægera seu insania, de huius (Ecclesiæ) veritate addubitare: maximæ verò & extremæ dementiæ est, ibi nos nolle collaborare, vbi à labore itur ad mercedem, quàm vbi à labore itur ad supplicium.

Hæretici Antichristus synagoga.

Obserua.

Insania Ecclesiæ non credere.

De Cain & Abel, libr. 1. cap. 1.

ECCLESIA Monstrosa distracta & diuisa est in spiritu, & verbo Dei.
Item. Distortores scripturæ potissimum qui.

Synagoga.

DE Antichristi verò mabhela seu synagoga (quæ & Iudæorum & priscorum, tum nouissimorum eorum, qui Christon, & huius sponsam vnicam persequuntur, corona est) loquitur Dominus, Psalm. 25. Odiui Ecclesiam malignantium (hoc est, hæreticorum) & cum impijs non sedebo. In hac sacrilega Tophet, delitescunt venenatissimæ pestes, perniciosæ chimeræ, insanientes satyri, fœdæ

dæ harpyiæ, improbæ sirenes, voraces gryphi, scyllæ biformes, furentes centauri, horrendi struthiones, susurrones & detractores. Hi qualiter in suo Euangelio distracti sint, testantur partium scripta, Deus enim eos confudit in sua pertinacia. De incarnatione verbi, an non crudeliter alter in alterum inuehitur? legant catholici illorum scripta, & iudicabunt me certè heic nihil temerè confinxisse. De paranympho ipso IHESV CHRISTO, quid multi friuolè tradiderint, hoc est, quàm impiè, scripta illorum testantur, nisi prudenter à Luthero sit scriptum, Christum, vt alium sanctum, non vidisse nec audisse, nec sensisse semper omnia: Et nisi piè scripserit discipulus Lutheri Melanchon Brettanus, Christon in cruce desperasse. Confessio fidei nostræ est, Christum descendisse ad inferos, quod vna pars negat. An cognitio peccati originis leuicula res est? certè in eo dissentiunt partes ab inuicem. Quomodo conueniant de baptismo inter se Partium commentaria testantur. De Eucharistia notius est quàm illi ipsi velint, vtrisque discordant dibaphi. Antea negarunt apostatici iustificare Sacramenta, nunc verò affirmant. Antea scripserunt, non licere Christianis forenses sectari lites, nunc reducto calculo licere affirmant. Antea scripserunt, Eucharistiam non debere in promiscuam turbam temerè communicare, Papæ more, nunc ipsi omnibus ex æquo dant. Antea scripserunt, liberam esse accessionem ad sacra, nunc faciunt legem. Antea dicebant, neminem soluere posse, nisi habentem Spiritum sanctum, nunc huius dicti nulla ratio, & quilibet Iouinianista, Giezita, Demas, absoluit. Antea scripserunt, non esse nephandum minimè instructis ab Eucharistia abstinere, in ista controuersia: At nunc scribunt tyrannicissimè, cum neque hominem, neque Christianum esse, sed diabolum, qui pedem subtrahit. Hodie sunt scilicernia, negantes infernum. Alij, sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse. Alij, baptismum Ioannis eandem vim cum baptismo Christi habuisse, futiliter ganniunt. Alij, aquam naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini IHESV CHRISTI, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Ioan. 3 Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorquent. Alij iniurios esse eos Spiritui sancto, qui sacro cõfirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt. Alij dicunt, Deus fecit animam, curet de ipsa si voluerit, sine merito credunt se habere gloriam Dei, Deus non fecit animam ad damnandum, sed attendant quid pigro seruo obuenerit. Licet enim talem mali homines de Deo habeant opinionem,

non tamen vult Deus ipsos in gratijs suis esse ociosos. Nonne hoc est iuxta verbum Iudę & Petri, Dominum nostrum IHESVM CHRISTVM Saluatorem, & qui nos redemit, Deum abnegare, conculcare, & superinducere sibi celerem perditionem? nonne traditi sunt in reprobum sensum? nonne thesaurizant sibi iram indignationis Domini? Alij, Eucharistiam, Bethaua blasphemant, de quo Hoseas decimo capite. Sic & de multis alijs materijs impiè sentiunt recètiores nostri Zaducæiste iustitiarij: Negabant Sadducæi carnis resurrectionem, Actor. 23. Matth. 22. Luc. 20. Mar. 4. Nostrates negant meritum, cuius causa resurgere habemus. Quid mouerit Andreas Osiander (anno 1551.) contra pestiferos alastoris M. L. opiniones, Osiandrist. testantur noui theologistæ scripta. Dicebat autem nos saluos fieri per Christi diuinitatem, non humanitatem. Huic se opposuit STANCARVS (habens nomen cum re) nos saluos fieri dogmatizans, per Christi humanitatem, non diuinitatem. Scripsit idem OSIANDER Lutherum & Melanthona, confecisse theologiam quandam Aristotelicam, carnem potius quàm spiritum redolentem. Huic se opposuit LVTHERVS, à quo exierat olim Osiander, raro enim bonus filius ex malo patre nascitur, iuxta illud, ὀυδ᾽ ἄρ ἐκ κακοῦ πατρὸς ἐσθλοὶ γίνοιτο παῖδες &c. Finxit Lutherus (factionis Luthericæ præcentor) solam fidem iustificare. Osiander verò contra Lutherum, homini non fidem, sed iustitiam Christi in nobis existentem, sufficientem esse contendit: In Christi sanguine atque morte non consistere iustitiam fidei, blaterat. Quid SERVETVS publicarit in sanctam Trinitatem, Allobroges Caluinistæ norunt. Hic enim Seruetus, cum renouat impium errorem Samosetani, negat verbum intelligi personam in hoc dicto. In principio erat verbum, &c. VVICCLEFVS, Ioan. 1. HVSSITA, & Lutherus nigellus excucullatus, errorem Berengarij resuscitarunt, sed non ex integro. OECOLAMPADIVS verò (aliàs Hußchin) cõtra illos, resuscitauit vniuersum. Oecolampadius, anno Domini 1524 mense Iulio, indignabatur sanguinem Christi denegatum fidelibus in synaxi: Et anno nondum euoluto, ipse cum complicibus consectarijs, denegat fidelibus & corpus & sanguinem Christi, Cur non abnegat pariter & omnem fidem, atque adeo & ipsum Christum? An verò, negat? negat profectò vel manifestissimè: Oenopides talem dicebat sermonem esse hominis, qualis eius natura esset. Simili insania, CAROLSTADIVS & ZVINGLIVS, Quibus flosculis lasciuiant Bursirapæ, ætatis nostræ. in pronominibus Hic & Hoc diuisi sunt. Carolstadius verba Christi sic interpretatur. Hoc est corpus meum, id est, hic sedet corpus meum, quis hic non videt quàm ineptè deliret in pronomine

ro Carolstadius? Zuinger verò sic. Hoc est corpus meum, id est, hoc significat corpus meum: hanc interpretationem sibi in somnijs esse reuelatam mentitur, scribit enim, Nescio niger an candidus vir iste fuerit. Tam Albis non distat à Tiberi, atque hæc interpretatio à veritate. Oecolampadius verò sic. Hoc est corpus meum, quid dici poterat planius? quid apertius? id est, hoc est corporis mei signum, intelligens Quod pro Quatenus. BVCERVS verò sic. Hoc est corpus meum, id est, protestatio, & memoria Dei beneficiorum. ô horrendam, & æterna damnatione dignam impietatem, ô sophistarum sophisticissime, qua id facis apparentia aut rhetorico persuasionis fuco, cum id erroneum sit, & veritati minime cohæreat? LASCO sic interpretatur, Hoc est corpus meum, id est, hoc est corporis mei qualitas: An non hoc est verè λαοπλανᾶν? SVENCFELDIVS arbitratur, non verum, sed putatiuum corpus Domini porrigi in Eucharistia, &c. Vt consultò præteream impias interpretationes, BVLLINGERI, PLORERI, & cæterorum. Quis iam non dixerit, apostaticorum colluuiem, (omnia ex proprio cerebello interpretantes) sanguinem Domini conculcare? De quibus Paulus, Hebræorum decimo capite, inquit. Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratiõe, sub duobus vel tribus testibus moritur: Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? transcamus ad reliqua. Sic BVGENHAGIVS (in epistola ad Vratislauiẽsis Ecclesiæ pastorẽ) ridet magnum illũ theologũ (Zuinglium) cum suo Carolstadio. Eundem Ionam, nudè scripsisse super Lucam BVLLINGERVS holophanta, clamitat. Quanta fuit Buccero ante aliquot annos cum Luthero ipso dissensio? quanta illi cum Carolstadio? quem primo socium & prodromum nouæ doctrinæ habuit: Postea proscriptum ex finibus longissimè profligauit. POMERANVS, videri vult doctior PELLICANO. Zuinglius, Oecolãpadio. Melãthõ, ILLIRICO. Frederus, Cuipstro. Osiander, Stãcaro. Maior, resistit Schneppio. Gallus, Furstero. Pomeranus, Amsdorfio. Pfeffigerus Sarcerio. Camerarius, Vuestphalo. Menius, Morlino. Sic Heibmãnus anomalũ opponit Luthero. Sic Lutherus, toties oẽs ĩ vnũ ꝓuocãs catholicos, ab vno Ioãne Cochlęo liberaliter ꝓuocatus, in suorũ cõspectu, cõgredi recusauit. Ehẽ tremis? reatus fortè cõscius tibi es? Quid oris pallor? Tribunal hoc tibi est formidini? Timesne causæ? Si recta doces, quid times? si falsa, cur stas? Sta in iustitia, nõ in supbia. Pręstat pede quàm lingua labi. Frõs mulieris facta est tibi, cur non erubescis?

Id est, corrũpere & nugari.

Deutero. 17.
Matth. 18
Ioan. 8.
2. Corint. 13

Hierem. 3.

Verba IOHANNIS COCHLAEI ad Lutherum sunt hæc, quæ placuit hic adiungere. Sicut te (inquit) Vuormatiæ & in diuersorio tuo, & in tuorum conspectu ad singulare certamen, sub iudicibus ad hoc delegandis ineundũ prouocaui, ita & nunc prouoco, neutiquam tergiuersans. Aude igitur, qui toties nos prouocasti omnes in vnum, ego te contra & prouocaui facie ad faciem, & prouoco adhuc hodie pro omnibus vnus, & quidem omnium minimus, stipulata manu tibi publice polliceor, tecum sub iudicibus catholicis, ad sanguinem vsque ad mortem, pro veritate decertare, viuit Deus non timeo, Quacunque volueris hora. Cur noluisti congredi Vuormatiæ? ô cuculla fallacissima, si non mero conuitiorum confidis fumo, & falso scripturæ prætextu, cur omne refugis eruditorum iudicium, hæc Cochlæus. Q. d. Ego respondere sum paratus, & si aliqua in re conuictus fuero, ac ita de me statuerit iudicium, expendam merita supplicia, si verò argumenta illius Lutheri diluere videbor, in Apostaticos qui vos deceperunt, ac contra catholicos instigarunt, iram (viri principes) conuertetis. Quid ergo sanctissimo illi Cochlæo imputandum? qui vituperonum suorum spicula, in quibus confisi sunt, prudenter præuidit, tela strenuè fregit? ad institutũ. Confirmationis sacramentum, Caluinus reputat inter maximè exitiales sathanæ præstigias, aitq; sacrilegium esse execrandis blasphemijs refertum: Quod tamen Luther multò mitius taxauit. Sic enim scribit Lutherus Saxo cucullatus. Quare satis est, pro ritu quodam Ecclesiastico seu ceremonia sacramentali confirmationem habere, similem cæteris cæremonijs consecrandæ aquæ aliarumque rerum. Nam si omnis creatura sanctificatur per verbum & orationem, cur non multò magis hominem liceat sanctificari eisdem? Alio in loco scribit idem profugus CALVINVS, infantulum à Christianis parentibus ortũ trahentem, non indigere ablutionis fonte: & sic sanctus erit fratricida Cain, qui Adamum & Heuam in parentes habuit. Eadem rabie negant rabuli purgatorium, Quod tamen cerebricosus ille Luthericæ factionis disputator, concessit. Ego credo (inquit) purgatorium esse, & consulo suadeoque credendum, sed neminem volo cogi. Eadem insania, Mathias ille Flaccius (ex Albona natus) Augustanæ professionis magistratus, Adiaphoristas & Interimistas, blaterat.

In li. de gratia sacramentorum.

Attēde christianũ theologum.

Confirmatio.

Li. de capti. Babylo.

Articulo. 37 assert.

Verba Zuinglianorum contra Lutherum & colluteristas.

Prophetæ (inquiunt) & Apostoli, Dei gloriæ, non priuato honori, nō suæ pertinaciæ & superbię studebāt, sed & peccatorũ salutē quęrebāt vnice: Adeò, vt licet acrius nōnunquā verbis inueherētur, in ipsa ta-

sa tamē acrimonia, paterni spiritus ingenium elucesceret. Lutherus sua quærit, pertinax est, insolentia nimia effertur, & confessum sathanæ tradit, quotquot illius sententiæ non illico subscribere velint. Et in correptionibus suis, plurimum maligni spiritus, quàm minimū vero amici & paterni ingenij deprehenditur. Et paulò post: Magna enim & plus satis magna eorum concionatorum est copia, qui ex Lutheri libris, lædorijs & mordacibus, ingentem maledictorum vim colligentes, eandem illam postea in publico suggestu, in miserū Domini gregem exonerant.

VERBA Lutheranorum contra ZVINGLIANOS.

Ex Epistola Philippi Melanth. ad Erhartum Schnepff.

Tu, quod facis, Euangelium non modò aduersus Pontificiam (id quod factiosi blasphemant) factionem, sed & aduersus Cinglianos defendere pergas. Magis nunc obsistendum est Cinglianæ philosophię, quàm pharisaicæ doctrinæ.

EX EPISTOLA IONAE.

Zuinglius misit huc confessionem suam: dicas simpliciter mentē captum esse. De vsu Sacramentorum priores errores reuocat. De ceremonijs scribit barbarissimè, &c. Atq; vt paucis dicam, Mathias Illyricus aliud in mortuo Luthero vidit apud Saxones: aliud Maior in viuo apud Vuittenbergenses: aliud Osiander apud Prutenos: Inseriani aliud in maritimis vrbibus, aliud apud Mansueldenses Sarcerius, diuersum quoq; in Sueuia Brentius: Aliud Lasco in Frisia: In Sabauda diuersum Caluinus. Et quid est superbius, quàm sibi omnem sensum scripturarum, contra consensum totius veteris Ecclesię, arrogare? Non credo maiorem arrogantiam, à condito mundo auditam, quàm ea est, qua nostrates Platonici somniatores, etiam ipsos beatos omnium retrò temporum, ad vnum ferè omnes, ignauiæ & errorum insimulant. O miram hominum dementiam, qui his anilibus & apostaticis deliramentis fidem habent. Quot videmus sacramentariorum formas? Quoties ipsi (apostatici & colluteristæ) suam mutarunt sentētiam, quoties alienam reiecerūt? Quòd si ambigunt, vt ipsa declarat res, id quod supra diximus, quantò satius erat in eo perseuerare, quod nobis tradiderat catholica Ecclesia? Quis vnquā vsque adeo miserabilem vidit, in hominibus alioqui eruditis, cæcitatem & væsaniam? tot discrimina? Quemadmodum enim patres vestri (Hussitæ, vt auctor est Aeneas Syluius in histor. Bohemica) in Thaboritas, Adamitas, Orebitas, & Orphanos secti fuere, sic quoque

Lutheri secta in Zunglianos, Anabaptistas, sacramentarios, & alios nescio quos, illico diuisa est. Et quemadmodū ipsi se ab Ecclesia diuiserunt, sic inter se quoq; statim distracti sunt, atq; ex ipsis hęreses diuersæ exortę sunt, illa ipsa dogmatū suorum repugnantia demōstrantes, se non à spiritu veritatis, sed mendacij impulsos & agitatos, qui mendacij pater quum sit, falsos & mendaces, inconstantes & discordes clientulos suos facit, quod validissimi argumēti loco est, eos à patre mendacij diabolo suscitatos, quemadmodum econtra euidentissimu signum est, Prophetas, Apostolos, Ecclesiæ doctores atque magistros, à spiritu veritatis fuisse missos & inspiratos, quis enim eos vnquam de fide in Christum & suam Ecclesiam titubasse dixerit? Quis vnquam istam apostaticorum inconstantiam & apostasiam, probare poterit? Pax ait D. Ambrosius, est nostra religio, vbi videris regnare discordiam, intellige aut abesse, aut certe laborare religionem. Quàm conueniat ergo inter illos, ipsi viderint. Quanquam hoc iam nec promiscuum vulgus ignorat, Non tam sic discordes sunt (quamuis familiares illis sint antilogiæ & contradictiones) quin mira concordia & syncretismo demoliri cupiant vineam Zebaoth. Omnes inquam, vnanimes sunt in oppugnanda Ecclesia, omnes in perfidia consonant, & in impietate copulantur, haud dissimiles oculis strabis, qui auerti & auersari à se inuicem videntur, cum vnum videant. Silete, silete igitur impudentissimi cacoangelici, scimus, scimus fabulas vestras, quę semper tale velamentum (Euangelion) fabulis vestris obtenditis. Non desyderat patrocinium falsitatis synceritas Ecclesiastica. Scimus omnes, in quanto splendore & obseruantia, aliquot annis vixerint & Lutherus & Zuinglius. Iam verò conspicimus, tàm potētiam quàm existimationem Germaniæ vehementer labefactatam esse, varijs dogmatibus vestris, & non vi armorum. Sed nimium esset in singula velle impetum facere, ne ergo omnia ad viuum (quod aiunt) relecare videar, ad institutū pergam. Vbi igitur claritas illa S. Literarum, de qua, supercilìosi & ambitiosuli tam gloriose gloriantur? vbi spiritus? Hæccine est constantia vestra? Certè illis vestris exoticis opinionibus, litiū & rixarum seminarijs, nunquā ædificabitur illa Lya, quę lippientibus oculis fœtosæ synagogæ vestrę formam mōstrat: semper erit misera plebecula in chenobolsio, chenotrophio & nessotrophcio.

Ambro. li. 1. de virginibus. Neque verò id ago, vt Lutherum aut Zuinglium (quos antesignanos fuisse omnes compertum habēt) cupiam insectari, & in eos quasi philippicas scribere: hoc enim à me facinus procul absit. Scio scriptū

Ioan. 3. esse, Qui fratrem suū odit homicida est. Et alio in loco scriptura. Lac

Prouerb. 30 si premas, butyrum exit: qui nares emūgit, sanguinē elicit, sic qui iras

incitat,

incitat, litem producit. Scio, illis ambobus hæc nostra nihil prodesse posse, vt qui iamdudum, apud districtum & iustissimum iudicē, suorum hic commissorum rationem reddiderunt. Modestia authoris. Scio, cum laruis non esse luctandū, de viuis censendū cautius, de mortuis reuerētius, qui sunt iam inuidiæ exempti, & redditi suo iudici, eamq; subierunt censuram, quæ omnes manet. Malum est (dixit Archilochus) viris defunctis conuiciari. Et Homerus 10. Odysseæ, Nefas est (inquit) super viros defunctos gloriari. Memoriam mortuorum venerari omnes Scriptores ferè, etiam Ethnici, præcepere: vide Aeschilum in Hectore, Dionysium in Sotera. Euripidem in Phœnissis. Sophoclem in Larissæis: Platonem lib. 4. de republica. Volaterranum libro 31. & philolog. &c. Scio præterea dentem esse linguæ claustrum, & præcipitatam iudicis voluntatem esse nouercam iustitiæ, animæque serram. Scio ex Cicerone (ad Brutum) Temere affirmare de altero esse periculosum, propter occultas hominum voluntates, multiplicesq; naturas. Nam vt famæ mortuorum detrahere velim, non esse verecundiæ meæ opinor, qui nulli viuentium detrahere consueui. Cum dictum sit, Quod sibi quis nolit fieri, non inferat vlli. Non vllo itaque odio, liuore, ἀτιμίᾳ, aut amarulento stomacho superiora in medium adduxi, ita mihi opto Christon in suo de me iudicio propitium fieri. Sed vt infirmos confortarem, errorem à mentibus hominum conuellerem, eosq; à peruersa doctrina, vitijs sceleribusq; vel admonendo vel increpando summouerem. Non detrahit, qui verum dicit. Errores indicare, non est famam seu vitam taxare. Quod si mala audire molestantur, non maledicant, & quod sibi fieri nolunt, alteri quoque facere intermittant. Res ergo mihi cum causa non cum homine vllo. CAETERVM: de nouis illis apostaticorum fabulis, & monstruosissima illa Scylla (ne videar noua confinxisse) audiamus Epiphanium. Contra hæreses lib. 2. Tomo. 4. Termini (inquit) nobis positi sunt, & fundamenta, & ædificatio fidei, & Apostolorum traditiones, & scripturæ sanctæ, & successiones doctrinæ, & vndequaque veritas munita est. Nemo igitur decipiatur nouis fabulis, hęc ille lib. 2. contra hæreses. Sciendum præterea (ne & hoc omittamus) differentiam esse inter Synagogam & Ecclesiam. Differētia inter Synagogã & Ecclesiam. Synagoga est cōgregatio, Ecclesia vocatio. Possunt quidem (inquit Rabanus super Matthęum) irrationabilia congregari, vocari nequaquam. Synagoga nox est, dies Ecclesia. Vnde & Paulus dicit, Roma. 13. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Et Ambrosius (de virginibus, lib. 3.) inquit, Bona lux quæ perfidiæ excussit caliginem, Esaie. 8. fidei diem fecit, &c. Verùm vt tandem pensum absoluam (o theomachi) Esaie. 6. Esaie. 7. societatem inite, at inferiores eritis. Inite consilium & fiet irritum



tum. Loquimini sermones, sed non stabunt. Quoniam Immanuel nobiscum Deus: Doctrina violenta non solet permanere, inquit Basilius. Speculatores vestri (Thaboritæ) auari sunt, bona enim aliena diripiunt violenterque inuadunt (quod inuolare dixere antiquiores) cõtra iustitiam, quæ reddere iubet vnicuiq; quod suũ est. Et cur non dixerim AVAROS? qui pro pecunia, tantopere digladiantur? SVPERBI sunt, & sui amantes, omnes præ se contemnentes, contra illud Demonactis. θνητοὶ γεγάτες μὴ φρονεῖθ' ὑπὲρ θεούς. Et cur non dixerim superbos, qui plus eruditionis & iudicij sibi tribuunt, quàm vniuersis concilijs, sanctis patribus, & toti Ecclesiæ catholicę? BLASPHEMI sunt, in Christum & suum sacramentum, in sanctos omnes ac imagines eorum. Et cũ obedientia à iustitia trahat originem, sitq; habitus parendi præceptis omnibus, quæ à ratione proficiscuntur, ipsi INOBEDIENTES sunt, pontificios enim ac Cæsareos iussus cachinno excipiunt Democritici: Fastuosos, superbos, maledicos se planè demonstrant, quum fastu, superbia, maledicentia, cunctos qui suis hæresibus aduersantur, pessundare studeant. Parentibus immorigeros esse, quis non aduertit, quum sanctissimis simul & eruditissimis Ecclesiæ Patribus reluctentur. Adde, quod in eosdem ingrati sunt & impij, atque affectu carentes, quũ tot ab eisdem acceperint beneficia, nimirum sacrarum literarũ interpretationes, quas tam fœdè lacerant. Confisi inquã, viribus receptatorũ, palam contẽnunt iurisdictionẽ, sed ad turbas seditionesq; concitãdas ita proni sunt & strenui, atque etiam Mille artificis instinctu ingeniosi, vt ad eas nati esse videãtur. Vnde factũ esse vidimus, vt supremi Ecclesię Aduocati, Edicta, Mãdata, Sententias, Recessusq; imperiales, suis fucis & artibus in eum adduxerint contẽptum atq; discrimẽ, vt reliqua taceã. CAECI sunt, non solũ superstitione, sed odio & rabie cõtra nos, inde execrationes illę dirę in nos acerbissimę, quæ sunt à bonis & pijs viris multò alienissimę, & ab ingenio Dei, quẽ ipsi existimãt se solũ colere. CVI ergo consulũt bene? nũ religioni? num Reipublicę? nihil minus. Nõ enim volunt pacẽ, sed gladiũ, adeo quidem pace infensi, vt Theutonicè ipsorum Antesignanus excucullatus scripserit, sese neque viuum neq; mortuum, episcopis & omni clero pacem concessurum esse. Semper habent fœnum in cornu. Canes muti, oblatrare non possunt veritatem, torpent, iacent, somno indulgent, horas canonicas seu preces Ecclesiasticas, negligũt. Nutãt in fide sua. Diuisi sunt, distracti sunt. Inconstantes vt Proteus, temerarij vt Phaeton, Auari & parci vt Tantalus. In cõuictu morosi, ac vix etiã sibi tolerabiles. Charitate frigidi, ira feruidi, odio ptinaces, lĩgua virulẽti, in exercẽdis simultatibus sui

Id est, mortales cũ nati sitis, ne supra Deos vos erexeritis.

Iustitia.

cti,

cti,p re quauis nihili depugnare parati,intractabiles,rix,voluptatis auidi,ad verba diuina nauseabundi,de omnibus male suspicaces, sibi blandientes,inuidentia plusquam muliebris, iracundia & ferocitas militaris,rixandi nunquam satiata libido, rabiosa maledicentia, vipereum linguæ obtrectatricis venenum,animus tumidus, ceruix præfracta,lubrica fides,vanitas, fictio,assentatio.Cursitant non missi,sacerdotes catholicos expellunt,sese ingerũt & vi intrudunt. Quisque viam suam spectat. Quisque à termino suo ad emolumentum Esaie. 56 suum propensus est,venite aiunt, sumamus vinum & impleamur ebrietate,& erit sicut hodie sic & cras. Nolite audire sermones pseudo prophetarum(inquit D.Cyprianus,in tracta.3.de simplicitate prælatorum)quoniam visiones cordis eorum frustrantur eos: Loquuntur,sed non ab ore Domini, Hi sunt (ait) qui se præpositos sine vlla ordinationis lege constituunt,qui nemine episcopatum dante, episcopi sibi nomen assumũt.Quos designat in Psalmis Spiritus sanctus sedentes in pestilentiæ cathedra,pestes & lues fidei,serpentis ore fallentes, & corrumpendæ veritatis artifices, venena lethalia linguis Psalm.1. pestiferis euomentes.Quorum sermo vt cancer serpit, quorum tactus pectoribus & cordibus singulorum mortale virus infundit. Hæreticorum(inquit D.Hieronymus in Oseam) inter se corda diuisa,& contrarijs repugnare sententijs, etiam ipsi non negant, dum diuersa sentiunt.Vnde disperdentur,& confringet siue suffodiet Dominus simulachra vel altaria eorum,quæ de suo corde finxerunt, & vastabit titulos, quibus singuli suis appellantur nominibus, & vocauerunt nomina sua super terras suas, vt nequaquam Christi Ecclesiæ,sed illius vel illius esse dicantur. Attendite ergo vobis & vestratibus,in Christo dilectissimi fratres,Ne de plagis eius accipiatis. Apocaly.18. Auertite animum ab ipsis,occludite,obstruite aures. De hijs sufficiat,video enim me prolixiorem fuisse, quàm proposueram, ad alia igitur properabimus.

SEPTEM Ordines in Ecclesia, & quæ singulorum munera.

Multiplices esse gradus in vinea zebaoth, comprobatur ex Hesaia,capite 54.Ecce ego (ait Dominus)sternam per ordinem lapides tuos,& fundabo te in Saphyris, & ponam Iaspidem propugnacula tua,& portas tuas in lapides sculptos,& omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.An non hæc in Ecclesia manifestißimè conspiciuntur?habet illa munitiones,diuitias(quæ sunt Christi & filiorum eius, videlicet pauperum) Artificia,sapientiam,pacem,iustitiam,& quam plurimos catechumenos,sternens per ordinem lapides,alios prophe- 1.Corin.12 tas,

Iob.5. tas,&c.Et Iiobus(ad differentiam Iob,filij Iſachar,Geneſ.46.)videlicet ita:Cum lapidibus(inquit)regionum,erit pactum tuum, ad illos reuertar ad Hieruſalem in miſericordijs, & reædificabitur domus mea.Inſtituit olim ſanctus ille legiſlator(qui non ſemel in Dei colloquium admiſſus eſt)miniſtros,Numeri 4.1. παραλειπομένων,25. 2. Para.8.inſtituit,imò auxit hymnidicus ille Pſaltes,& miniſtrorum numerum,& officia. Hos imitati ſunt ſacratiſsimi quique Monarchæ. Iam verò plures eſſe in hac domo (Eccleſia) ordine & officio diſtinctos miniſtros,vberrimè teſtantur ſacræ literæ.Idem Iiob,inquit. Spiritus eius ornauit cælos: vt enim cælum ſyderibus, ita Eccleſiam

Iob.26. ornauit & præfulgidam reddidit miniſtris. Eadem, pſalmographus in ſuo ſoliloquio(quod Græci Pſalterion,Hebræi Thillim vocant) corroborat.Adſtitit(inquit)regina à dextris tuis in veſtitu deaurato

Pſalm.44. circundata varietate.Proinde cum lex vmbra ſit futurorum bonorum,

Hebræo.9. lege autem multi erant miniſtri ſacrorum vaſorum adminiſtratores,operæprecium fuit(neq; enim cōuenit veritatem obſcuriorem eſſe vmbra,& noctem luce ipſa)& in Euangelio quoſdam eſſe officio, ordine,ac dignitate diſtinctos.Omnia enim,inquit fortis ille fidei agoniſta Paulus,ſecundum ordinem,& honeſtè fiant in vobis. Et Ag-

1.Corin.14. geus propheta,ca.2.Magna erit gloria domus iſtius nouiſsimæ,plus quàm primæ,dicit Dominus exercituum.SVNT autem alij in Eccleſia maiores,qui & ſacri dicuntur,alij minores Ordines,omnes nu-

Ordines 7. mero ſeptem:videlicet Presbyterorum,Diaconorum, Subdiaconorum,Acoluthorum,Lectorum,Exorciſtarum,& Oſtiariorum.

1. PRESBYTERI, ſunt ſupremi in Eccleſia ordinati, non tā propter decrepitam ſenectutem & adultam ætatem , quàm propter ſapientiam presbyteri dicti.Non ſolum cani,non rugæ repentè autoritatem adferre poſſunt,ſed honeſtè acta,ſuperior ætas fructus autoritatis præbet extremos,dixit Cato.Et Philon.Verè ſenex nō ex temporis longinquitate,ſed ex laudabili & perfecta vita ſpectatur,&c. De ſacrificorum ordinatione,Acto,6.1.Timoth.3.ſint pudici,nō bilingues,Clemens Epiſt.1.Item,Anacletus Epiſto.1.&c.Dicti à ſacris, ſacrificant enim,dant & docent.Ipſis datum Euchariſtiæ ſynaxioſue ſacrum litare.Si plebeis hominibus orationis cauſa (inquit Ambroſius ſuper locum 1.Timoth.3.) ad tempus ſe abſtinere præcipit Paulus,vt vacet orationi,quantò magis leuitis & ſacerdotibus, quos die noctuq; pro plebe ſibi commiſſa oportet orare? Et Hieronymus (in Titum cap.1.)ait. Si laicis imperatur , vt propter orationem abſtineant ab vxorum coitu,quid de Epiſcopo ſentiendum eſt,qui quotidie pro ſuis,populiq; peccatis illibatas Deo oblaturus eſt victimas? mundio

Vide 2. epi. Anacleti ad Epiſcopos Italiæ.

Canicies nō tantū capilli,ſed animi virtus.

mundiores ergo debent esse cæteris, quia actores Dei sunt. Septuaginta duos (ait idem Hierony. super locum. Luc. 10.) designauit Dominus, qui præfigurarunt presbyteros, sicut Apostoli sancti Episcopos. Vocantur EPISCOPI, id est, superintendentes, quippe quod debent superintendere, vigilare, gerere curam atque considerationem in eorum salutem, quibus præficiuntur: Dicti autem sunt ab ἐπισκοπέω, quod est considero, vel ἐπισκέπτομαι, quod est visitare. Dicuntur ANTISTITES, vt qui quanto cæteris antestant authoritate & dignitate, tanto etiam debent suis subiectis antestare virtutibus & disciplinis, Antistes autem Græcè prophetam significat. Dicuntur & PRAESVLES, vt alijs perinde atque custodes præsideant. Paulus (Hebræo. 13.) illos egumenos, id est, duces antesignanos vocat. Vocantur etiam Episcopi, Hyperetæ, hoc est ministri Christi, seu apparitores. Alio nomine Epitacteres, id est, præsides. Alio nomine Pontifices, à posse & facio, vt Q. C. Mutius Scæuola affirmat: vt autem Varroni placet, à ponte, eo quod ab ijs (vide Pomponium Letum in libello de Romanorum magistratibus) pons sublitius factus & sæpe restitutus esse perhibeatur, atq; vt canit Andrelinus.

Episcopi nomenclatura

Antistes.

Præsules.

Hyperetæ.

Epitacteres.

Pontifices.

Cetera quo superet meditanti pectora sensu,
Imposita ex ipsis nomina rebus habet.

Proinde moneo, recordentur, quales aut quanti sint, & quid se deceat, ne titulares & non operarij sint Prælati: videant ergo vt sint rosæ. Aestas non semper fuerit, componite nidos. Magnæ curæ, magna merces. Opes huiusmodi parandæ, quæ naui fracta simul cum Domino queant enatare. Bonum ergo opus desiderat, qui Episcopatum ritè desiderat, Matthæi 15. & aliorum Apostolorum reputabitur collega. Qui verò fastum, luxum, inanem gloriam mundi (fucatæ meretricis) quærit, Iudæ consors, Domino Deo, iusto iudici, pœnas dabit aliquando, Matth. 25. Episcopos instituit Paulus, Acto. 20. Philippen. 1. Tit. 1. de Episcoporum moribus, 2. Corinth. 2. 1. Timoth. 1. 2. 4. Timoth. 12. 4. Titum 2. Episcopatum an desiderare liceat, 1. Timoth. 3. de ordinatione Episcoporum, vide Canones concilij Carthagi. 4. Cui interfuerunt 214. Episcopi. De officio Episcoporum (quod est prædicare populo, curare infirmos, prospicere miseris, constituere presbyteros, ad iustas subditorum querimonias non pertinacius obsurdescere, atque secundum sacros Canones singulis annis circuire Diocæsim suam, & visitare parochias suas subse constitutas.)

Officiũ Episcopale hodie quasi neglectum.

C. relatũ. C decreuimus C. Episcopi

C Item,

ar C. placuit. Item, de prædicatoribus constituendis, vide Canones concilij La-
10.q. prima. teranensis, Cano. 10. Debet ergo Episcopus vnusquisque esse
vir bonus, instare (vt Paulus loquitur) opportunè importunè,
2.Tim.4. arguere, obsecrare, increpare, in omni patientia & doctrina.
Erit enim (inquit Apostolus) cum sanam doctrinam non susti-
nebunt, sed ad sua desideria coacceruabunt sibi magistros pru-
rientes auribus. Et à veritate quidem auditum auertent, ad
fabulas autem conuertentur. Tu verò vigila, in omnibus la-
Id est, opus fac Euangelistæ. bora, ἔργον ποίησον εὐαγγελιστοῦ, ministerium tuum imple. Episco-
pos humiles esse debere, tota scriptura diuina testatur. Vnde
Ecclesiasticus, tertio capite. Quantò maior es, tanto magis te
humilia, & in conspectu Domini inuenies gratiam. Et iterum.
Ducem te constituerunt ne eleueris, sed esto inter eos, quasi
vnus ex illis. Episcopi (inquit Diuus Hieronymus, ad Nepo-
Eccles.32. tianum) sacerdotes se esse nouerint, non dominos. Desidiam
Episcoporum reprehendit in decretis Damasus Papa. De infu-
lis, vide Ambrosium Epistola quinquagesima nona. Mitra au-
Pōtificalia. tem bicornis noui pariter ac veteris instrumenti scientiam desig-
nat. Duæ fimbriæ, spiritus & litera. Chyrotecæ, purum ma-
nuum officium indicant. Pedum, populi vitia castigandi pote-
statem attribuit, debent itaque Episcopi incolumitatem gregis si-
Ezech.3. bi crediti præcipuè curare, scriptum enim. Sanguinem eius re-
quiram de manu tua, dicit Dominus. Baculus est acutus in fi-
ne, rectus in medio, retortus in summo: Sic Pontifex debet
per eam virgam, pungere pigros, regere debiles, colligere va-
gos, &c. Annulus, Christi & Ecclesiæ copulationis, vt pignus
& fidei sacramentum, habetur. Linea vestis summa, quæ ni-
ueo candore insignis, vitam vndique puram admonet. Atque
vt tandem concludam, Episcopi munus est: Aedificare proxi-
mum, de fraternis commodis, perinde vt de suis in Domino
gaudere, incommodis mederi, veluti proprijs, mansuetè corri-
pere errantem. Docere nescientem. Erigere lapsum. Consolari
deiectum. Adiuuare laborantem. Subuenire egenti. In sum-
ma omnes opes suas, omnia bona (fortunæ, corporis, animæ)
sua, omne studium, omnes curas, ad hoc referre, vt quamplu-
rimum prosit in Christo, vt quemadmodum ille, neque sibi natus
est, neque sibi vixit, neque sibi mortuus est, sed totum se donauit
vsibus nostris, ita & illi fratrum commoditatibus inseruire debent,
non proprijs. Atque vt vulgo dicitur, Hic poterit rectè cauere
iura, qui & leges tenet. Hijs si studerent Episcopi, nihil
esset

esset Episcoporum vita neque lætius neque facilius.

DIACONI (quos Latinè ministros, Hebraicè verò Leuitas vocamus, sumpsisse videntur exordium à tribu Leui filij Iacob, de qua in libro Numerorum) sunt sacrosancti ministerij ministratores, & episcoporum oculi, vide Clementem ad Iacobum. Item, Dionysium Areopag. in epist ad Hieronem, &c. Iis cēsura morum commissa est, verbum Dei gentibus prædicare debent, & in sacris Ecclesiæ actibus sacerdoti deseruire: Præuaricationes cum cleri tum laicorum Episcopis significare, thesaurum Ecclesiasticum dispensare, in Ecclesiæ ministros & pauperes distribuere, & basilicarum sarcta tecta prestare. &c. Hos conuenit esse μαρτυρούμενος, id est, boni testimonij, & spectatæ probitatis. Cōstat, Diaconatus ordinem ab ipsis celebratum Apostolis, vt in libro praxeôn legitur. Septem viros plenos Spiritu sancto, ad hunc elegerunt gradum ministerij, videlicet STEPHANVM protodiaconum, virum plenum fide & Spiritu sancto. Hunc vocat Damascenus taxiarchon, id est, antesignanum. Et Athanasius lib. 11. contra Arrian. primitias martyrum. PHILIPPVM, PROCHORON, NICANOREM, TIMONEM, PARMENAM, & NICOLAVM aduenam Antiochenum. Et oratione præmissa, manus eis imposuerunt, consecrationis eorundem formam tradentes, & relinquentes posteris. Quocirca Diaconus, corde purum, ore mundum, opere castum se studeat exhibere. Euangelion enim, puteus aquarum viuentium, non fluit impetu, id est, liberè, nisi de Libano, id est, de corde casto, & ore candido. Non enim est speciosa laus in ore peccatoris, dicente scriptura. Quare tu enarras iustitias meas, & quare assumis testamentum meum per os tuum? De diaconorum ordinatione, vide Paulum 1. Corinth. 4. 2. Corinth. 3. 11. Actor. 1. 2. Timoth. 4. Diaconatum, prophanum ministerium facit Lutherus excucullatus, cum incircunspecto Caietano Cardi.

[Margin: 2. — Nume. 3. Nume. 14. Leui. 8. — Diaconis quæ censura commissa. — Actor. 6. — Septem diaconi ab Apostolis ordinati. — Ecclesia. Psalm. 49.]

Diaconis adiumento dati sunt ministri, qui apud Hebræos Nathinnei appellantur dati vel donati, Esdræ 2. Græcè hypodiaconi, nunc SVBDIACONI, quòd Diaconis subsint. Horum munus oblationes percipere, calicem patinamque attrectare, & ad sacrificium deferre, Epistolam recitare. Olim etiam Subdiaconis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ delegatum erat munus conscribendi Martyrum vitas & agones. Creditur autem Christus (quem Græci μισίτηρ καὶ ἰκέτηρ dixere) hunc exercuisse ordinem, quando in Cana Galileæ ex aqua vinum fecit, & quando cæna facta, mittens aquam in peluim, pedes discipulorum lauit.

[Margin: 3. — In decretis Fabiani.]

Quem etiam ordinem Imperator Romæ accipit.

4. Delegit & alios nonnullos ordines sancta mater Ecclesia, ACOLYTOS, id est, ceroferarios seu sequentes, sequebantur semper Episcopum, vnde & nomen habent: Nam acoluthos græcè, sequentem latinè sonat. Candelabra, luminaria, vrceolos ad aram dispo nebant, atque portabant. Vinum quoque diacono suggerebant in Eucharistiam sanguinis Christi, vt testatur 4. Carthaginense concilium, cui B. interfuit Augustinus. Is ordo videtur olim traditus Exodi 27. Aaroni & filijs eius.

5. Sequũtur LECTORES, qui & psalmistæ, hos vocauit Epiphanius anagnostas. Illorum munus est lectione seu recitatione scripturarum populum in Ecclesia instituere, fidem sanctis vocibus pascere, vide Tertullianũ in Apologetico cap. 39. de disciplina Christiana. Huius muneris vestigium adhuc in Ecclesia visitur in clericis, certas lectiones in nocturnis suis conuentibus ex scripturis recitantibus. Vtinam cum magna audientium pastura. Quorum officio videtur vsus Christus, quando in medio seniorum, librum He Luce. 4. saiæ aperiens, legit distinctè ad intelligendum. Et videtur Lectoris Esaiæ. 61. esse officium, quo fungebatur Esdras olim. Neemi. 7.

6. Sequuntur EXORCISTAE, hos Epiphanius Eporcistas, latinè ciuratores vocat. Energumenis manus imponebant, & solennibus coniurationibus inquietos, qui à spiritibus immundis vexabantur, in Ecclesia compescebãt: vide Ambrosium in capite 4. ad Ephes. Quo quidem gradu ordinis ipse Dominus vsus est, vt accipimus ex Euangelio. Math. 12. Luc. 11. Luc. 7. Marci 16. Luc. 10. Et quidem maximè, quãdo de Maria Magdalena septem eiecit dæmonia. Quod officium & quem ordinem videtur Christus quoque tradidisse discipulis, quum dedit ipsis potestatem & gratiam eijciendi cacodæmones ex hominibus: quo & ipsi sunt functi, Christo adhuc viuente, denique eodem mortuo.

7. Vltimum locum sortiuntur OSTIARII, hos Epiphanius thyroros vocat: & Ignatius, Custodes sanctarum portarum, vt ex præ Ignat. epist. 12. ad Antiochenses. scripto legis præessent templo custodiendo: Ostijs basilicarum adstabant, indignos aspectu & communione sacramentorum, è templorum foribus excludebant, vide Ambrosium epist. 33. Quàm verò quondam in nascẽte adhuc Ecclesia, fuerit ordo iste Ostiariatus minime culpandus, argumento sunt opima stipendia, quæ nunc habent Cathedralium Ecclesiarum custodes & thesaurarij, qui surrogati sunt in locum Ostiariorum. Quorum iã officio fungi videmus quando per fidem in Ecclesiam aliquẽ introducimus, & excommunicatos è tem-

templo Dei submonemus. Quo quidem officio (scribit clarissimus F. Nausea) functus est Christus, quum vendentes & ementes de templo eiecit, verum ostium existens. Matth.21 Marci.11. Luce.19.

Nemo ergo se Christo dignum putet seruum citra operam. Operę exemplum habet Episcopus in Apostolo & eius discipulis Timotheo & Tito, Sacerdotes in sacerdotum exemplo, Diaconus in diaconorum, Acto.6.7. Diuersi quidem generis vasa sunt in Ecclesia, velut in magna domo, quorum aliud est alio honoratius, Tanta autem Ecclesiæ est maiestas & felicitas, vt quod in his vilissimum est, precio sius sit vniuerso mundo. Functiones quidem diuersæ, sed eodem spiritu vegetantur omnes. Viderit quisque vt suæ respondeat vocationi: Si cum seculo gaudemus, verendum est ne cum seculo & lugeamus. Sic Eleazar aliàs Lazarus, apud inferos in sinu Abrahæ refrigerium consecutus, contra diues epulo in tormentis ignis constitutus. Doceant igitur, inquam, non in friuola garrulitate, sed in doctrina, admonente Paulo Collossen.4. Vide ministerium (inquit) quod accepisti in Domino, vt illud impleas: Secus facientes condemnabuntur. Nec interim reticendum, Ordines conferre cum signo sensibili gratiam, id quod sacra scriptura vberrimè testatur, Mat. 10. Mar.6. Luc.10. Luc.22. Ioan.20. Acto.13. Titum 1. 1. Timot. 5. 2. Timoth.4. Philippens.2. 1. Thessalon. 5. Hebr.5. 1. Petri 5. Actor. 20. Actor. 6. Philippens. 1. 1. Timoth. 3. &c. ad institutum. Ignatius, altisoni Ioannis euangeliographi discipulus, extollens (ad Trallianos) dignitatem episcoporum, presbyterorum, & diaconorum, in hæc verba prorumpit. Quid est (inquit) Episcopus, nisi omnem principatum & potestatem illorum omnium tenens, quemadmodum deceat hominem tenere, imitatorem Dei factum secũdum virtutem? Quid est presbyterion, nisi institutio sancta consiliarij, & confessoris Episcopi? quid etiam Diaconi, nisi imitatores Christi ministrantes Episcopo, sicut Christus Patri, & operantes illi operationem mundam & immaculatam? quomodo S. Stephanus beatissimo Iacobo, & Timotheus & Linus Paulo, & Anacletus & Clemens Petro? Si quis igitur istis inobediens fuerit, hic sine Deo omnino erit, & impius & contemnens Christum, & ordinationem eius minorans. Eadem re memorat idẽ Ignatius, alio in loco, inquiens. Saluto sanctũ presbyterũ vẽstrũ, saluto sanctos diaconos, saluto subdiaconos, Lectores, Cãtores, Hostiarios, Laborãtes: Exorcistas atq; cõfessores, &c. Cypria. li.1. Epi.3. ab initio meminit acolythi. Graduũ cathedrę sacerdotalis meminit idem Cyprianus, lib.2. Epist.5. Et Ambrosius in 1. Timoth. 3. vt plura omittã. Quis verò ignorat hierarchicũ spirituũ angelicorũ

Acto.14. 1.Tim.5. — Luce 16. — Presbyterii quid. — Ignatius ad Antiochẽs.

choros seu ordines? videat candidus ἀναγνώστης, Esai.6. Ezechielem capite 3.9.10. Ephes.4. Ecclesiast.49. Colloss.1.1. Thessalon.4. Iudam 1. Apocalyp.12.& videbit me vera locutum fuisse. Qui ignorat, Flamines, archiflamines, & protoflamines gentilium? à quibus tamen non sumimus exemplum nostræ religionis (quæ ad id vnum tantùm conducunt, vt argumentum sit efficacius ad corroborandum nostræ religionis statum (sed è scripturis, & à sanctis Patribus Christianę pietatis cultoribus. Quocirca (scribit Nazianzenus) Ordo vniuersum constituit, ordo continet tam cælestia, q̃ terrestria, ordo est in mentalibus, ordo in sensibilibus, ordo in angelis, ordo in astris, motu, & magnitudine, habitudine, continentia, & splendore. Alia est claritas solis, alia lunæ, & alia astrorum, Astrum enim ab astro differt claritate. Ordo est anni partibus & temporibus, quæ mundo nunc adueniunt, nunc tacitè abeunt, vt austeritatem mediocritate mitigent. Ordo est in mensuris, interuallisq; diei ac noctis. Ordo in elementis, è quibus corpora, &c. Quare ergo apostatici ordines in Ecclesia indiscriminatim tollunt, & iterum extollunt? An non Lutherus (in libro de abroganda Missa ad Senatum Pragensem, & libro de captiuitate Babylonica) affirmat, Nullum esse neque visibile, neque externum, neque verum sacerdotium in nouo testamento, nisi quod humanis mendacijs per Sathanam erectum? An non in contrarium asserit (in libro visitation.) idem excucullatus, Sacerdotes esse honorãdos, & ordinationem ministrorum (id quod etiam Philippus Melanthon vult) esse Sacramentum? Vbi nõ est ordo (inquit ille) ibi est confusio, quod certè in Germania nostra experimur, vtinam audacius ac verius dicerem. Quot hodie insinuant fidem & nullam habent? Quot ministros creant & non sunt? quot promittunt libertatem ipsi corruptionis serui? Qui iusiurandum violat, fidem violat, inquit Cicero. An non Chore cum suis, nihil interesse inter sacerdotes & leuitas præsumens, Deo iudice, hiatu terrę absorptus est? Et Ozias rex cũ opus sacerdotale præsumeret, lepra percussus? Nunc (Eheu) barbatos apertissimis calceis reiectis baxeis, ad aras stare decorum est, seculo isto iudice. Coronula verò tonsa & terete pileolo, ἐσχάτωτον. Nunc inquam, qui forsitan sacerdotio dignissimi, ab ordinibus resiliunt, & contra alij seplasiarij præcones clamosos agunt, qui vix suis bus pascendis idonei sunt: & nisi vigilauerit magistratus, semper in S. E. sal erit infatuatum, & terra salsa. Mirum certè, Execrãtur Angelici nostri recentiores (vt schematicè loquar) ceu toxicum, Ecclesiasticos gradus, & sodalitia monastica: Illorum verò bona temporalia, rapacissimè in sua alucarea auchere non dedignantur.

In vltima editione locorum communium.

Numeri 16.

Habet

Habet autem & reliqua plebs Christiana suos gradus. Primus est audire verbum. Intelligere, secūdus. In memoria retinere, tertius. Corde credere verbo, est quartus. Verbo fidere, est quintus. Verbi præscripta fideliter reipsa complere, sextus est & summus gradus. Non auditor legis, sed factor iustificatur, inquit Paulus. Quod idem affirmant Euangeliographi, Matth. 25. 1. Corin. 4. Psal. 44. Ezech. 33. Matth. 7. Et scitum est hoc Iustini martyris. Non in verbis, sed in factis sita est nostra religio. Et Seneca, facere docet (inquit) Philosophus, non dicere tantùm. Philoxenus erat Loth, Tobias φιλόξενος (id est, hospitalis) nazir καὶ λειτουργὸς, Samuel, &c̄. Audiamus igitur tonātem buccis plenis fratrem Domini, Iacob. 2. cap. Vis scire ô homo (ait) inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster, nónne ex operibus iustificatus est, offerēs Izaack filium suum super altare? vidē fidem consummatam esse ex operibus? & Phinees, pro opere quodā, quod ingenti zelo patrauit, audiuit. Ecce do ei pacē fœderis mei, & erit tam ipsi, quàm semini eius pactum sacerdotij sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo. Sic & Dynastes credidit quidem verbo Christi, sed nec obedientiam intermisit. Est enim fides (quæ per charitatem operatur) donum Dei, quam omnibus adaugere solet Deus liberalissimus. Similiter & Raab meretrix, Iosue. 2. Nónne ex operibus iustificata est, suscipiens exploratores? Fatuis virginibus (inquit D. Chrysostomus, in 6. cap. Zachar.) non infidelitatis, aut peruersæ fidei crimen munitur, sed olei tantùm defectus, quia scilicet misericordiam non exercuerant, neq; eleemosynas fecerant, &c̄. De fidelium operibus, videat candidus lector, eundem Chrysostomum Homil. 7. in Hebræo, cap. 4. Nazianzenum, oratione 26. Ambrosium in 2. Corinth. 3. & in 1. Corinth. 7. Augustinum, contra Iulianum Pelagianum lib. 6. cap. 117. Fides impetrat, quod lex imperat. Et eundem Augustinum, psal. 91. Gregorium lib. 6. epistolarum capite 179. Damascenum lib. 4. cap. 10. Basilium in psalm. 31. & in psal. 52. Hilarium in psal. 2. & in psal. 51. &c̄. Sicut ergo corpus sine spiritu cadauer & truncus est. Ita & fides sine operibus cadauerosa, & effigies in speculo euanida. Sciendum autem merita nostra esse dona Christi, palmes enim non fert fructum à semetipso, nisi manserit in vite, hæc parergôs.

Christianæ plebis gradus.

Roman. 2.

Fides per charitatē operatur.

Digressio.

Id est, Nazaræus & Sacerdos.

Numer. 25.

Deutero. 35.

Iohan. 4.

CONVENTIONES IN S. R. E.

SI Ecclesiam non audierit, inquit agonotheta siue Choregus Christus IHESVS, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Ecclesię autem dicere, est rem ipsam præsulibus, & præsidentibus indicare, ait Diuus

Matth. 18.

Chrysostomus ibidē. Hic S. Gregorius. Vbi sunt (inquit) qui Ecclesię cōuentum præsumunt cōtemnere, & veneradæ congregationis preces solitarias anteferre? Si duobus vel tribus simul positis, IHESVS medium se promisit, quid non dabit plurimis? Legimus Moysen seruum Domini, voluisse synagogam populi esse iudicium, cui etiam sacerdotes præfecit, qui non tantum de lege, sed etiam de causis prophanis cognoscerent, peioréne loco erit Ecclesia? Mihi quidem (dixit Valētinianus, vt Sozomenes vult) cū vnus de populo sim, fas non est talia perscrutari (de hæreticorum dogmatibus loquitur) verùm sacerdotes, quibus hæc cura est, apud semetipsos congregentur, vbi voluerint, &c. Labia enim sacerdotis custodiunt scientiam, & legē requirunt ex ore eius. Et grauis, (inquit Hilarius, de synodis contra Arrianos) veterum est authoritas. Eadem inculcat Irenæus (lib. 4. ca. 45.) dicens. Vbi charismata (donatiua diaphora) Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, ab Apostolis succesio, & id quod est sacrum & irreprobabile sermonis constat, Hæc ille. Quemadmodum ergo apiculæ, leuibus pennis arborū & herbarum floribus insident, latentemq; in flosculis liquorculū, innocua deprædatione auehunt, vt tandem dulcissimos mellis fauos, nido cōfectos, hominibus præstent. Ita & Ecclesiæ Catholicæ Doctores super amœna, vernantiaq; scripturarū viridiaria, leui mentis ala residentes, insitę literę, succum Spiritus sancti hauriētes, soliciti sunt, vt dulcissimū mel fidei, auditorum cordibus placidè instillent. Consilio Gangrensisic decretum legimus. Si quis docet domum Dei contemptibilem esse, & conuentus qui in ea celebrantur, anathema sit. Item, Si quis extra Ecclesiam seorsum conuentus celebrat, & despiciens Ecclesiam, ea quæ Ecclesiæ voluerit vsurpare, non conueniente presbytero iuxta decretum Episcopi, anathema sit. &c. Non destruent ergo Ecclesiam, qui pro ea animas suas posuerunt. Quemadmodum enim Pater per prophetas docuit, & Filius per Apostolos, Ita & in Ecclesia catholica docet Spiritus sanctus, per Apostolicos.

Exod. 18. Deute. 17. & 18. Sedulius Tripar. hist. lib. 7. cap. 11. Malach. 2. Ephes. 4.

Tria genera Conciliorum Ecclesiasticorum.

1. VNIVERSALE & Oecumenicum, οἰκουμένην enim orbem terrarum appellant Græci: vbi totius Ecclesiæ negotium ventilatur & excutitur, ex omnibus totius orbis prouincijs conuocatis orthodoxis Episcopis. Sic Nicenum 1. extitit, authore Constantino Imperatore.

PRO-

PROVINCIALE, & ipsum quale sit, æquè indicat eius nomi- 2.
nis (inquit Phigius, lib. 6. cap. 2.) ratio, nempè in quo sub vno metro
politano vnius tantum prouinciæ Episcopi conuenientes, eiusdem
prospiciunt consuluntq; negotijs.

MEDII verò generis concilia sunt, in quibus causa quidem quæ 3.
tractatur vniuersalis est, hoc est, fidem aut Ecclesiasticam obserua-
tionem concernens: sed conuocatio aut congregatio nequaquam. Cu
ius generis sunt ferè vniuersa, quæ ante Nicænum celebrata repe-
riuntur concilia, in illa primitiua Ecclesia, & inprimis illud omnium
primum Hierosolymis habitum. Quod vniuersale dici non potuit,
vt in quo ex 12. tres tantùm interfuisse legantur Apostoli, Petrus, Ia-
cobus, & Iohannes, &c.

Alij hunc in modum Synodales conuentus distinguunt. In vni-
uersales, quæ per summum Pontificem. In Prouinciales, quæ per pri
mates & Archiepiscopos. In episcopales seu Diocęsanas, quæ per Epi
scopos. In Archidiaconales, quæ per Archidiaconos, & Archipresby
terales, quæ per Archipresbyteros indicuntur.

Idcirco autem inchoantur concilia Oecumenica, vt lapsa morum
disciplina, & penè collapsa Ecclesia erigatur, & instauretur: & vetus
populus post diuturnam captiuitatem apud externos reges & princi
pes, redeat Hierosolymam ad instaurandum templum. Sunt ergo
tria expectanda à generali concessu. 1. Hæresum extirpatio. 2. Disci Tria expectāda à concilio legitimo.
plinæ Ecclesiasticæ, & morum reformatio, Frangi potest archisecta,
sed vix alia re, quàm Ecclesiasticorum pœnitentia. Ea rite acta, occi-
det hæresis, & Ecclesia restituetur. 3. Pax totius Ecclesiæ.

Legimus in libro Moseos vltimo, Moysen legislatorem adhorta-
ri consueuisse populum Israhel iisdem verbis. Vos hodie contra ini-
micos vestros pugnam committitis, nō pertimescat cor vestrum, no-
lite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos (scismatarchas), quia
Dominus Deus vester IN MEDIO VESTRI EST, & pro vobis
contra aduersarios dimicabit, vt eruat vos de periculo. An hæc nega Deuter. 20.
bit dilectus IHESVS sponsus S. R. E. suæ Ecclesiæ, & pijs (in illa) Deus in medio S. E.
conuentionibus?

Legitimus consessus, non sedet cum hominibus vanis, & ad fuca- Psalm. 26.
tos non ingreditur. Cœtum malorum odio prosequitur, & cum im-
pijs hæreticis nullum commercium habet. Lauat in innocentia ma
nus suas, circundat altare Domini, enarrat omnia mirabilia eius,
&c. vide quantò præniteat fides S. E. fidei synagogæ, & veritas, at-
que res ipsa ab ænigmate discrepet? Pereant itaque, qui audent tam
salubrem & necessariam Apostolorum traditionem spernere, & sa-

crilega

crilega lingua, sacratissimis concilijs, quæ nobis fidei mysteria tradiderunt, contradicere detrahereq;. Hinc etiam apparet, quàm pestifera illorum nostris temporibus sit archisecta, qui vsque adeo sibi placent sua φιλαυτία, vt suum iudicium in interpretandis literis, Vniuersali Ecclesiæ præferant: Cur non & concilium illud per Apostolos & Ecclesiam celebratum errasse dicunt, aut D. Paulum dementiæ simul & impietatis arguunt? Quàm iniurius contumeliosusq; & blasphemus in sacra concilia Apostaticus ille Saxo nigellus fuerit, nouerunt sanè omnes, qui excucullati centones & insanias, in Babylone, in abroganda Missa, in visione (in septicipite cap. 34.) Danielis, legerunt. Is, cum anno reparatæ salutis 1521. personaliter vocatus Vuormatiam (seu Borbetomagum) in S. Cæsareæ maiestatis, aliorumque Imperij principum ac procerum conspectum, elementer admonitus fuisset, vt futuri concilij determinationi causam suam submitteret, pertinacissimè (sicut ipsemet iactitauit in suis actis) recusauit. Frangitur marmor, mollescit Adamas sanguine hircino, at ille perstitit inexorabilis (vt leæna raptis catulis, ita ille incanduit) non parcens nec saluti animæ, nec ætati, nec imperijs: Neque enim vetulus canis (vt dici solet) facilè assuescitur loro, Et qualis vir talis oratio. Lingua (ait Cicero) si infrenis, & prodiga, interdum maximarum cladiũ organum est. Mortuum medicari, & senem admonere idem fuerit, dixit Diogenes. Summa, ἀνδρὸς πονηροῦ σπλάγχνον ἐν μαλάσει) &c. Idem Lutherus, nititur alio in loco (in sermone 11. super illud Christi, Attendite à falsis prophetis, Math. 7.) radicitus stirpitusq; Papatum & omnia concilia subuertere. Idem, in articulo 39. assertionum, hisce verbis prorumpit. Via nobis facta est eneruandi authoritatem conciliorum, & liberè contradicendi eorum gestis, & iudicandi eorum decreta, & confidenter confitendi quicquid verum videtur, siue probatum, siue reprobatum fuerit à quocunque concilio, hęc Lutherus. Quæ sola procacitas, nobis argumento est, ipsum à Deo destitutũ fuisse, inq; suum ruisse exitium, velut mente captum. Quis iam nõ dixerit induratos? An resipuit Arrius? An hæresim abiurauit Sabellius? recantauit ne Iouinianus? Nonne impium suum errorem, in finem vsque defendit Cheruscus ille (è Vueinsperga natus) Oecolampadius? An non laterem lauerunt, qui Lutherum reuocare studuere? Quid? tam crebra comitia sunt habita propter vnius excucullati proteruiam? adeò multi viri principes summos exhauserunt labores? tu quoque Cæsar, varijs multisq; cogitationibus & molestijs propterea defatigatus? ô superbiam inauditam, in facinore gloriari? optimus est portus pœnitenti mutatio consilij, inquit Cicero, Philip. 12. Et idem, Illis facile ignoscitur,

Actor. 15.

citur, qui non perseuerare, sed ab errato se reuocare moliuntur, &c. In Vatin.
Quis nescit, Lutherũ se B. Dionysio prætulisse, in confusione sua Babylonica? at non ita fecerunt sancti Ecclesiæ doctores, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus. Est enim videre quàm reuerenter Rom. Pontificibus isti scripserint. Siricio, Ambrosius. Damaso, Hieronymus: Et Innocentio tertio, Augustinus. Sed hæc minus fortè ad propositum. Quòd si nihil extra bibliam, sanctis cõcilijs, credere voluerit Lutherus & consectarij colluteristę, Certè cum Arrio negabimus, Filium Dei esse Patri coæternum & consubstantialem, contra decreta Nicęni cõsilij. Item, negabimus cum Macedonio Spiritũ sanctum esse Deum, contra sententiã 150. Patrum in Cõstãtinopolitano concilio. Dicemus quoq; sacratissimã Mariam non Dei, sed hominis tantùm fuisse genitricẽ, & ita cũ impio Nestorio faciemus aliã personam humanitatis, aliã Deitatis. Christõ quoq; verum Deum negabimus contra Ephesina decreta 200. Patrum. Asseremus quoque cum Eutychianæ hæresi, Christum post assumptam carnem humanam, non in duabus naturis subsistere, sed solam in eo diuinam naturam permanere, humana in diuinam mutata, contra decreta 630. Patrum synodi Chalced. &c. Sed obijciunt aduersarij nostri: Scripturam volumus esse iudicem conciliorum, ah non habent profectò, quanquam habere se prętexant, & quis non hæreticorum pro suo dogmate scripturas habere se prętexuit? quis non illam in prauum sensum vertit? Arrius huius scripturæ sensum, Pater maior me est, aduersus personarum æqualitatem interpretatus est. Eluidius etiam hanc, Et non cognouit eam donec peperit filium suum primogenitum, contra B. Virginis perpetuam integritatem intellexit. Marcion hanc, Lex autem subintrauit, vt abundaret delictum, sic contorsit, vt malum esse Moseos legem, & à malo principio iuxta Manichæum originem sumpsisse, non dubitauerit affirmare. Basilides item hac abusus est, qua dixit Paulus Rom. 7. Ego autẽ sine lege viuebã aliquando, vt doceret Pauli animam in alio prius vixisse corpore. Eunomius insuper illud Dauidicũ. Ego dixi dij estis & filij excelsi omnes, cũ verbo Christi cõmittens, credidit haud aliter Christon esse Dei Filium, q̃ aliquem è diuis, quos in Ecclesia veneramur. Manichęi demũ illud haud rectè interpretati. Quotquot ante me venerũt, fures sunt & latrones, de prophetis omnibus, & lege malè sentiebãt, &c. vt consultò prętereã reliquã turbã hęreticorũ. De scripturis itaq; semper gloriati sunt hęresiotę, sed perperã intellectis, & pro suo cerebro prauè pessimeq; contortis, quẽadmodũ & hodie apostatici recẽtiores de scripturis ludũt, vt ĩfra docebimus. Et esto, habeãt scripturã, Neq; verò nos

Obiectionis confutatio.

Ioan. 14.

scriptu-

ſcripturam recuſamus,ſed orthodoxam non peruerſam requirimus. Nos non Euangelij pudet,vt ait Paulus:Sed imprimis optamus, vt in legitimorum aſpectu liceat de ijs rebus diſſerere.Non fugimus lucem(quemadmodum lucifugi turpiter ganniunt)ſed nolumus tenebras pro luce.Nec conſtituimus nouum tribunal, ſed ad hoc prouocamus,quod perpetuò in Eccleſia conſtitutum fuit. Nec tam præfracti ſumus,vt iudicia noſtra velimus iudicio totius Eccleſiæ præferre. Quomodo verò hæretici tractent Scripturam ſacram, oſtendit D. Clemens Alexandrinus,in hæc verba prorumpens. Quanquam & hi,qui hæreſes ſectantur,audeant vti propheticis ſcripturis, tamen primùm neque omnibus vtuntur,deinde neq; integris, neque etiam quid vel corpus τῆς προφητείας, vel gibbus velit conſiderãt:ſed ea, quę ἀμφιβόλως dicta ſunt,eligentes,transferunt illa in priuatas ſuas opiniones.Sparſimq; voces paucas veluti floſculos carpentes,non ſpectant in eis ſignificatum,ſed nuda dictione abutũtur.Propemodum enim ſolis verbis, (τοῖς ῥητοῖς)addictos reperias illos,tanquam ſolis nominibus inhærere,aut ſignificata variantes ad inſtitutum. Quòd ſi concilia & conſtitutiones Patrum(quæ omnia reſpuitis)nihil ſunt, Cur veſtras conuentiones Huſsiticas (quæ non minus auerſanda ſunt, quàm inferni præſens faux & chaſma, ſicuti fœda & tabifica leprodochia ſeu Noſocomia)omnibus obtruditis? Promiſit olim Profugus ille Caiphita Caluinus,ſe velle acquieſcere concilio generali,ſed mutato animo,contra acta concilij Tridentini,ſcurriliter, atrociter atq; calumnioſè,& ſcribit & prædicat,quid hoc (obſecro) aliud eſt quàm nauigare Anticyras? Proch dolor,quàm precioſo munere mundum ſpoliaſti Caluine? quàm citò placidam pacem,nec inopinãtibus,orbi eripuiſti,Luthere? Et cum pietas ſit in Deum,in patriam, in parentes,vos veſtri obliti illa omnia ſuſtuliſtis. De concilijs plura vide, Acto.15.Gregor.Epiſtol.23.lib.1.Euſeb.lib.20.cap.6.Hiſtor.Trip. lib.1.cap.21.& lib.2.cap.5.& lib.4.cap.9.& lib.7.cap.12.lib. 2.cap.7.Leo.in Epiſto.11.Origenem Matth.24.Euſebium lib.7.cap.22.Irenæum,lib.4.cap.43.& 45.& 61. Si quis autem, ampliorem & profundiorem pertractationem efflagitat: recurrat ad ſex libros (quos de concilijs ædidit) D. Conradi Brun Iuriſconſulti.

7. Stromateon.

QVAE

QVAE SINT AETATES ECCLESIAE CATHOlicæ,(longinquæ regionis,Luc.xix.)incrementa atque progressus,Quando instituta,& in quot plagas mundi se extendat Christianismus.

PRIMA ECCLESIA, corpus est vnum, cuius plurima membra,inque membris iam augetur, iam minuitur, iam enim multi, iam pauci Christicolæ sunt. Legimus ab ascensione Domini Hierosolymis 120. fidelium fuisse, Actor. 1. 2. 4. Eaque primigenia Ecclesia fuit. Nemo enim gentes ante saluatoris aduentum in Dei cognitionem vocauit,inquit Cyrillus in Genes.lib.3. Deinde aucta trium ac quinque millium fuit, quos Cephas duobus sermonibus suis ad fidem Christi conuertit: protinus pari ratione subinde aucta est,per eos, qui verbum in Samaria receperunt (testatur Lucas in libro praxeôn. 8. 9. 10.) per Paulum,Ananiam,Cornelium Romanum. Et in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Ex Aegypto inquam, translata est vinea Solymas, inde expullulauit in nationes, Actor. 11. 14. &c. Nos igitur hanc Ecclesiam (cum Patribus nostris)matrem appellamus. Filioli enim eius sumus.Nos(iterum dico) antiquos seu polychronious habemus,quos sequimur: Quos non puduit lauare stolas in sanguine agni. Et mecum sequuntur Christifideles Germaniæ: regnorum Hispaniæ,Galliæ,Angliæ,Sarmatiæ,Neapolis, Italię, &c. Quibus etiam Christianorum regionibus,se coniunxerunt ferè cōmuni voto proximis annis,& nostra ętate,qui 37.annos Dei nutu attigimus,Indi Cinpualenses,Tascaltecalenses, Temistitanenses, Aculuacenses, Tuxtebequenses olim Anthropophagi, & humanæ carnis comestores,Churultecalenses,&c.vt interim taceam Americam,quā vocant Atlanticam aut Brasilij.Item,Insulam Dominicam, vbi Episcopum agit Alphōsus Mansus.Dariennensibus præest Ioannes Cabedus.In oppido Cōceptio,Fungitur officio pastorali Petrus Xuaretz doctor, Cubensis hodie Episcopus F.Bernardus de Mesa, nobilis Toletanus, Taceo Scianam,Iamicam,Antillas,Mederam,& Hesperidum,Tortucarum,Canariarum insulas.Qui populi omnes,Christum ardenter agnoscere incipiunt,atque non sine admiratione(diuino impulsu haud dubiè puncti) prædicare permittunt, religionem Christianam complectentes quàm ardentissimè. Certè ætate & memoria nostra, cum Clemens 7. Pontifex summus, & Carolus V. Imperator Maximus, Bononiam (Felsinam aliquando vocatam, Iustinus lib. 20.) negocij causa conuenissent, PRETO IAN seu Belulgian, maximus Abyssinorum (cuius fines limitesque in 40. amplius

S. E. paruls initijs creuit

Psalm.18. Marci 16. Osee 11.

Hesperidæ hodie parēt regi Portugalliæ.

Anno 1533.

D regna

regna distinguuntur, Mediterraneam Is Africæ partem tenet) sceptrifer, fidei suæ rationem, & propensum animum, erga Occidentalem S. R. E. V. (quæ nunc radios claritatis suæ, in Orientales, Occidentales, Meridionales, & Septentrionales occiduas plagas, mittere consueuit) per Legatos suos exposuit, mense Februario. Per Petrum Aluaren Indicæ classis præfectum, auream crucem, ob amorem & in signum perpetui amici, Clementi 7. transmittens. Taceo MVLEASSEN regem Tunetanum, is eandē spem certam S. R. E. de se promisit, Anno 1537. Sic, anno Domini 1543.

Festinant ad fidem gētes extraneæ. S. E. obedientiam iurarunt CVPENSIS & SCIANVS, ambo reges in Moluccarum insulis: Scriptum enim. Adorabunt eum omnes reges terræ, quoniam ipse (Christus S. E. Sponsus) lux gentium & salus est, vsque ad extremum terræ, &c̄.

Psalm. 71. Esaiæ. 49. Eodem etiam anno, Franciscus Caberius Apostolicæ professionis homo, 10000. hominum (vt annales loquuntur) vno mense in Aurea CHERSONESO (quæ gens olim dæmonum cultrix fuerat) catechizauit, Episcopum habet hæc Chersonesus, Michaëlem Vasium Lusitanum. Præterea, anno salutis 1544. à prorege Lusitaniæ in Malacha aureæ Chersonesi emporio, præter fælicem rerum externarum successum, supra quingenta hominum millia dedisse nomen Christo significatum est. Et paulò ante ætatem nostram, Permy & Pecerri, populi (à Moscha regia vrbe sexcentis miliaribus distantes) remotiores, qui more gentilium olim idolis sacrificabant, nunc Christon colunt, & qui ante non interrogabant, iuxta Domini verbum, quæsierunt: inuenerunt qui

Esaie. 65. non quæsierunt, &c̄. Legat pius lector de matre Ecclesia toto orbe diffusa, Augustinū Epistol. 39. EXCVTITE ergo lachrymas Christifideles, nolite desperare illis deploratissimis temporibus, meliora vobis S. E. de se promittit & pollicetur. Oportet esse scandalū & hæ-

Ioan. 14. reses, sed væ væ per quem scandalum fit. Quis iam non dixerit, Summam veritatem hæc induratis (qui mentem suam, supremam hominis speculam, à suo creatore abalienarunt) prædixisse? Auferetur (inquit Dominus) à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus

Deutero. 32 eius. Et alio in loco. Castigabit te defectio tua, & malitia tua arguet

Ierem. 2. te. Et iterum. Miluus in cælo cognouit tempus suum, turtur & hirundo & ciconia custodierunt tempus aduētus sui: populus autem meus

Ierem. 8. non cognouit iudicium Domini. Et idem. Hæc dicit Adonai Dominus: Eo quod mei oblitus es, & abiecisti me post te, etiam tu accipe impietatem tuam & malitiam tuam. Et Ieremiæ 2. capite. Obstupuit cælum super hoc, & inhorruit supra modum vehementer, dicit Dominus: quia duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt

fontem

fontem aquæ viuentis, & foderunt sibi lacus contritos, qui non potuerunt aquam continere, &c. An verò Iudæis tantùm illa prædixit? ita quidem. Sed interim non veretur & hoc omnibus minari gentibus apostaticis. Iustus est in induratos, Pius verò plastes in simplices & prudentes, qui Ethnicos (opus manuum suarum) minimè vult excludere. Quapropter dicit. Habeo alias oues & illas adducā. Et psalmo 17. Λαὸς ὃν οὐκ ἔγνων ἐδούλευσέ μοι, εἰς ἀκοὴν ὠτίου ὑπήκουσέ μου. Et Hesaiæ cap. 65. Ecce ego, ecce ego ad gentem quæ nesciebat me, & quæ non inuocabat nomen meum. Et Actor. 13. Paulus & Barnabas dixerunt. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes, sic enim præcepit nobis Dominus. Et alio in loco. Dominus. Et dicam (inquit Dominus) non populo meo, populus meus es tu, & ipse dicet, Deus meus es tu. Et Ecclesia canit: Te per orbē terrarum sancta confitetur Ecclesia. Et denuo eadem occinit,

Id est, populus quē non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.

Osee 2.

A solis ortus cardine,
Adusq; terræ limitem
Christum canamus Principem
Natum Maria virgine.

Ex Sedulio.

Et Esaias cecinit capite 60. Filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Sed filij isti vnde venerūt? venerūt ex omni natione, quę sub cœlo est, ab Indis, ab Gadibus, à Thracibus, à Gotthis, à Scottis & Hybernis, &c. Atq; vt paucis multa dicā. Prius vocati sunt Pharisæi, sed quando respuerunt (peccatum enim voluntatis est) deuolutū est Sceptrū Iuda (incarnati verbi efficacia) ad omnes gētes, Apocalypseos 7. cap. Statim natus, Orientales reges sibi cōciuit. Math. 2. Idem etiā Romanorū prȩsides & tetrarchas nō repulit. Acto. 10. Cananęos itidē recepit, Math. 25. Pastoris quoq; vox est: Amen dico vobis, quòd multi veniēt ob oriēte & occidēte, & discūbent cū Abrahā, Isaac & Iacob in regno cœlorū, Matth. 8. Lucas addit cap. 13. à Meridie, & Septentrione. Cuius meminit D. Augustinus (cōtra Epistolam Parmeniani lib. 1. cap. 2.) dicens, Sedēt in cathedra (Ecclesiæ Romanæ) totus orbis christianus in trāsmarinis, & lōgè remotis terris subiectus est, &c. De vocatione gentiū mentionē facit Actuū Apostolorū liber, cap. 6. itē, Math. 28. Rom. 3. Ephe. 3. Gala. 1. Collos. 1. Actor. 9. 11. 13. 18. 28. 1. Petri 4. Romano. 10. 15. &c. Sic etiam se habet typus Ecclesiæ. Respice (dixit Dominus Abrahæ) stellas cæli, Coh y heie Zarecha, hoc est, sic erit semen tuum: Superat igitur arenam maris, filiorum S. E. numerus, Roman. 4. Psalm. 138. Sequitur ergo S. R. E. esse magnam & diffusam, quæ, vt in vnico,

S. E. auctus non desinit.

Matth. 8. Marci. 1. Lucæ. 5.

 &eo

& eo frigido orbis angulo (vbi nihil nisi crapula atque adeo libido, & cætera hoc genus vitia dominantur) efflorescere desinit: ita in toto orbe terrarum reflorescere incipit. Quapropter meritò tot homines Latinos, Græcos, Indos, Christifideles Germanos, Orientales, Occidentales, Meridionales, &c. tot inq̃ chiliades seu Myriades sanctorum triũphantium & militantium, teretẽ mundi circulum, vobis Hussitis præferimus. Eant ergo nunc carnales illi Elimasitæ, ac ὁμοζέται, & iactitent se habere multos fautores dogmatum, ingentes vires seu accessiones (habuit autem etiam immensum sodalitium Samaritanus, Lentulus, Cethegus, Statilius, Catilina, Arrius) & vltimum Thule, quid verò Thyle? quantilli æstimanda ad S. R. E. collocationem? Scriptum est, Ecclesiast. 14. Væ vobis viri impij, qui deseruistis legẽ Dei: Licet enim multiplicemini, peribitis: & si nascimini, in maledictionẽ id fiet: & si obieritis, in maledictionem diuisi eritis. Et Paulus ait, Galat. 1. Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Sed hominibus placet apostaticus, quoniam votum, confessionem, ieiunium, macerationem car-

Pœnitentiã tollunt apostatici.

nis, cælibatum, &c. tollit, quod tamen Paulus sedulò inculcat, sed quia carnalis est præco, carnales homines in suum rete traxit. Neque igitur seruus Christi (inescans & dementans) esse potest. Sed nolo vlterius progredi, quid velim candide lector facilè colligere poteris. Pereant itaque Apostaticorum nugacia sophismata, deliræ impietates, indoctissimæ torsiones, ac violentæ sacræ scripturæ expositiones: homines, ita me dij ament, & cælo & terra indigni. Cæterùm non existimandum est, amplitudinem Ecclesiæ ex copia populorum innumerabili, & ex terræ climatibus seu oris multis pendere, sed ex fidei, spei, & charitatis synceritate & ardore:

Catholica veritas refulget in S. R. E. V.

Tot enim Ecclesias seu accessiones tantis locorum & temporum interuallis sibi distantes, docuit hactenus vnus Spiritus sanctus paracletus, consentiunt enim sibi Ecclesiæ, Et quod Thrax, hoc Sarmata, hoc Indus, hoc Græcus, hoc Latinus, hoc vel extremus Britannus, cum semotioribus, habent. Vnum credit Ecclesia, vnum sapit, vnum desiderat, in vnitate tenetur. De qua scriptum

Actor. 4. Psalm. 67. Psalm. 132.

est. Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. Et iterum. Qui facit vnanimes habitare in domo. Et alibi. Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Domus inquam, ampla est Ecclesia Christiana, quæ à Solis ortu vsque ad occa-

S. R. Ecclesiæ domus ampla.

sum, vnius fidei splendore diffunditur, ex omni tribu, lingua, populo & natione collecta, hæc omnium capax est, omnes peccatores verè pœnitentes recipiens: De qua domo, Geneseos 28. 2. Regum 7. 3. Reg. 8.

3.Reg.8.Psal.25.83.Esai.5.56.Agge.1.2.&c.Cum è Diametro tumultuaria Ecclesia hypocritica(vt infra docebimus)sit idea Platonica,belua tricorpor Chymæra,Scylla latrans,& ex dentibus serpentinis nata.Non diffusa,sed in angulo,sed in multas scissuras (vt dicturi sumus)distracta,sanguine plena, ferro flammaq; omnia miscens, defectuosa,diuisa.

Syon mons, S. E. habet significationem.

ἀλληγορικῶς Syon har Kodes,Ecclesiā significat.Rursus illa eadem S. E. militans,Zion,id est specula,dicitur,id quod & Hebraici paraphrastes admittunt.Primò,Quòd ab ea gloriā Domini à lōgè speculamur,istud attestāte Paulo,vbi ait. Nos verò omnes reuelata facie gloriā Domini speculantes,in eandē imaginē trāsformamur, à claritate in claritatē,tanquam à Domini spiritu.Secūdò.Quòd ab ea insultus hostiū prȩuidere debeamus,sicut Hesaias ait,capite 21.Super speculā Domini ego sum,stans totis noctibus,videlicet in prosperitate,in aduersitate,& extremis miserijs.Tertiò. Quòd paranymphus (qui θεάτροπ@- καὶ δύναμις est)à longè veniēs,& ab ea speculatur.Et Baruch quinto capite ait.Exurge Hierusalē,& sta in excelso,vt circūspice ad Orientem.In hūc igitur montē ascendamus.Quomodo ascēdimus?Contēptu rerū terrenarum,desiderio vitæ cælestis.Ibi post longas errorum ambages, post infrugiferas rerum humanarum curas delassati,inueniemus nidum.

Hoc est,mōs sanctus.
2.Corint. 3.
Hoc est, potestas & virtus altissimi
Mōtem Sion quomodo ascendere debeamus.

S. E. Stella.

Nec immeritò S. R. E. stella seu asteriscus nūcupatur, istud cōfirmante D.Iohāne in Apocalyp.lib.cap.2.Hęc dicit(inquit) qui tenet septē stellas in dextera sua,id est,sanctam Ecclesiā septiformis gratiæ Dei prælucentem,Esai.11.

S. E. terribilis dæmonibus.

Eadē S. R. E.terribilis dęmonibus est.Primò.Propter terribilē insignitionem,sicut scriptū est.Figam vexillū in loco fideli. Et iterum, Pauebit Assur virga percussus. Altero modo terribilis dæmonibus est. S. E. Propter mirabilē conseruationem Sacramentorum, & suauem iubilationem,vt Hieremias ait.Vocem terroris audiuimus.

Hesaiæ.12.
Esaiæ.30.
Hierem.30.

S. E. Arma.

ECCLESIA autē,non armis secularibus vincit aduersarias potestates,sed armis spiritualibus(doctrina,lachrymis,& oratione)quę sunt fortia Deo ad destruendas munitiones & altitudinem nequitiæ spiritualis,inquit D.Ambrosius de viduis.&c.Neq; enim apud Ethnicos magni æstimatur,sanguine sibi laudem parare,canente poëta.

Nolo virum, facili redimit qui sanguine vitam:
Hunc volo laudari, qui sine morte potest.

Sed audiamus D. Bernardum, is de hac materia in hæc prorumpit verba, de conside. lib. 4. Dicentibus Apostolis (inquit) Ecce duo gladij hic, non respondisset Dominus, satis est, sed nimis est. Vterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & materialis, Sed is quidem pro Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia exercendus est. Ille sacerdotis, is militis manus, sed sanè ad nutum sacerdotis, & iussum Imperatoris, hæc ille. Sed quibus telis conficiēdi sint, rogas? Audi breuibus. Satis catholico fuerit, publicam Ecclesiæ consuetudinem, vel traditionem Apostolicam, vel generalem aliquam Patrum synodum, seu quempiam approbatum interpretem, adducere. Istis enim (vbi scripturæ defuerint) confodiendi sunt. Neq; semper adferre scripturas licet, neq; quum afferuntur, cedere nos decet illorum interpretationi, nisi quatenus Patribus conueniat orthodoxis. Ecclesia cui credimus, & in qua Spiritum sanctum residere non ambigimus, columna nobis est (vt Paulus ait) & firmamentum veritatis.

Lucæ. 22.

Duo gladij in S. E.

Quibus telis hæretici confodiēdi.

S. R. E. TYPVS VINEA.

Eadem S. R. E. nouelleto comparatur, quoniam nunquam sterilescit, Malach. 3. & Psalmographus regius canit, psal. 79. Vineam ex Aegypto transtulisti & plantasti, radices & arbusta eius, & replesti terram, operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei, extendisti palmites eius vsq; ad mare, & vsque ad flumen propagines eius, & alio in loco Scriptura. Vinea facta est dilecto in cornu in loco vberi & macerie, circundedi & circunfodi vineam Soreth, &c. Vinea illa dedit fructum suum in copia. Hanc supplantauit Maschiah & Adonai, qui est Christus Domini, hanc cruore suo irrigauit. Vinea illa, maxima copia fructuariorum palmitum, spem pollicetur certam, licet hactenus malignè successus in Germania responderit. Vinea inquam illa Domini, hactenus indissolubilis permansit, solida authoritate perpetuæ stabilitatis fulcita est. Hanc, Vniuersæ conditor Creaturæ, tanta complectitur charitate, vt nullus spiritus tempestatis, neq; procella, aduersus eam præualere possit. Vinea illa exoticis ampelis viticulisq; non conseritur, nullum peregrinum seminarium aliundè in hoc nouelletum infertur, respuit peregrinas vites. Agricolæ nutu per se huberes, pulchros, dulces, atq; perpetuos fructus profert. Illam elegit S. E. Sponsus, hanc omnigenis charismatibus fœcundauit, hæc sterilescit nunquam. In hac vinea, vnanimi consensu & coniunctissimo animo, Apostoli gentibus prædicarunt Christum:

Esaiæ. 5.

Christū: Ad hāc sanctissimam illam concionē,(qua gens Christigena arcano nexu coit)fortis fidei agonista, primus Ecclesiæ Christi antistes, fideliter cohortatus est. Hæc ab Apostolis accepta, illibatè custodierunt antiquiores Patres nostri, adusq; sua tempora, id quod Irenæus Lugdunensis(anno 185. sub Commodo, Seuero.)atq; hunc secutus Augustinus, factum esse ingenuè fatentur. Cæterùm de vinea Domini. Vide Hiere.2.12.Matth.10.Luc.13.Mar.12. Sed qui sunt agricolæ, quibus Vineam locat Dominus excolendam, nisi sacerdotes? ad gloriam quidem, si diligenter vineam Dei, id est, populū eius tractauerint: ad periculum autem, si negligenter, inquit D. Chrysostomus, in Matth. homil.40. &c.

S. E. CAELVM ELECTORVM.

Eadem S. E. cælum dicitur: Id confirmat D. Gregorius,(Moral. lib.30.cap.24.)dicens. Cælum S. E. vocatur electorum, quæ ad æternam contemplationem sublimatur, surgentesq; ab infimis cogitationum tumultus premit: atq; intra se Deo quoddam silentium facit. Quod quidem silentium contemplationis, quia in hac vita non potest esse perfectum factum, dimidia hora dicitur. Eadem inculcat D. Augustinus, dicens. In Ecclesia incarnationis Christi mysteria patefacta sunt, vnde ostenditur Ecclesia cælum esse, hæc ille, super locum Apocalyp.cap.12.&c. Apo.8.& 12

S. E. *Ciuitas supra montem.*

Eadem S. R. E. ciuitati supra montem haud immeritò comparatur, quæ nequaquam potest abscondi, cuius meminit Psalmographus, dicens. Gloriosa dicta sunt de tè ciuitas Dei. Hæc licet sit parua, vt est apud D. Hieronymum in Ecclesiasten.cap.9. & in ea pauci, ad cōparationem mūdi totius, aduersus quā sępe consurgit rex magnus diabolus, non quòd magnus sit, sed quòd se magnum iactitet, & circundet eam obsidione, siue persecutione, siue alio angustiarum genere, tamen firma est. Quod & idem Hiero. probat in Iesaiam ca. 27. citans illud in Cantico Canticorum. Filij matris meæ pugnauerunt aduersus me, & loquitur: Ego ciuitas firma, ciuitas, quę oppugnatur. Nempe ciuitas non super harenam, sed super petram firmissimam fundata, &c. Huius ciuitatis promontorium Christus est, cuius veritati, tanquam fundamento, quod conuelli non potest, S. E. fides innititur: Hinc V. Beda. Ciuitas hæc(inquit)in monte olíueti posita esse refertur, vt Ecclesiam per gratiam sui conditoris saluandam esse designet, qui nos vnctione spiritualium charismatum, & scientię Psalm. 16 Diabolus rex magnus

 pietatisq;

pietatisq; perpetua luce refouet,&c. Atque vt hæc ciuitas Dei, ita Babylon ciuitas est diaboli, toto orbe terrarum diffusa, in qua omnis immunditia in hominibus malis per totum orbem commoratur.

Ciuitas diaboli.

S. E. ardens rubus.

Eandem S. E. D. Hieronymus ardenti rubo & non comburenti comparat, in lib. de 42. mansionibus, ad Fabiolam. Quid igitur in typo notat rubus, quem Moses visus est ardere, & tamen neque re vera arsit, neque combustus est? certe nihil aliud, quàm arbuscula parua, aspera, & florida: parua quidem, in initiali Ecclesia, aspera, per pœnitentiam: florida, quoniam à solis ortu vsque ad occasum sese diffudit. De Rubo vide, Exod. 3. Deutero. 33. Marc. 12. Luc. 6. 20. Act. 7. &c. inflammatur ergo S. E. persecutionibus, sed loquente Domino non perit.

Rubus non combustus S. R. E.

S. E. Turris fortissima.

Hæc facit iudicium pupillo & viduæ, amat peregrinum (verè pœnitentem) & dat ei victum atque vestitum. Turris fortissima, ad ipsam currunt pij & exaltantur. Arx inquam munitissima, quę impugnari quidem potest, expugnari & deleri nunquam, geminæ enim gigas substantiæ turriger sedulò inuigilat.

Deutero. 10 Prouerb. 18.

S. E. scaua velinola Petridos.

Eadem S. E. R. nauis seu flata dicitur, quoniam Petri est, in qua Christus (quem Sybilla Erythræa παντεπόπτην credidit) est. Licet illa in huius mundi pelago, passim turbinibus ita agitetur, vt aliquoties ferè videatur (est enim ad miserias & labores ab æterno prædestinata, Periclitata est arca in cataclysmo, & hodie periclitatur Ecclesia in mundo) obrui, nunquam tamen supprimetur, vexabitur quidem & infestabitur per hæreticos, per scismaticos, per Turcas & Iudęos, denique per caput omnium hypocritarũ (Antichristũ) impugnabitur sed non excindetur, Christus enim verus Nauarchus & limenarcha malatiã offerens, inuigilat. Manebit igitur inęternum, quia regnum Christi perpetuum est. Ecclesia (ait Ambrosius, Hexa. 4. cap. 2) videtur sicut luna deficere, sed non deficit, obumbrari potest, deficere non potest. Hæc inquam, licet crebris ventorum fluctibus .i. tentationũ plagis & verberibus fatigetur, tamẽ nunquã potest sustinere naufragium, quia in arbore eius .i. in cruce Christus erigitur: in puppi residet pater, residet gubernator, casteria quæque S. E. reseruans, Mar. 4. Proram paracletus seruat Spiritussanctus, hanc per angusta huius

S.R.E. cym.

Id est, omnia pascẽtẽ.

S.E. stabilis non patitur naufragiũ.

huius mundi freta, duodeni in portũ remiges ducunt, i. duodecim Apostoli, & similis numerus Prophetarum. Quis iam S. E. cessaturã dixerit? quis ruituram? Cælũ & terra, (inquit Theophilactus super locũ Luc. 21.) quo ad generationes, cessabunt & mutabuntur, fides autem non deficiet. Hæc S. E. cum Syrtes, Scyllas, Charibdes (Cyaneę olim dictę.) Symplegades, tot infesta maris pericula, & tempestates (quibus nihil tristius & horribilius) colligit, ad portũ tẽdit salutis. In hac cymba abest perfidia, fides in illa prosumia adspirat. In hac naui Dauid intense orauit Dominum in spiritu, dicens. Spiritus tuus bonus deducet me in terram. In hac, quomodo oporteat te conuersari, depingit Paulus, 1. Timoth. 3. ô quàm celebris lembus, quem cęli cælorum non capiunt, Nauis illa portauit. Fugiãt ergo catholici myoparõnes scismatarchas, fugiant inquam Caccidiabolos piratas, qui exoticis opinionibus, mentes mortalium (animas) per cæca & cænosa vada, in æternum abyssum auehunt. Pudeat inq; poetas de cymba Deucalionis, & de rate Argonautarũ tempus insumere, Cedat & arca Nohemi. Nec reticendũ hic. S. Ecclesiã (quã Christus IHESVS omnigenis charismatibus fœcũdauit) cõstare, ex Iudęis & gentibus, idipsum enim adũbrant 2. nauiculę quę Petri sunt. In naui illa pręcipua merx est verbũ Dei, quod est panis vitę, quod ære nõ vęnit, Esai. 55. Matth. 10. Prope est hic cibus omnibus catholicis Christifidelibus, Deutero. 30. Romano. 10. Nec est quod existimes, S. E. esse authorem & caput verbi, sed quod sensus verbi sit verus & genuinus penes Ecclesiam, cuius efficacem dispensationem illa habet: verùm hæc prolixius quàm patitur præfixum tempus.

Syrtes dictæ sunt ἀπὸ τοῦ σύρω, id est traho.

Psalm. 142.

Psalm. 130.

Luc. 5.

S. E. Macrocheira inconsutilis.

Eadem S. R. E. inconsutilis exomis seu læna Domini non immeritò dicitur: Pro qua seruanda Christus corpus exposuit. Cuius meminit D. Augustinus, in libro de hæresibus, hisce verbis in persona Christi prorumpit. Caput meum spinis opposui, lancea latus meum aperuit, tot non dico iniurijs, sed asperitatibus laceratus sum, sanguinem meum fudi, animam meam posui vt mihi coniungerem te, & tu me diuidis? & paulò post: Erubescite tandem impij, tunicam (Catacliстam) hominis iam iudicati in cruce pendentis, Pilati neopolemi non sunt ausi conscindere, & vos conamini charitatem hominis in cælo sedentis, imò regnantis cum Deo, diuidere? &c. De mysterio autem quadripartitæ vestis loquitur idem S. Augustinus (tractu 11. in Ioannis Euangelion) dicens. Quadripartita vestis Domini nostri IHESV CHRISTI, quadripartitam figura-

Vestis incõsutilis, refert S. E. vniuersalitatẽ & vnitatem.

A verbo κατακλείω *quod significat claudo.*

Vestiũ Christi quadripartitio.

figurauit Ecclesiam, toto scilicet qua, quatuor partibus constat, terrarum orbe diffusam, & omnibus eiusdem partibus æqualiter, id est, concorditer distributam.

S. E. Gyne parthenias.

S.E. Virgo & mater. Nec reprehenduntur, qui S. E. mulierem virginitatis, & matrem immaculatam dicunt. Hinc Ambrosius (lib. 1. de virginibus) inquit: Virgo est castitate, mater est prole: parturit itaq; nos virgo, non viro plena, sed spiritu: parit nos virgo, non cum dolore membrorum, sed cum gaudijs angelorum: nutrit nos virgo, non corporis sed Apostoli, &c. Eadem rememorat Augustinus (lib. de sancta virgine cap. 2.) dicens. Ecclesia virgo & mater est, cuius prolem alloquimur, si mater non est? Et alio in loco D. Hieronymus (lib. 2. aduersus Iouinianum) ait. Sponsa, soror, mater, & quæcunq; alia putaueris vocabula, vnius Ecclesiæ congregatio est, quæ nunquam est sine sponso, fratre, filio, &c. Vnam habet fidem, nec constupratur dogmatum varietate, nec hæresibus scinditur, virgo permanet, quocunq; vadit agnus sequitur illum, Sola nouit Cãticum Christi: merito igitur mater est, quia compatiens: imo tanta ac talis mater hæresin tantum superans, quãtum muscam & bupestrem Phœnix auricolor excellit, & porphyrio, quantum luto præstat aurum, & vmbræ corpus. Merito item virgo, quia quæ mater est populis, virgo est sacris, & quæ aliquãdo meretrix erat, iam virgo est. Vnde Ambrosius in lib. de Salomone, cap.

S. E. meretrix quomodo. 5. Meretrix (ait) ista Ecclesia & typus est aliquando in gentibus constituta, idolorum cultibus vitiata, quam vanæ superstitionis stupra polluerant, quam falsorum deorum adulteram fecerat multitudo, lasciuosq; ac turpes incompositis motibus saltus nemorũ & lucorum inculta lustrabat, dedita luxuriæ, pompæ gentilium mãcipata. Hanc postea quam Dominus noster Ihesus Christus puro baptismatis fonte perfudit, ablutionem & criminis accipit & nominis per gratiam

S. E. nõ permansit meretrix, sed fuit. fidei, post meretricem fit virgo, quia vni se destinauit sponso. Et quæ olim ante aduentum Christi sterilis erat, iam resecans vitia (posteaquam iustitia de cælo prospexit) fœcunda reddita est; hinc Paulus, Galat. 4. Lætare (inquit) sterilis, quæ non paris, erumpe & exclama, quæ non parturis. Sed hæc S. E. quæ sterilis olim dicebatur, quo pacto fertilis facta ac reddita sit, Hieronymi testimonio probatur in Epistola ad Galatas, cap. 4. Hæc S. E. fœtosa quondam in liberis fuit,

S.E. sterilis quomodo. sterilis verò S. E. sine viro Christo, sine vllo sponsi sermonis alloquio diu iacuit in deserto. Sed postquã accepit illa librum repudij in manus suas, & omnia ornamenta viri in idoli vertit ornamentum, tunc

maritus

maritus priore cingulo putrescente, alium lumbis suis baltheũ, aliud de gentibus lumbare cõtexuit, quę statim vt est viro iũcta, cõcepit & peperit. Et in Esaia exclamat Dominus per Prophetam: Si est gens nata simul quando vna die, in actibus Apostolorum, tria millia & quinque millia hominum crediderunt. Nec puto necesse vt de multitudine Christiana, & de Iudæorum paucitate dicamus, cum in toto mundo crucis vexilla resplendeant, & vix rarus atque notabilis in vrbibus Iudæis appareat, hæc D. Hieronymus. Eiusdem materiæ meminit D. Ambrosius lib. 2. de Abrahamo patriarcha, ca. 10. Qui vtriusq; rationem reddit in cõparatione Agar & Sara. Item D. Cyprianus in 2. libro, aduersus Iudæos, &c. Nec obiter hic pio lectori celandum S. R. E. multiplicem esse partum. Quorũ alij renascuntur per baptismũ. Alij per pœnitentiã. Alij per votũ, pars per ordinationẽ. Postremi per martyriũ. Hęc itaq; S. mater E. naturali ad hoc adfectu instigãte, alũnos suos ad bene beateq; viuendũ ducit, plerũq; semper sua beneficia & merita, premiaq; proponit. Nos in illius aluo foti sumus & inde nati. hic militamus spe, triũphabimus re, vtrũq; in veritate posidebimus. Quis iam nõ dixerit S. E. matrem & matricẽ nostram meritò spõsam vocari, quæ Christo spõso copulata est? de quo sancto spirituali connubio, Apostoli sunt procreati, qui lugere non possunt quãdiu sponsam in thalamo vident, & sciunt sponsum esse cum sponsa. Quando verò (inquit D. Hieronymus) transierint nuptiæ, & pasionis ac resurrectionis tempus aduenerit, tũc sponsi filij ieiunabunt, hæc ille. Multiplex S. E. partus.

Causæ remanendi in S. E.

Iam verò quis obiecerit, quid fidelem alumnũ in S. E. gremio iustißimè tenere poterit? Hic respõdet Augustinus (aduersus Epistolã Manich. cap. 4) dicens. Tenet me cõsensio populorũ, atq; gentiũ. Authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, &c. Postremò ipsum Catholicę nomen, quod non sine causa, inter tam multas hæreses sola obtinuit.

S. E. Caput Christus.

S. R. E. caput esse Christum, confirmat Paulus dicens. Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus κεφαλὴ S. E. Et idem alio in loco. Viri caput Christus, caput autem mulieris vir, Caput verò Christi Deus est. Eiusdem meminit Diuus Augustinus (Episto. 50. ad Bonifacium de moderatè coercendis hæreticis) dicens. Ecclesia catholica sola corporis Christi est, cuius ille caput est, saluator corporis sui. Ephes. 5. 1. Corint. 11.

Extra

Extra hoc corpus neminem viuificat ſpiritus ſanctus,&c.Et quemadmodum Chriſtus caput,fundamentum,& præcipuus architectus eſt S. E. Sic nos pariter huius membra ſumus, 1.Corinth. 12. Epheſ. 2.& 4. Colloſſ.1.& 3. Nec reticendum,Thalmuthiſtas (aliàs Thalmudicaniſti ſeu Kalmuſerani) ſimili modo ex Hoſea vocare Meſsiã caput populi ſui,verba prophetæ ſunt,veſa mu lahem Roſch Ehad, hoc eſt,conſtituent eum vnicum caput.Et iterum. Meſsias caput in Ieſrahel eſt futurus.

Hoſee.1.

S. E. loquitur Chriſtus multis modis.

Monet autem dilectus S. E. ſponſus,alumnos in ſinu Eccleſiæ conſtitutos varijs modis. Alios,per prædicationes trahit,alios vitæ exẽplo,alios beneficij largitione.Cæteros per inſpirationes,reliquos per flagella.Monet inquam,vt obliuioni patronos penates, Palm. 44. vocat ad ſe,Matth.11.vocat ab omni Eidololatria. Ioan. 8. vt verbum audiant,Matth.17.vt verbum cuſtodiãt,Ioan.8.vt ingenium ſancti ſpiritus (per quem renati ſunt)teferant, Ioan.3. Colloſſen. 3. 1.Pet.1.vt veſtigijs ſuis inſiſtant,& bonis operibus ſtudeant,Matth. 5. Luc.1.Errant ergo fœdè recentiores noſtri ſolifidenſes, qui ſolam fidem iuſtificare ganniunt.Dicet enim non ſignatis,Ite in ignem æternum: Nudus fui, & non me contexiſtis,vagus,& non me collegiſtis.Hic in proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter ſartagines flammeas miſerabilia corpora cremabunt.Niſi ergo Euangelion factis expreſſerimus,parum nobis proderit,Matth.6.7.Hebræ.6.10. hinc ſcriptum legimus,Pſal.30.Sur me Ra,Va Aſe Tob.hoc eſt,declina à malo,& fac bonũ.Sic Demoſthenes interrogatus,quid homo ſimile Deo haberet,dixit: Benefacere,& vera dicere.Non dicere,ſed eſſe,facit beatum,hæc extra limites.

Iuſtitia ex opere bono æſtimatur.

CHRISTVS IHESVS, quomodo in medio S. E. ſit.

Dixit Gamaliel Iudæis,Actor.5.Si ex hominibus conſilium hoc aut opus,diſſoluetur.Si verò ex Deo eſt, non poteritis diſſoluere illud,ne fortè & Deo repugnare videamini. Eſt ergo dilectus ſponſus in ſua S. E.ſicut teda ſeu lampas,vt eam illuminet.Et ſicut cor in medio corporis,Sic vnicus omnium chariſmaton author Chriſtus, cor eſt totius Eccleſiæ,fons ſcilicet caloris, à quo diſtinguitur calor vitalis in membris,iſtud confirmante Salomone, cum ait. Omni cuſtodia ſerua cor tuum,quia ex ipſo vita procedit.Sic fuit in medio latronum in cruce,Sic in medio ſuorum diſcipulorum, Sic in medio doctorum,&c.

Prouerb.4.

In S.

In S. R. E. tria hominum genera. Intellectus iactatissimæ sententiæ.

Tu supplex ora, tu protege, tuq; labora.

Supremus locus clericorum est(à κλῆρος, latinè sors vel hæreditas, 1.
sunt enim de sorte Domini,& partem Domini habēt) quorum fun-
ctio est(vt alibi diximus)illuminare S. E. istud testante Psalmogra- Ecclesiastica functio.
pho,cū ait,Reuela oculos meos & cōsiderabo mirabilia de lege tua. Psalm. 118.
Quibus clericis,Christus(daduchos)Ecclesiasticam functionem,insi-
nuans hæc sequentia committere voluit. Clama (ait Dominus) ex
gutture,ne parcas.Exalta instar tubæ vocem tuam , & annuntia po-
pulo meo præuaricationem suam , & domui Iaacob peccata sua. Et Esaiæ. 58. Roman. 8.
te quidem fili hominis institui speculatorem domui Israēlis , vt au-
dias ex ore meo verbum,& disertè moneas eos ex me. Cum dixero
impio tu certè morieris : Tu verò non fueris locutus vt disertè mo-
neas impium,vt discedat à via sua,ipse impius in iniquitate sua mo-
rietur,& sanguinem eius de manu tua requiram : si verò tu disertè
monueris impium à via sua vt ab ea discedat,is autem à via sua non
conuersus fuerit,ipse in iniquitate sua morietur,tu verò liberasti ani
mam tuam, &c.

SECVNDVM locum obtinet toparcha(ἄρχων grecè, princeps la 2.
tinè,quasi primū caput,seu primū locum tenēs:Greca veritas eos vo
cat satrapetis,respōdens originali hebraico,quod habet Sarnim siue
Sarne,quod principē significat.)Principē autem(sub qua vocula om
nē magistratū secularem intelligo) esse necessariū,rationibus quibus
dā colligitur.Salomonis preclara est sententia,vbi inquit: vbi nō est
gubernatio,dissipabitur populus.Magistratibus(ait Cicero 3.de Le-
gibus)opus est,sine quorum prudentia ac diligentia ciuitas esse non
potest,quorū descriptione,omnis Reipublicæ moderatio continetur,
neq; ijs solum prescribendus est imperādi, sed etiā ciuibus optēperan
di modus.In hoc ergo ordinatus magistratus à Deo,vt insontes defen
dat,perfidos puniat,omnia ex præscripto faciat,missus ad vindictam Magistratus officiū.
malcuolorum,laudem verò bonorum,iuxta illud.Parcere subiectis
& debellare superbos.Hinc scriptum legimus , Exodi 22. Maleficos
non patieris viuere.Iā verò quis ignorat,Saulē peccauisse & è regno
deiectum fuisse,propterea quòd non occiderat Amalechitas? Sic di- 1.Reg. 15.
dū fuit regi Israel:Quia dimisisti virū dignum morte,erit anima tua 3.Reg. 20
pro anima eius.Et Exo.12.Dixit Moyses ijs,qui occiderant Eidolola
tras. Hodie consecrastis manus vestras Domino vnusquisq; in filio
suo,& in fratre suo,vt detur vobis benedictio,&c.Iusto igitur nō est 1.Timoth.1.
imposita lex;sed iniusto,& nō subditis,verùm impijs,sceleratis & dis
solutis transgressoribus.Sic Barrabbas,seditionem mouens in car- Math. 27.

ceres coniectus eſt. Sic Catilina, &c. Eiuſdem generis ſunt hiſce recen
tioribus temporibus, qui nolũt myſtarũ obedire imperio & votis, vt
In quos animaduertendum ſit. Deuteronomius (ſecũdaria lex) præcipit. Qui contumaces ſunt, ac a-
pertiſsimè ſcelerati: qui catholicos pios magiſtratus, & illorũ grauiſ-
ſima edicta cachinno excipiũt, id quod palã Domini mãdato relucta
tur, cũ ait. Reddite quę ſunt Cęſaris Cęſari, & quę ſunt Dei Deo. Hęc
autem ſunt Cæſaris, (inquit D. Hieronymus) nũmus, tributum, & pe
Math. 22. Mar. 12. Lucæ. 20. cunia. Dei autem ſunt decimę, primitiæ, oblationes & victimæ. Nu-
miſma Dei homo, numiſma verò Cęſaris, aurũ, &c. Pręſliterũt ſe obe
dieteis Cęſari Auguſto, Ioſeph & benedicta virgo, & nõ reprehẽdun-
Deutero. 21. tur: nã & lex ipſa dicit, reges & regna Dei eſſe ordinatione, id quod af
firmant Apoſtolicę duę oliuæ, Rom. 13. 1. Pet. 2. Omnis ergo qui ſeſe
imperio pioque magiſtratui (in pijs negotijs) ſubdit, Dei ordinationi
ſeſe ſubmittit. In Principibus enim illuſtrior eſt Dei potẽtia quàm in
hominibus priuatis atq; plebeis. Et Chriſtus IHESVS, (vt dilucidi-
us loquar, & cuius actio eſt noſtra inſtructio) in ingreſſu, progreſſu &
egreſſu vitæ, cõfirmauit imperiũ: Tẽpore enim aduentus ſui, per ip-
S. R. Imperii maieſtas à Chriſto cõfirmata. ſum Cęſarẽ mundum totũ pacauit, & recẽter natus, tributũ Auguſto
perſoluit. In progreſſu verò, verbo docuit, Cęſari eſſe obediẽdum, &
tributũ perſoluendũ, dixit enim Math. 22. Reddite, &c. Et Math. 20
Scitis quia prĩcipes gentiũ dominãtur eorũ, & qui maiores ſunt pote-
ſtatẽ exercẽt in eos. Nõne & opere etiã cõfirmauit? quis neſcit Chriſtũ
Math. 17. ꝓ ſe & Petro tributũ Cęſari perſoluẽdũ. Sed in egreſſu vitæ, nõne paſ
ſus eſt ſe iudicari ſub Pilato Cęſaris ꝓcuratore? ad quẽ etiã dixit: Non
haberes poteſtatẽ in me, niſi tibi datũ eſſet deſuper, nõ negauit igitur
poteſtatẽ Cęſaris, ſed adeò illã teſtatur. Cũ itaq; Chriſtus ſaluator no
ſter, tã ſępenumero & verbo & opere R. Imperium approbauerit, ne
mo poteſt ſe ꝓpria authoritate ab Imperatoris ſeu magiſtratus obe-
diẽtia ſubtrahere. Doctrinæ autẽ S. Patrum, decretaq; põtificia, quid
doceãt, quid pręcipiãt, ex innumeris ſcripturis pauca ſubiũgã. Sãctus
ille Bethleemites (vt eſt 23. q. 5. regũ officium) inquit. Ipſis autẽ prin
cipibus & poteſtatibus fidẽ & reuerentiã ſeruari oportet, quã qui nõ
exhibuerit apud Deũ pręmia inuenire nõ poterit. Et Ambro. (11. q.
1.) ait. Si tributũ petit Imperator, nõ negamus, agri Eccleſiæ ſoluant
tributũ, ſi agros deſiderat Imperator, poteſtatẽ habet vẽdicatorũ, tol
lat eos ſi libitũ eſt. Et capitulo ſequẽti. Magnũ eſt & ſpeciale documẽ
tum, quo Chriſtiani viri ſublimioribus poteſtatibus docẽtur eſſe ſub
iecti, ne quis conſtitutionẽ terreni putet eſſe ſoluendã, ſi enĩ cẽſum Fi
lius Dei ſoluit, quis tu tãtus es, qui putas nõ eſſe ſoluẽdũ? &c. Innume
ris alijs ĩ locis poſſẽ ꝓbare fidelitatẽ ſubiectionis, & tributi ſolutionẽ,
ſi non

si non omnibus notissima ingererem. NEC VSVM GLADII (iterum dicam) vllo modo Christus, ad cuius comparationē summi monarchę nihil aliud quàm vermiculi sunt) ademit, sed permisit. Quod Ioannes Christi prodromus, satis apertè testatur, dicens. Neminem concutiatis, neq; calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris. Sic nec Centurioni, Eunucho Candacis reginæ, Cornelio, Sergio, gladij vsus sublatus, id quod sacræ scripturæ vberrimè tradunt,. Actor. 8. 10. & 13. Item Psalmographus (de quo dubium, an rex gloriosior, an propheta sanctior fuerit) canit. Benedictus Dominus Deus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Et alio in loco idem Psaltes regius. In chamo & fræno maxillas eorum constringe qui non approximant ad te. Rursusque, Reges eos in virga ferrea, tanq̄ vas figuli confringes eos. Et in vltimo libro Moseos. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israhel, cunctusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia. Et alio in loco (L. 1. F. de iustiti. & iu. L. Si quis. C. de transac. L. 1. C. leg. Iul. repet.) sic scriptum legimus. Iustitiam namque colimus, boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernētes, bonos nō solùm metu pœnarum, præmiorum quoq; exhortatione efficere cupientes, &c. Cæterū de vindicta legitima in impios, videat candidus lector quintum librum Moseos 14. 18. Item, Leuit. 24. 3. Reg. 18. 4. Reg. 2. 2. Iohan. 2. 1. Timoth. 2. Acto. 5. Galat. 4. 1. Corint. 10. Sed & LL. imperiales, & quidem antiquissimæ seriò dānant, & damnatam perpetuò volunt apostaticorum memoriam. MAGISTRATVI autē quatenus obsequendum, vide Paulum Roman. 13. Luc. 20. Matth. 20. 1. Pet. 2. Exo. 22. Acto. 23. Num. 16. Tertullianū in Apologe. cap. 30. 31. 32. Item, quando etiam confidenter resistendum, vide in Eusebio, vbi Polycarpi martyrium prosequitur. Item, apud Basilium de institutione Monachorum, cap. 14. breuitatis gratia hic iam supersedeo. Hodie certè (pace bonorum dixerim) rara est admodum grauitas & legum peritia in prætoribus Pilatistis, quæstoribus, præfectis, & hoc genus magistratibus: prædari, pergræcari, lenocinari, deferre, adulari, deplumare, desquamare, & hoc genus facinora committere, nobilitat, ô impia & stulta panurgia quorundam principum. Nihil differre, principem à bono patre, dixit Xenophon. At quot hodie dynastæ in danistas & sanguisugas abeunt? Qui imperare cupiunt (scribit Iouianus) duo sibi proponere in

[Margin notes: Luce. 3. — Psalm. 143. — Psalm. 31. — Psalm. 2. — Deutero 17. — L. quoniam C. de episcopis & clericis. — Xenophon in li. 8. de pędia Cyri.]

in primis debent: vnum, vt ſint liberales: alterum, vt clementes. Et qui alijs præeſt omnino vacuus eſſe debet affectibus. Rara auis in terris nigróque (pace bonorum) ſimillima cygno. Eſt itaq; boni magiſtratus (inquit Cicero) cum auxilia reipub. labefactari conuellique videat, ferre opem patriæ, ſuccurrere ſaluti, fortuniſq; communibus: ſuam ſalutem poſteriorem ſalute communi ducere, intercludere omnes ſeditionum vias. Intelligere ſe gerere perſonam ciuitatis, eius dignitatem & decus ſuſtinere, ſeruare leges, iura deſcribere, & ea fidei ſuæ commiſſa meminiſſe. Reſiſtere & leuitati multitudinis, & perditorum temeritati. Refrænet primum libidines, iracundiã teneat, ſpernat voluptates, coërceat auaritiam, cæteras animi labes repellat: tum incipiat alijs imperare, cum dedecori & turpitudini parere deſierit. Atq; vt tandem concludam: ab egregio principe tria expectãda ſunt, Sanctitas domi. In armis fortitudo. Vtrobique prudentia. Labor in negotijs, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, concilium in prouidentia.

Pro Caio Rab. — 1. Offic. — Pro Milone — Cic. Para. 5. — Cice. pro lege Manilia

3. Nouiſsimum locum occupat homo plebeus (craſsiſsima, quidem huius orbis pars, ſed ita craſsiſsima, vt tamẽ ad Christi pertineat corpus) maximus magiſter populos, diſsipans glebas agrorũ, & reliqua artificia exercens. Debent illi præſidibus obedientiam, quaſi iudicibus à Deo conſtitutis, in ijs quæ ad ſalutem animarum pertinent. Deinde etiam ſubiectionem, ſunt enim à Deo præpoſiti, Hebræ. 13. Sacerdotum autem fuerit, peruigilare, & rationẽ pro animabus reddere, Eſai. 58. Si quis ergo honorat Epiſcopum, honorabitur à Deo, & qui inhonorauerit eum, à Deo inhonorabitur: ſcriptum enim eſt. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica ſacerdotes. Reuerentiam quoq; debent & honorem tanq̃ patribus ſuis ſpiritualibus. Victum denique & ſumptus, ſine quibus Eccleſiaſticũ miniſteriũ exerceri nõ poteſt, iſtud cõfirmante ſcriptura. Nõ obligabis os boui trituranti: & dignus eſt operarius mercede ſua, &c. Humanã temeritatem in ſacerdotes Dei, anathemate percuſsit Matiſconenſe conciliũ ſecundum, ca. 9. & 15. Studeãt ergo ſinguli (qui animę ſuę ſaluti conſulere volunt) obedientiã S. E. rectoribus & prælatis exhibere: vt ſe filios S. E. veraciter oſtendãt. Atq; vt tãdẽ cũ Ignatio concludã: dignũ eſt omnes obedire Epiſcopo (vnuſquiſq; ſuo) & in nullo ei cõtradicere. Terribile eſt enim tali cõtradicere, nõ enim iſtũ viſibilẽ quis ſpernit, ſed illum inuiſibilẽ in eo contẽnit, qui non poteſt à quoquam contemni. Hic enim non ab homine, ſed à Deo habet promotionẽ. Dicit enim Deus Samueli de contẽptoribus eius. Nõ te ſpreuerũt, ſed me. Nã & Moſes populo aduerſus ſe murmurãti, ait. Nõ enim aduerſus nos

Promiſcuũ vulgus. — Leui. 19. — Eccleſ. 7. — 1. Tim. 5. — Igna. in epi. ad Magneſianos.

nos murmurastis, sed aduersus Dominū Deum. Nemó enim inultus remansit, qui se cótra potiores extulit. Denique in lege Dathan & Abyron Mosi resistentes, viui ad inferos depositi sunt. Sed & Chore, & qui conspirauerunt cum eo aduersus Aaron ducenti quinquaginta igne consumpti sunt. Absalon etiam parricida existens, diuino iudicio arbori appensus est. Sed & cor eius, quod mala cogitauerat, sagittis transfixum est. Nam & Achab & Aman nihilominus propter similem causam morte plexus est. Ozias quoque leprosus factus est, qui cōtra sacerdotes sacerdotium ausus est arrogare. Saul etiam sacrificare præsumens, regali dignitate dehonoratus est, non expectans Principem sacerdotum Samuelem. Oportet ergo etiam subditos reuereri potiores. Exod. 18. Numer. 16. 2. Reg. 18. 3. Reg. 21. 2. Parali. 26. 1. Reg. 13.

Primi ergo duos vltimos ordines instruunt. Medij defendunt. Tertij sustentant duos primos: de tribus illis hominum generibus, mentionem facit Apostolus, 1. Corinth. 12. Et vt summatim perstringam, Principis munus est, digna imperare. Pastoris, digna docere. Populi veró, benè imperantibus ac pia docentibus obtēperare. Sit vnusquisque quod esse debet: sint Pōtifices pōtifices, Christi vicarij, syncero corde gregis dominici curā agētes. Sint principes principes, diuinæ iustitiæ ministri, tanq̄ Deo reddituri rationem. Magistratus bona fide Rempublicam administrent. Monachi perfectionē, quam titulo profitentur, moribus præstent. Sacerdotes noctes ac dies meditentur in lege Domini, quo possint esse sal populi. Qui laici sunt, sint quod dicuntur: non precant, sed reuerenter obtemperent sacerdotibus, fideliter parcant principum legibus, in suo quisque opificio exhibeat suam conscientiam summo illi κορυφαίῳ. Hoc si fieret, s. e. (vt cum Roterodamo concludam) rediret pristina tum dignitas, tum tranquillitas, ad sui sponsi gloriam. S. E. concordia quomodo stare possit.

Excommunicationis Ecclesiasticæ vis & censura.

Excommunicare, est aliquē extra Ecclesiam, i. Christifideliū communionem collocare, & eijcere, illúcque prorsus quasi putridum membrum à corpore Christi excindere. Id quod fit, quum delinquens superbus idemque cōtumax per Apostolos olim, nunc veró per eos, qui Ecclesiæ præsidēt, & potestatē habēt, non solū soluēdi, sed & ligandi, de Ecclesia pellitur, & pro delicto suo à Christi corpore separatur: nimirum, vt notatus ab omnibus erubescat, & conuerso eueniat illi, quod sequitur, vt spiritus saluus fiat in die Domini nostri IHESV CHRISTI. Eijcitur autē (vt sacris proditum est literis) aliquis, ab Ecclesia militante, duobus modis. Primo, à merito per gratiæ substractionem.

Altero modo, à numero (inquit Hugo Cardinalis) per excommunicationem, siue à consortio eijcitur: vt scriptum est, Eijce omnem Elephantia cum extra castra. Et alterū. Eijce derisorē & exibit cum eo iurgium. Etiam eos; suos Paulus, prohibet ne cū ipsis sumamus panē. Et alio in loco, propter ea Christus ait: Noli eum recipere in domo, nec Aue ei dixeritis, &c. Excommunicationis (quæ neruus Ecclesiasticæ disciplinæ dicitur) meminit D. Ambrosius, super psal. 118. Sermo. 8. dicēs: Recte ergo & sacerdos vulnus, ne latius serpat, à toto corpore Ecclesiæ, quasi medicus bonus debet abscindere, & prodere virus criminis quod latet, &c. Sic Petrus, Ananiam & Saphiram pro defraudatione pretij agri non solum excommunicauit, sed sententia mortis damnauit. Sic scriptum legimus: Hæreticum hominem post vnam & secundam monitionem deuita. An non hoc in loco hæretici excommunicantur? Quid obsecro, absque synagogis facere aliud, quàm hominem impium & execrabilem igni & aqua interdicere, nec muniis solum, verumetiam omnium honestorum consortio indignum designare atque conserere? Et quod in veteri lege interfectio, idipsum in Ecclesia (inquit Augustinus, quæstio. 39. super Deuteron.) Excommunicatio. Quemadmodum enim in synagoga, mors temporalis per corporalem animaduersionem infligebatur, ita nunc & in Ecclesia, qui spiritali gladio feriuntur, mortem incurrunt æternam, nisi confestim à pertinacia sua resipiscant. Huic loco suffragatur & D. Cyprianus, (Epistol. 11. libri primi) dicens: Interfici Deus iussit, sacerdotibus suis non obtemperantes, iudicibus à se ad tempus constitutis, non obedientes. Et tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circuncisio carnalis manebat, nunc autem quia circuncisio spiritalis esse ad fideles seruos Dei cœpit, Spiritali gladio superbi & contumaces necantur, dum de Ecclesia eijciuntur. Neque enim viuere foris possunt, cū domus Dei vna sit, & nemini salus esse, nisi in Ecclesia possit, hæc Cyprianus. Sed quare derisor Bullingerus, Lutherus, cæterique huius farinæ consectarij, Excommunicationem setaceum telum blaterant? Quia vident futurum, vt si per excommunicationes cuiquam habenti fidem, auferri possent spiritalia dona, iam non sola fides sufficeret, idcirco student eo hanc potestatem excommunicationis tollere, docentque eas externas tantummodò pœnas esse, nec priuare quenquam posse communibus Ecclesiæ precationibus, aliisque spiritualibus bonis, ad institutum. Non ergò parua excommunicationis censuræ pœna, iuste irrogata, satius esset homini, mille mortis genera subire, quàm suapte culpa in excommunicationis pœnam incidere. Verùm si ab iniquo fuerit illata iudice, nihil illa magis meritorium est.

S.Mater

Marginal notes: Nume. 5. — Prouerb. 22. — 1. Corinth. 5. — 2. Ioan. 1. — Actor. 5. — Absque synagogis facere, quid. — Cauilli remotio.

S. Mater ECCLESIA filiolos inobedienteis mitius corrigit, ac Pater cælestis: Benigna est inquam, mater Ecclesia in filios suos, quos durè & intolerabilitèr nequaquam vult aggrauare, sed leui iugo & facili ad ubi pœnituerint, & in viam virtutis adducere, præstat optimè ob integari, quam abdicari. Aliis, obstinatis & pertinacibus non medicamen est, verùm potius gladius integri morbi. Nam hi contemnunt sponsam Christi, cui consimilis Paranymphus Christus, in proteruos & contumaces (verius spurios) gladium exercere: quod expertus est in vrbe Mæonia (nunc Florentia Tusciæ) Hieronymus Sauonarola, qui in hac re se contumacem, contra censuras Ecclesiæ, præstitit. Quem non verentur defendere Sebastianus Meier Bernensium clamosus preco, & Saxonum alter Apostolus, Lutherus: Cum reuera in omnibus ceteris contra scripserit. Satis enim ex libris (quos edidit) exploratum est, neminem Lutheri assertiones condemnasse magis, quam Hieronymum illum. Quod & erit perspicuum, si quis per singulas vigilias suas decurrere velit, præter vnam illam de excommunicatione. Nam S. R. E. Pontificem vbique caput totius Ecclesiæ fatetur. De sacramentis per omnia catholicè loquitur, De sacerdotio, De Eucharistia, De pœnitentia, consentit cum Patribus. Nihilque prorsus in eius doctrina reprehendi meretur (quoad meminerim) præter hoc solum, quod ad excommunicationis articulum attinet, quodque tam apertè se contumacem præstitit, contra censuras Ecclesiasticas. Hieronymus Sauonarola quare exustus.

Eiicit etiam Christus, ab Ecclesia triumphante, per æternam sententiam definitiuam & iudicialem, cuius extremæ excommunicationis, meminit Christus Matth. 25. Suru mimeni Arurim ebesch haolam, hoc est, discedite à me maledicti in ignem æternum. Transeamus ad reliqua. Extrema excommunicatio.

S. E. supplicat pro infidelibus.

Supplicat vbique Ecclesia Deo, non solùm pro sanctis & in Christo iam regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus & inimicis crucis Christi, vt relictis erroribus suis conuertantur ad Deum, accipiant fidem, accipiant charitatem, pro quibus omnibus sibi vult Dominus supplicari, Qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vide Ambrosium de vocatione gentium lib. 1. cap. 4. Ezech. 18.

Credere S. R. E. non in Ecclesiam.

Credimus autem S. Catholicam Ecclesiam, non tamen in Ecclesiam credere debemus, Quia Ecclesia non est Deus, sed domus Dei

est, catholicam dicit toto orbe diffusam, quia diuersorum hæreticorum Ecclesiæ ideo catholicæ non dicuntur, quia per loca, atque per suas quasq; prouincias continentur. Hæc verò à solis ortu vsq; ad occasum vnius fidei splẽdore diffunditur, inquit Diuus Augustinus de Tempo. Serm. 131. Quòd si obijcitur tibi catholico; Quur horres dicere, credo in sanctam Ecclesiam &c. Quia sic me docuit Diuus Cyprianus, in solùm Deum esse credendum, in quo simpliciter omnem fiduciam reponimus.

Duplex status S. R. E.

Est autem 2. status S. R. E. vterq; perpetuus. Contemplatiuorum;
1. qui omnibus temporalibus abrenunciantes holocaustum protogono, id est, primogenito offerunt. Actiuorum, qui victimas cædunt, seipsos per pœnitentiam mortificantes, istud affirmante Ecclesiastico, cum ait. Salutare sacrificium est attendere mandatis, & discedere
2. ab iniquitate.

Ecclel. 35.

Martyres in S. R. E.

Confinxere nostra tempestate recentiores Apostatici, propria martyrologia. Hi quum propriam, fictam & solam habeant fidem, proprios quoque sanctos (extra S. R. E. communionem) se deligere posse existimant. Non pudet mangonizare, Hopperum, Bratfordum, Sanderum Taillerum, Io. Rogerum, Dauidensem, Flistedium, Clarebachum, Merindolanos, Valdenses, Spieram, Farellum, Robertum, Barnum, & reliquam superstitionum colluuiem. Hæc verò non profero, vt cuiquam detrahere velim, quos nec iudico, neque enim hæreseos temerè quenq; insimulandum esse arbitror, nisi ab Ecclesia prius declaratum & proscriptum: Et Deũ offendit, qui proximo maledicit, habituri omnes vnum iudicem Christõ. Sed vt errorem conuellerem. Iam ergo quæstio est, in qua Ecclesia (catholica seu hypocritica) Martyres veri sint. Si vestri ordinis, Husitæ, homines tales sunt, edicite. Proferte vestrorum Apostaticorum fidem: Indicate nobis cum qua Ecclesia steterint. Sed quomodo Solifidenses, martyres dici possunt? qui planè contra verbum Christi, & orthodoxorum Patrum, totius veteris Ecclesiæ consensum, scripturas interpretantur? Quomodo testes Christi dici possunt, qui extra Ecclesiam (quæ extra Lutherum acephala est,) viuunt? Manifestum est & in propatulo, Vestros martyres suspectos, pœnas luisse condignas, & eiurasse patriam, iusto magistratus edicto. Quis ergo vos (insensati tardiusculi Galatæ) fascinauit? Quis illam arrogantiam vobis incussit?

Martyres suspecti.

Quæstio.

sit? Date Episcopos vestros: vbi sunt qui lauerunt stolas suas in sanguine agni? Pro nobis stant sanctissimi Pontifices: Linus, Cletus, Clemens, Alexander, Sixtus, Calistus, Vrbanus, Fabianus, Cornelius, Sixtus 2. Laurentius, Cyprianus Carthaginensis Episcopus. Ignatius, Antiochenus Episcopus, qui ad bestias damnatus, vide Sophronium, & lachrymas excutiet hystoria. Polycarpus, Ioannis Zebedæi discipulus, Smyrneorum Episcopus. Dionysius Alexandrinus, Athanasius, Cyrillus, Chrysostomus, &c. Sed extollitis vestros antesignanos, à quibus hoc nouum dogma imbibistis nuper orbi inuectum, optimè agitis boni viri, nam similes habent labra lactucas, æstimate ex vnguibus leonem, & apparebit, ipsos apostasia fuisse suffocatos, de reliqua turba martyrum vestrorum, cum sint à vobis sic persuasi & seducti, & propterea pneumotomachi, vestram sententiam expecto. Si nunc gloriari licet de recentioribus martyribus, certè gloriabor de Ioanne Phischero, is Roffensis Episcopus, passus est anno Christi, 1535. decimo quinto calendas Iulij, de quo scriptura. Zelatus est pro Deo suo, & expiauit scelus filiorum Iesrahel: verè Israelita, in quo non fuit dolus. Fidelis dispensator desiderat cum Paulo dissolui, & esse cum Christo: is autem cuius vota terrena, in exitu anxiatur. Hæc autem est Adrastei numinis ineuitabilis necessitas: cum Christo mundo crucifigaris necesse est, si voles cum Christo viuere. Qui minus deliciarum nouit in vita minus timet mortem, &c. Hunc sanctissimum Pontificem secutus Thomas Morus, regni Anglici cancellarius & regij scrinij magister, anno Christi 1535. sexto nonas Iulij, coronam martyrij promeruit. Is Heliæ secutus exéplum, postquam Sidoniorum conspexit impietatem quotidie inualescentem, in montis Oreb speluncam secessit: Qui spretis omnibus, vrbanos fugiens tumultus, magistratuum ambitionem, in melioris vitæ amorem exarsit. Secutus ex parte Rutilium. Hic etsi vir erat innocentiæ summæ, tamen cum à publicanorum iniuria Asiam defendisset, inuisus equestri ordini, penes quem tum iudicia erant, Smyrnam in exilium missus est: Meminit eius rei præter alios Cicero, lib. de Oratore primo, & tertio libro de natura deorum. Item Fabius Quintilia. lib. 11. & in Epitome Liuiana L. Florus, hæc τῆς μαρτυρίας. vt cõsultò prætercam Redingium Glacosniensis cœnobij abbatem. Elizabetham Barthoniam. D. Reginaldum, & 18. strennuos Carthusianos Anglicos, verè milites Christi fortissimos, & reliquos Christianæ fidei athletas modestiæ Christianæ columnas. Qui pro eo quod scismati adhærere, & ab vnitate S. R. E. semetipsos segregare recusarunt, crudeliter martyrizati sunt, & in ipso mundi iam senescentis occasu (quo Nume. 25.

omnia

omnia vitia stant in præcipiti,adeo,vt nequeant vel vlterius progredi,vel altius conscendere)ad immortalitatis lauream,& desideratam patriam(Hodæpori & martyres,postremo Omologetæ) euocati & profecti sunt,è seruitute in libertatem, de ærumnis ad fœlicitatem, de caligine in lucem, de periculis in tutum, de morte ad vitam, de morbis ad immortalitatem, de tot malis ad summum bonum,de caducis ad æterna,de terrenis ad cœlestia,denique ab omni hominum colluuie ad angelorum contubernium sunt traducti.Cæterùm de diuersis tormentorum generibus,loquitur Eusebius Emissæ.de Epipha. in hæc verba prorumpens.Quorum pars verberibus dilaniatur, pars candenti craticula sacrificij more torretur, alius abscisso capite perit,sed æterno capiti iungitur.Huic desecatur lingua,sed is inuiolabilem fidem melius loquitur, & Christum Dominum in silentio oris clamore vulneris confitetur. Vide quot certamina, & vna corona.
Ambro.off. lib.cap.35. martyres Christi nec vincla,vnguli,eculi,enses,tormina,nec vltrices flammæ, nec quicquam territat. Hi ergo sunt veri martyres, quos vos hagioctoni & Christicydæ crudeles,habuistis in derisum,& in similitudinem improperij.
Sapien.5. Vos insensati, vitam illorum æstimabatis insaniam,& finem illorũ sine honore,Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei,& inter sanctos sors illorum est.Hi verò errore deposito in Christo baptizati sunt effecti ciues sanctorum, domestici Dei, cohæredes Christi,comparticipes promissionis in Christo, membra Christi,templum Domini, perfecti abrenunciatores mundi:in quibus munditia cordis,decor virtutum plurimum emicuit. Qui lucrescentes hæreses verbi Dei sarculo, fortiter radicitus stirpitusque euulserunt,& quasi Marpesia cautes, maris exagitantibus fluctibus, in obstinato cœptoque proposito, inalterabiles & inexorabiles stetere. Exultabunt igitur in gloria,lætabuntur & delectabuntur, & fruentur gloria, & in fœlicitate iocundabuntur æterna.Nihil eis deerit,nihil oberit,omne desiderium eorum Christus præsens implebit.Non senescent,non tabescent,non putrescent amplius.Non erit concupiscentia in membris,non vltra vlla exurget rebellio carnis, sed totus hominis status pudicus & pacificus,sana ex integro natura, sine omni macula & ruga deinceps permanebit. HAC AVTEM lege nascimur omnes,vt omnibus fortunæ casibus subiaceamus. Neque enim magni artificij est tranquillo mari,ventisque ferentibus,rectum tenere cursum,sed egregium nauclerum tempestas arguit aduersa, Virtus in infirmitate perficitur.Non potest quis præmium accipere, nisi
2.Tim.2. legittime certauerit.Nec est gloriosa victoria(inquit Ambros. offic. lib.1,cap.15.)nisi vbi fuerint gloriosa certamina: tentatio Domini
probatio

probatio est, tentatio dæmonis vel carnis, deiectio. Neq; pijs metuenda mors, quæ nos non extinguit, sed immortalitati reddit. Est (inquit Cicero) fortitudinis propriũ & magnitudinis animi, nihil extimescere, oĩa humana despicere, nihil quod homini accidere posit intolerãdum putare, tuetur enim sapientem, aduersus fortunæ procellas, animus impauidus: Et egregium imperterriti pectoris est documẽtum, in causa honesta piaq;, nec certam mortem perhorrescere: hinc Demetrius vitam perpetuò tranquillam, & sine vllis fortunæ incursionibus, mare vocauit mortuum. Masculam autem illam atque inuictam virtutem, non natura, sed gratia dat: Et vbi minus succurrit natura, ibi mirabilius operatur gratia: Minimè ergo despondeamus animum, qui nos ad certamen vocat, ipse dabit benedictionem, auxilians nobis in periculis, consolans in adflictionibus, proposuit ingentia præmia legittimè certantibus, suppeditans vires, suggerens alacritatem. Et sicut abundant adflictiones, ita abundabit per Christum consolatio, &c. Legimus pro Roma Curtium: pro Thebis Meneotheum: pro Athenis Codrum, Themistoclem item illum longè clarissimum Atheniensium lætiferũ poculum hausisse ferunt, vt ingratissimam patriam interitu suo liberaret: & alios multos legimus nobilium vrbium municipes, summo fælicitatis loco duxisse, pro patria mortem oppetere. Tragœdi subinde crepant verba Iphigeniæ Agamemnonis filiæ hæc. ὦ πάτερ πάρειμί σοι τοὐμὸν δὲ σῶμα τοὐμὸν ὑπὲρ πατρὸς, καὶ τῆς ἁπάσης Ἑλλάδος γαίας ὑπερθῦσαι δίδωμι ἑκοῦσα, Hoc est, Pater præsto sum, corpus meum libenter impendam in sacrificium pro patria & pro omnibus graiugenis. Et alio in loco Homerus. εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι πάτρης, id est, vnum augurium optimum pugnare pro patria. Et Euripides.

1. Offic.

Plutarchus in vita Themistoclis.

Pulcherrimũ pro patria mori.

Patria dictã quod cõmunis omniũ parens sit.

Conuenit omni ratione & arte
Amantes patriam, salutem eius moliri:
Ne fatigeris dum patriam recuperare studes.
Natale solum, vt conuenit, gratissimum est hominibus.

Lacæna cum filiũ in prælium misisset, & interfectum audisset, idcirco, inquit, genueram, vt esset qui pro patria mortem non dubitaret occumbere. &c. Non ergo moritur quisquis pro patria mortem oppetit. Nec alijs tuto credi aliquid debet, qui in patriam perfidi fuerint. Si gloriosum nunc pro patria mortem oppetere, longè iustius certè homini Christiano pro regno Dei, & pro patria cælesti se voluntarium sacrificium offerre. Sicut enim palma

contra impositum onus, ita animus masculus, contra fortunæ diffi-
cultatem erigi debet, vltroq; insurgere. Virtus duris laboribus pas-
citur non frangitur: viri nihil habet, qui glorioso labori vllam volu-
ptatem anteponit. Præstat cum altero oculo ingredi in regnum cæ-
lorum, quàm cum vtroq; in gehennam detrudi. Quis dormiens (in-
quit Basilius) trophæum statuit? Quis indulgens delicijs & t.biarum
concentui, continentiæ coronis redimitus est? Nullus sine cursu me-
ruit brauium. Labores gignũt gloriam, & certamina coronas acqui-
runt. Dulcia non meminit, qui non gustauit amara. Quis, obsecro,
piorum in S. R. E. vnquam improborum caruit morsibus? semper
redundarunt labores atq; ærumnæ. Quod exemplificat Iesaias, is lig
nea serra dissectus est. Sic Antipas Iohannem persecutus, Math. 14.
Mar. 6. Luc. 9. 13. Sic Agrippa Iacobum occidit & Petrum inclusit,
Acto. 12. Stephanus lapidibus obrutus, Acto. 7. Amara est veritas
(inquit D. Hieronymus, aduersus Iouinia. lib. 2.) Et qui eam prædi-
cant, replentur amaritudine. Quapropter quicunque à veritate &
S. R. E. obedientia abducere tentauerit sit nobis anathema. Ami-
citia huius mundi, est inimicitia Dei. Neque horreamus cum cæco
illuminato, exterminari è synagoga Baalitarum apostaticorum, mil
Ioan. 9. lies moriendum potius quàm vt manus polluamus cum impijs. San
ctus Hermegildus, quem etiam sacri canones celebrant, maluit à pa
tre occidi, quàm Arrianorum (qui forma noua sacrificabant) sacris
interesse. Hinc rectè sensisse videtur V. Beda, (super locum 1. Pet. 1.)
cum inquit. Sicut aurum in fornace clausum ignibus examinatur,
prolatum verò foras, cuius sit fulgoris apparebit, ita fidelium cõstan
tia inter infidelium pressuras contemptibilis videtur ac stulta, sed v-
bi tempus retributionis finito certamine tribulationũ affuerit, tunc
quantæ fuerit gloriæ, quantum flammis passionũ profecerit eorum
virtus ostenditur. Euidens igitur testimonium ex præmissis colligi-
tur illic regnare ἀντικείμενον seu archihomicidam, vbi Christiana pie-
2. Thess. 2. Regnũ Behemoth in terris vbi. tas inuertitur, & iusti & innocentes viri partim crudeliter & publicè,
partim flagranti odio necantur, & contrà pessimi quique Pneumati-
ci nasutuli in honore & precio habentur. Sic Dauidi non erat locus
in regno Saulis, in quo tamen Doeg primus post regem, admodum
1. Samue. 22. sublimis, emicuit. Sic Prophetæ & sacrifices Baalim apud Achab re-
gem obseruati, qui de mensa Iezabelis cibum acceperunt, latitante
interim Propheta in montium cauernis, vt habetur tertio Regum
(quem librum Hebræi Molachim dicunt) capite decimo octauo. Sic
nulla virtus potuit euitare dentes liuoris: tentat autem Deus (ait Au
gustinus, Sermo. 72. de Tempo.) vt doceat, diabolus tentat, vt deci-
piat,

piat. &c. Hinc Hebræorum illa pontificum nefaria insectatio, Christi regis acta & vitam infamantium, nihil aliud fuit quàm inuidentia, quæ cæcos & præcipites egit, vt quem venerari debuerunt, cruci affixerint, vt ille canit. Hierosolyma prophetarum interfectrix.

Traditur en virtus, Sapientia luditur, insons
Ceditur, & spuitur gloria, vita cadit.

Et Barrabam latronem libertati restituerint. Quoties in deserto aduersus Deum murmurarunt contumaces, præfracti & rebelles Iudæi? Quoties ad iracundiam concitarunt? Nonne D. Stephanus protomartyr hoc illis fert testimoniũ? Cecinerat illis Deus Opt. Max. tibiis, sed saltare noluerũt: cecinerat lugubria, & plorare noluerunt: Sũma. nec Ioannis austeritate, nec Christi ciuilitate prouocati, pœnitentiam egerunt. Saxa mors Christi scindere potuit, Iudaicam verò gentem mollescere minimè. Vnde alio in loco Dominus. Perditio tua ex te Israhel, &c. Sed horum liuor non in aliud profuit, nisi quod Christi gloriam obsistendo reddidit illustriorem: Nouit enim Deus etiam malitia mortalium ad suam abuti gloriam. Nec impunè inquam, vindicata est ea iniuria Christo illata, non solùm patriæ excidio, tantaq; hominum iactura, quantam nulla vnquam vidit ætas vnum in locũ & gẽtem coaceruatam, sed perpetuo etiam posteritatis supplicio: Cuius meminit Cyrillus (in Genes. li. 2.) Occiderunt, inquit, omnium Dominum, atque præ nimia scelerositate ausi sunt dicere, sanguis eius super nos, &c. At sanguis Abelis contra duntaxat homicidam suum redundauit, Christi verò sanguis pręciosissimus, Iudæorum immanitatem ingratitudinemque arguit, mundum tamen peccato redemit, cuius gratia effusus est, hæc ille. Eundem Dominum nostrum IHESVM CHRISTVM Samaritanum, & obsessum dæmonio conuiciati sunt, Iohan. 8. & seductorem, Matth. 27. Quibus item malis affecerint Paulum, vide Actor. 16. 2. Corinth. 11. quem etiam σπερμολόγον, Actor. 17. impiè dixerunt. De Apostolorum verò maximè Petri & Pauli martyrio, vide Eusebium, lib. 3. de demonstra. Euangelica. Tertullianum in Apologetico, cap. 21. Chrysostomum super Timoth. 2. cap. 2. & capite 4. Augustinum super psalmo 65. 140. &c. Pessimus quisque semper prouectus, simplices irrisi, audaces & impudentes erecti: Id quod etiam nostra tempestate fieri videmus: prosperantur adulatores (obsequium enim amicos, veritas odium parit) susurrones, detractores, excucullati, apostatici, renunciatores, calumniatores, Abydeni sycophantæ, pseudoli, supplantatores, famicidæ, Actor. 7.

inuentores malorum, Solifidenses, scelerati dogmatis assertores, fraudis ministri, pietatis oppugnatores, nouæ impietatis authores, antiquæ pietatis prædones, libidinis præcones, cæteriq; tempestatum populi, quibus peruersissima quæq; facinora in professo sunt. Olim laudabilis antiquitas suos Dauidas, Solomones, Ezechias, Iosias, Phinees, Zacharias, Iesos & Onias, Augustinos, Ambrosios, Gregorios, Hieronymos, Chrysostomos, vel vt apertius loquar, suos martyres, Confessores, & Virgines moderatis & condignis Encomijs (charitas enim nunquam excidit) celebrabat. Nunc verò (pro dolor) Roboamos rudes, Ophini & Phinees delicatulos, catholicis præponit subornatus noster apostaticus cosmeta & mango. Illos inquam (ô crudelitas crudelitatum) catholicis athletis præponit, qui omnes conditiones, sexus omnes & ætates hominum infestant, qui sacrum (in Christo & Ecclesia) coniugium dissociant, amicitias abrumpunt, qui tenera pignora à matrum complexibus rapiunt: vnde lachrymis, luctu, lamentis plena vbique omnia. Cur non etiam S. R. E. obedientissimos captiuos pedissequos, qui tā in vtraq; Sarmatia, quàm hinc inde à Christicydis indies occiduntur, suo cathalogo adscribit? cum scriptū sit, Hebræorum 13. Memores estote vinctorū, tanq̄ vna cum illis vincti: eorum qui affligunt, tanq̄ ipsi quoq; versantes in corpore. Et Leuitici 19. Non facies calumniā proximo, nec vi opprimes eum, &c. Cur inquam hic elinguis est, & obmutescit? An non hodierni caeoangelici, è suggestiolis sua venefica lingua & vipereo sibilu (contra φιλαδελφίαν) conscelerant, detrahunt, proscindunt, & tantùm non ad furcas condemnant catholicos? an non hoc est occidere? Sed audiamus illius sectæ prodromum Lutherum, is Papatum à diabolo confictū esse blaterat, titulus sui libri est: Das bapstumb vom teufel gestifft. Alio in loco idem excucullatus succum lolliginis effundens, catholicos sacrifices blasphemat, Blattenhengst, Bapstezel, Epicurische sevu, teufels Apostel, &c. An non hoc est rapere, rumpere, discerpere, prosterniere, elumbare, excerebrare, fundere, trudere, tundere, deniq; exossare? Idem apostaticus Saxo, virum grauissimū D. Ioannē Eccium, arroganter doctorem Savū (Dei creaturæ & imagini detrahens) blasphemauit. Decreta S. Patrum, prædecessorum nostrorum, huic viro Dei, scilicet, sunt drecketa. Idem, Georgiū ducem Saxoniæ, patruelem electoris Frederici, anno Domini 1526. Sathanæ apostolum blasphemauit: cū dictum sit antiquioribus. Virum nobi-
Exod. 22. lem nemo dixerit ignobilē. Et alio in loco scriptura. Dijs non detra-
1. Corint. 6. hes: & principi populi tui non maledices. Quoniam secundum beati Pauli sententiā, maledici regnū Dei nō possidebūt. Detractatores

Deo

Deo sunt odibiles καταλάλους θεοστυγεῖς, inquit Paulus cap. 1. ad Romanos. &c. Idem incircuncisus Nabuzardan, catholicos, Parricidas & Caini progeniem posteritatemque, confinxit anno 1537. Qui etiam, Louanienses doctores, sanguinarios hereticos (ipse verius archisectarius) mendaciter theonino rictu (anno 1545.) lacerauit. Quo enim fuit vita longior, hoc magis adcreuit scelerum cumulus, mores cum ætate mutantur, inquit Cicero, in oratione pro Cælio, &c. Hunc secutus Lutherum P. Melanthon magnus ille vir & turriger gigas, s. E. mystas, ironicôs, sacrificulos & organa diaboli (anno 1539.) blasphemauit. Eandem calumniam exercuit in pios mystas, profugus ille Foxus Anglus, Cardinales, Carduales blasphemans: sic irrisus est Athenis Paulus, ab Epicureis & Stoicis. Nec hîc omittendus D. Vuicelius, trilinguis eruditionis phœnix, & amicus perpetuò (cuius scripta quoties lego, toties pectus illud sacrum ac cæleste mecum adoro, atque exosculor) colendus, is à Gutelio nihil non iniuriarum passus est: Sed excellentium virorum est, inquit Cicero, negligere contumeliam, quæ à palàm improbis proficiscitur, à quibus etiam laudari turpe. Simili insania, Caluinus (qui ob hæreseos crimen proscriptus) exul & infamis patriæ suæ desertor, (quem etiam rex Galliarum Franciscus è finibus suis eiecit) Ambrosium Catharinum (venerabilem senem istum, & Episcopum Minoricensem) putridum cadauer, & silicernium, contra Pauli apostoli præceptum, 1. Timoth. 5. & contra id quod scriptum est Exod. 20. Non dices falsum testimonium contra proximũ tuum. Et iterum scriptura. Quisquis odit fratrem suum, homicida est, &c. blasphemauit. O os impudens, Quis tam cæcus quin videat, quàm ne matulam 1. Ioan. 3. quidem porrigere posit Catarino Caluinus? quo ego neque ineptiorem, neque magis indoctum scriptorem vllum extitisse puto ab orbe condito, tantum abest vt hunc conferendum vlla ex parte putem Catarino. Idem calumniator Caluinus, propudiosissimis calũnijs. Tridẽtinos Patres, idola oleata, blaterat. Atq; vt paucis multa dicã, nihil nõ intermisere apostatici in pios Mystas: Cathedra Petri, rabulis illis sedile est Baalitarũ. Sanctam Romanã Ecclesiã, diaboli Ecclesiã, satanæ synagogã, meretricem Babylonicã, confingunt mẽdaciter, Ius Pontificium, quasi Antichristi cõmentum, Vulcano dicauerunt. Pontificatum Romanum, robusti venatoris Nimrodi potentiam ganniunt. INTERIM à Sancti Romani imperij consessu approbatum blasphemant Euangelici illi fratres, scilicet. Quid Papatus in vniuersum aliud est (blaterat Sebastianus Meier, Zuinglicus buccinator) quàm dæmonicarum superstitionum fœda que-

dam colluuies? Et idem, alio in loco. Sanctum Liberium R. E. pontificem, Arrianistam non veretur proclamare: Quis verò plus Arrianista? an nō ille qui Christō negat? qui enim veritatē negat corporis & sanguinis Christi in sancta Eucharistia, profectò Christū conculcat. Nō ergo potest firmā fidem facere, cuius testimoniū per se nō est sufficiēs, sed alieno patrocinio indiget. Aesopus dicebat vnūquenque nostrū duas peras secum ferre, vnam ante, alterā à tergo: & in anteriorē quidem aliorū peccata reponere, in posteriorē verò nostra &c. ad institutū. Quis verò negat, apostaticos recētiores, obedienteis magistratus Augustanæ confeßionis, Interimistas, Quenterimistas, Adiaphoristas, vocare? Quis inquā gnato, colax seu gelasinus, vsque adeo fuit impudēs, aut in tantum eluriję, qui istiusmodi verba matri suæ opposuit? cum scriptum sit, Exod. 20. Habeas in honore parētes. Et iterum. LO THIRTZAH, hoc est, ne occidas? Iam verò quis
Exod. 20. dixerit apostaticos recentiores, verè angelicos? verè martyres, qui alios vipereo sibilu occidunt? Nunquam ipse (inquit Lactantius, lib. 6. cap. 18.) maledicat, nec malum procedat ex ore hominis qui colit verbum bonum. Quin etiam caueat diligenter nequando inimicum sua culpa faciat, hæc ille. Et Paulus ait, Romano. 14. Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit. Caue ne linguam, aut aureis (inquit Diuus Hieronymus, ad Nepotianum.) habeas prurientes, vt alijs detrahas. Et Leuitici 19. scriptum est. Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eū. Præterea, homicidam partem in regno Dei non habere, asserit ille, qui molam asinariam in collo nugonum ac rabularū suspendendā, ac eos in maris profundum demergendos esse censuit. Scriptum enim est. Mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus. Nonne Apostolus maledicos fidelium consortio depulsit? nonne Sathanæ vt discant non maledicere tradidit? & quod plus est, tanquā indignis cælorum regnum ademit? Sed quid vnquam peius lingua maledica? nonne vrbes per ipsam corruunt? Nōne homines per ipsam interficiuntur? nōne mendacia omnia, & maledicta, adde periuria, per ipsam perficiuntur? Nōne principatus, & regna per ipsam euertūtur? nōne vt summatim dicā, vita omnis per ipsam infinitorum errorum referta est? Quid Moses? Quis eo vno fortior? quis rursus minus vltionis cupidus? qui quò populum infestiorem habuit, & ad conuicia proniorem, eò impensius his cæli numen, propitium reddere perseuerauit, precibus ad Deum effusis. Nec Aaroni conuicianti conuiciatus est: nec sorori, quæ Aethiopicū sibi cōnubium exprobrasset, correptaq; esset lepra, minus libēs opitulatus est, præsentē vltionem suppliciter deprecatus.
Debe-

Debebat igitur Lutherus & cōsectarij recētiores, iuxta Euangelicam doctrinam fratrem suum emendare, nō iudicare seu occidere: adhortari debebat, vt S. E. primates à se & ab alijs si quæ funesta labes fuisset, studiosissimè abstergerent: Adhortari, clericos inq̄, debebat, vt auaritiam seponerēt, Symoniam, superbiā, ambitionem, hypocrisim gulā, luxuriā, & id genus pestes, vitarēt, vt mundanis rebus nō deseruirent, Sed vt hæc vitia in eis reformarētur, vt abijcerēt opera tenebrarū & induerent arma lucis, quod vtiq; opus sanctum erat: vt corruptelæ & abusus à sanctuario Dei tollerentur: vt saluatorem imitarentur dicentem. Discite à me quia mitis sum & humilis corde, vtq; studio sacrarum literarum vacarent, officia diuina persoluerent: castimoniam, paupertatem & obedientiam amarent. Si hæc hisque similia Lutherus docuisset, æstimo totus ei mundus fuisset assensus. At quis laudat suum vituperiū, qui laicos alioqui clericis infestos ad rapinas & sacrilegia prouocat, omnia peruertens & conturbans?

HANC autem imaginem hodiernæ persecutionis, prædixit D. Chrysostomus (ad Innocent.) dicens. Ecclesiæ ad genua vsque humiliatæ, populi dispersi, clerus diuexatus, Episcopi exules: Constitutiones patrum (vide Basilium mag. Episto. 70. ad Episcopes Italiæ ac Galliæ) violatæ, clerici fustibus cæsi, Diaconi plumbo elisi. An non hanc tragœdiam resuscitauit Lutherus? quis negare poterit? Quis non dixerit, grauiora posse catholicos fulminare in Apostaticos fulmina, ac illi in nos, si id postularet Christiana pietas? Neque enim iugulare mortuos, nec fauillam & scorias criminum vitiorumq; regerere in proximum conuenit. Viri boni est (ait Seneca) scire pati, nec facere iniuriā. Nec diu (teste Solone) mortalibus iniuriæ opera permanent, sed Iuppiter inspicit finem omnium, atq; repētè vt ventus nubes illico disijcit. Quid obsecro iucūdius, & docto viro dignius, q̄ ferre posse cōuiciantē? Quoniā si ille (inquit Philemō, in Ecdicazomeno) cui conuicium fit, dissimulauerit, in ipsum authorem redundat. An nō Iosippus Israhelis filius, cuius mystica venditio sacris litteris prodita est, fratrum iniuriā beneficio repensauit? Hoc obseruās Aristippus, contumelijs à quodā petitus, dixit: Penes te est maledicere, penes me autē rectè audire. Præstat accipere, q̄ facere iniuriā, ad institutum. Quis præter ius & æquū, plurimos vita spoliauit? Quis Germaniæ dissidijs & incendijs perpetuā subiecit materiam? Quis plus varijs artibus & Tragicis planè vocibus, ad vim & arma cohortatus est? Quis ordines Sancti Romani Imperij (qui sunt eiusdem baptismi, nominis, imperij, linguæ) diremit, euulsit & inuicem armauit? Deum testor non inuenio quibus verbis, qua verborum atrocitate

Imago hodiernæ persecutionis.

Cic. 1. Tuscul.

F iij con-

confodiam hunc perditissimum excucullatum: Ita omnia verba plena insaniæ euomuit, omnem ordinem disturbauit. Si benè audire cupiunt consectarij, benè loqui discant: Conentur benefacere, & sic bene audiendi fructum acquirent.

Triplex martyrû testificatio. Nec reticendum, Martyrum aliquos testificari de Christo, ipso facto, at non voluntate, quales fuerunt innocentes Bethlehemitici bimuli. Math. 2. De quibus Ioannes Chrysostomus (in serm. de Inno.)
1. loquitur, dicens. Dicunt namque Domino laudes, trucidati ab Herode lactentes. Loquuntur sanguine, quod lingua non possunt. Passione canunt, quod sermone non norunt. Occisi prædicant, quod viui non poterant. Nec nouum quid dicitur, vt innocens sanguis, aut
Genes. 4. Deo referat laudes, aut suas indicet passiones. Cum Abel sanguis clamet ad cælum, & occisorum animæ ab altari vociferētur ad Deum.
Apoca. 6. Contulit martyrium laudem, quibus negauerat natura sermonem. Licuit sanguine clamare, quibus narrare non licebat voce, sicut sanguine loqui, quibus lingua non licuit. Miscent cum Domino colloquia, quibus humana negata sunt verba, &c. Altera pars, voluntate
2. & opere lombos pręcingens, ad mortem properat: tales extitere tam Apostoli, quàm Apostolici, in hodiernum vsq; diem, Matth. 5. Reli-
3. qui voluntate patiuntur, sed non re & opere, neq; enim sentiunt martyrium, sic Euangelista Ioānes, & confessores. CYPRIANVS DVO MARTYRIA celebrat, in hæc verba. Non enim (ait) semper sæuiunt Nerones, Domitiani, Decij, ac Maximini: Nunquam tamē cessat diabolus exercere Christi militiam professos. Sufficit ergo esse cōfessorem, si Deus non vocauerit ad martyrium, vterq; Christi est A-
Ioan. 21. postolus tam ille (Petrus) cui dicitur, sequere, quàm ille (Ioannes) cui dicitur, Si eum volo manere. Atq; vt summatim perstringam, propter puerum IHESVM mactantur pueri. Propter virum, viri. Propter innocentem, innocentes. Cæterùm, Christianos variæ delationi & proditioni esse obnoxios, habes Matth. 10. Subsannandos fideles, scriptura sacra indicat, 2. Para. 30. 36. Nehem. 4. Psal. 34. Hierem. 20. Acto. 2. & 17. Infamiæ notas atque stigmata Christianis inurenda, Christus ipse prædicit, Matth. 5. Verberibus & flagris nos esse proscindendos. Matth. 23. nobis prædicitur: & Ioannis 16. capite Christus dicit. Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se pręstare Deo: & hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem neq; me, &c. Melius igitur est homini incidere in manus hominum, quàm impingere in legem Dei: Vnde Euseb. Emisse. de Epiphan. Hom. 4. Quos (inquit) per cruentissimum persecutorem humiliauerat diabolus, exaltauit Deus: quos ille damnauit, iste glorificauit:

uit: Ille opprobrijs adimpleuit, hic præmijs: Ille affecit flāmis, refrigerijs hic refecit. Ille induxit in mortem, hic ad vitam de morte perduxit. Ille interfecit gladijs, hic dignos fecit coronis. Et Prudētius canit,

Carcer Christicolis gradus corona est,
Carcer prouehit ad superna cæli,
Carcer conciliat Deum beatis.

Sed videamus apostaticos illos martyres recentiores, cohortantur alios ad militiā, sibijpsis cauent magistelli profugi: In scholis & tabulis suis sacros mitratos Pontifices satanæ tradunt, Romanū Pontificem Antichristum blasphemantes. At egregij illi Pseudomartyres, extra periculum feroces, quemadmodum canes ignaui, qui in domibus vel post sepes dominorum allatrant pretereūtes, cur nō Rhomam, Luteciam Parisiorum, Louanium, Coloniam, & ad alias academias, vbi Antichristum esse ganniunt, proficiscuntur? qui hæc non sapit certè τυφλότυφος τερσίον. ANTICHRISTVS est, qui catholicis sacerdotibus, docendi & increpandi tempestiuè & intempestatiuè facultatem impedit. Antichristi sunt, inquam, qui facultatem administrandi remorantur. Qui sacerdotium imperio subijciunt, ex emporio & Lyceo aliquo dicaculorum, metropoles & diocæses facientes. Antichristus est, qui bonis operibus detrahit. Antichristi sunt, qui in verbo Dei & veritate, inter sese discordāt. Antichristus est, qui Satham circunfert elato animo. In mundo iam est Antichristus, non corporaliter, sed propter eorum præsentiam, qui viam illi præparant: Quid fiet in ipsius Antichristi sæuitia, quando S. E. ab illius prodromis tantā patitur? Certè si apud nos hodie viueret gloriosus martyr Polycarpus, quid putas ipsum, apostaticis (Antichristi antesignanis) dicturum esse? Quanto fidei zelo (quo hæreticos insectari solebat) dicturus esset fidelibus: abstinete à scandalis & falsis fratribus, qui in vanum portant nomen Domini, qui oberrare faciunt inanes homines. Nonne apostatici vanissimè portāt nomē Domini, quando euacuant omnem gratiam sacramentorum? Certè non Christi sunt discipuli, sed Antichristi, quia negant gratiam Christi, quam in baptismo induimus cum Christo. Omnis enim qui non confitetur in baptismo Christum esse, hic Antichristus est. Et qui non confitetur mysterium crucis, quod participamus in baptismo, ex diabolo est: audis Satham operari in tuo Antichristo? Et qui deuiauerit eloquia Domini ad propria desideria contra vniuersam Ecclesiam, hic primogenitus Sathanæ est, &c. Sed sinamus illos in suis septis latrare, nobis erit S. R. E. vniuersalis ouile, hic enim videmus scaturire sanguinem verè Christianorum. Et ergo quando fortè Euangelici (vt schematicè lo-

Antichristi qui sint. (margin note, beside "ANTICHRISTVS est, qui catholicis")

Polycarpus in sermone ad neophytos. (margin note, beside "dicturum esse? Quanto fidei zelo")

quam)percutiuntur;carceribus,exilijs, ferro, rogis: Supplicium esse memento,non martyrium.Quando enim suas ostentant cicatrices, sua facinora manifestantur,Scelesta qui patrarunt mala,decet pati, inquit Euripides.Phrygum filij,nisi plagis concisi,non emendantur. Exilium,est scelerum pœna,dixit Cicero,Parad. 4. Atque vt medici membrum sæpè putrefactum incidunt,atque in totum eradicant,ne aliam corporis partem labefactare aut corrumpere possit:Sic necesse est,si Rempublicam saluam esse volumus,vt perditissimos homines ex vrbe penitus extirpemus;ne corruptus integro,violatus casto labem infringat,&c.Sic nec fortis Mutius Scæuola, qui dexteram ad ignem torruit,martyrium promeruit, immò verius martyr dicenda Appolonia,quæ corpus totum prunis obiecit.Sic nec martyr Sophronia dicenda,quæ sibi manum intulit, Lucretiæ animi robur æmulata.Sic nec martyres fuere consectarij Marcionis,Donati, Nouati,&c.Qui non pro Christi nomine,sed partim ob meritum, partim erroribus inuoluti (cum recensionibus pseudoangelicis martyribus)succubuere.Exempli gratia.Anno Domini 1550. No. Decemb.Parysijs in Basilica D.virginis sacra, in leiturgijs vespertinis, cùm pro more clerus in templo solenniter(vt in vigilia conceptionis diuæ virginis)hymnum Diuæ virgini modularetur,Ioânes quidam nescio quo spiritu ductus phanatico, ab ipso Pronai capite,per medium vtrinq; adstantis chori,ense quo erat accinctus districto, quanto potuit impetu ad virginis imaginem accurrens, ipsam concidere tentauit,sed quinto post die excecta prius lingua,viuus pro æde virginis exuritur,an propterea dicendus martyr catholicus? Hui quàm fortis in fide? Non temeritas sed fides coronatur, inquit Cicero. Si quis ergo rite coronatus fuerit,vitam æternam promeretur: Non sic tibi,non sic continget impie,sed tu peribis funditus, cum ventus instar pulueris te iactitat per inania aëra. Hinc fit, quòd impios arbitrium Dei pessundabit letaliter.Hircos ab agnis cum pastor seiunxerit,Quē vspiam nihil latebit,viam piorū cognitor iustus sciet,mittet malos ad tartara.Et quos ipsa natura retinere in officio non potest,ij magnitudine pœnę maleficio submoueri debent.Verus,iustus, atq; honestus labor(ait Cicero)honoribus,præmijs, ac splendore decoratur:vitia autem hominum,atq; fraudes,damnis, ignominijs, vinculis, verberibus,exilijs,morte mulctantur. IAM QVAESTIO emergit,vtrum hæretici extirpādi sint ex agro Dominico, hanc breuibus discutere perplacet.Zizaniam ex agro Dominico extirpādam esse,censent omnes catholici,maximè cum tria sint quę respiciant(vt suprà ostendimus)Ecclesiæ Dei commodum,videlicet:Hæresum extirpatio:

Cic.in Vati.

Propriū hereticorū 4. modo gloriari de suis martyribus.

Cicero. pro Rosc.Amer.

de Orato.

Zizania v. trū ex agro dominico extirpanda.

tirpatio: Clericorum reformatio: Pax teretis circuli Christiani orbis. Et quid hæretici magis cupiunt, quàm vt suis pestiferis & venenosis phyltris, impunè possint gregem Domini inficere & dementare? At tendite (inquit Christus) à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestibus ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: Et quis tam imprudens est, vt lupos cum ouibus committat? aut non potius arceat illos ab ouili? Sed blaterat apostaticus. Aliud est arcere, aliud interimere. Arcere licet. At interimere non licet. Ego quidem & interimendos opinor, vbi non potes aliter saluare gregem. Quam rem & Christus ipse mihi visus est apertè satis indicasse, quandoquidem & rapaces lupos vocauerit eos. Quis enim rapacem lupum (vbi gregi metuit suo) non prius occiderit quàm sinat oues ab ipso dilaniari? Quis est qui nesciat, quòd pastori charior esse debet suarum ouium salus, quàm luporum vita? Quamobrem quum alterutros perire necesse sit, quid stolidius cogitari potest, quàm ita lupis indulgere, vt gregis tandem vniuersi iacturam patiaris? Id quod haud dubiè futurum est, si impios luporum hiatus non obstruxeris. Et vt istis lupis nemo prudens pastor ita fauere debet, vt interim oues pereant, Ita nec hæretistis parcendum est, ne per eorum virulenta dogmata depereant catholici. Ioannis secundo capite, legimus Christum mensas nummulariorum in templo subuertisse, quid putas hæreticis hodie faceret? cum Paulus dicat, Galat. 4. Vtinam abscindantur, qui vos conturbant. Educ (ait Dominus, in libro Hebraicæ Vaikra dictus) blasphemum extra castra, & lapidet eum omnis populus, cur non & hæreticum? Et si monarchæ puniunt furta, rebellionem supprimant, cur non tam hæreses quàm sacrilegia? Sed & istud item respondere possumus, quod & Augustinus Donatistis respondit, ad Bonifacium scribens. Obiecerant autem illi, quod per apostolos nunquam ab Imperatoribus aut regibus terræ fuerat petitum, vt vim inferrēt hæreticis. Quibus & Augustinus ait. Quis tunc in Christum crediderat Imperator, qui ei pro pietate contra impietatem legis ferendo seruiret? Quando adhuc illud propheticum complebatur. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius? Nōdum autem agebatur, quod pauló post in eodem psalmo dicitur. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cū tremore. Quomodo ergo reges Domino seruiūt in timore, nisi ea, quę cōtra iussa Domini fiunt, religiosa seueritate prohibendo Leui. 4.

atq;

atq; plectendo? Aliter enim seruit quia homo est, aliter quia etiam & rex est. Quia homo est, & seruit viuendo fideliter. Quia verò etiam rex est, seruit, leges iusta præcipientes & contraria prohibentes con-
4.Reg. 18. uenienti vigore sanciendo: Sic seruiuit Ezechias, lucos & templa ido
lorum, & illa excelsa destruens. Sic Iosias. Sic rex Niniuitarum, vni-
4.Reg. 22. uersam ciuitatem ad placandum Dominum compellens, Ionæ 3. Sic Darius, Danielis 14. Sic Nabuchodonosor, Danielis tertio capite, omnes in regno suo positos, à blasphemando Deo, lege terribili pro-
Eusebius. hibuit. Sic Constantius, qui Arrium cum consectarijs Arrianistis, damnauit in exilium, quia nolebat adhærere concilio Nicæno. Sic Theodosius puniuit hæreticos Manicheos.

Obiectio.

Sed obijciunt aduersarij nostri: Christus (Matth. 18.) nihil prorsus armorum commisit, nec aliam pœnam imposuit, quàm vt haberetur pro Ethnico qui Ecclesiam non audiret.

Responsio.

Dicimus argumento negatiuo nihil confici posse. Quid enim si Christus non exurendos hæreticos instituerit. Num ob id vigilans pastor & Argos, eos patietur impunè Christi gregem deuorare? Parum equidem istud prudentiæ boni pastoris conueniret. Sed & Christus S. E. multa permisit instituenda, de quibus ipse nihil ante tradidit, vt infra apertè Dei nutu ostendemus. Quamobrem nec satis efficaciter collectũ, istud minimè debere fieri, quod Christus ante nunquam instituit. Sed illud potius erat ostendendum, vbi Christus id fieri vetauerit vsquam.

Altera obiectio.

Paulus ad Titum 3. capite, hereticum hominem vitari docet, non occidi iussit armis vel igne.

Responsio.

Nec iussit Paulus suspendi fures, & tamen nisi per leges in furtum animaduerteretur, nulla foret ciuibus, vel in oppidis, tuta securitas. Et quemadmodum reip. necessitas exigit, vt patibulo fures adiudicẽtur, ita & publica salus animarum exposcit, vt ad ignis supplicium condemnentur hæretici.

Tertia obiectio.

Et Paulus. Oportet hæreses esse, &c. gladio ergo spiritus vincendi, nullo externo gladio violenter iugulandi.

Cauilli remotio.

Fieri non potest quin sint hæreses. Nam vt nemo potest ex horto

suo

suo malam omnem herbam, prorsus euellere: Sic nec ex S. Ecclesia penitus eradicare quis poterit omnem hæresim. Agant Magistratus, quicquid velint, exurant & mactent hæresiotas, non efficient tamen, quin ex eorum cineribus illico nascantur & alij. Nec ijs verbis iubet Paulus, hæreses tolli, nec censet hæreticos (vt Roffensis Phischerus scribit) ingenio suo permittendos. Sic enim Diuus Hieronymus hunc locum differit. Non hoc, inquit, dicit Apostolus, quia debent hæreses esse, sed quia Corinthij inter se scissuras habebant, ideo dicit, oportet hoc esse & necesse est hæreses esse. Sicut si dicas, Ille qui tantum bibit, necesse habet inebriari. Sic & Paulus dixit, Quia tales conditiones habetis, necesse est vos etiam vsque ad hæreses peruenire, hęc Hieronymus. Ad institutum pergamus, quoniam satis digressi sumus. 1. Corint. 11

Sinamus itaq; delitiari Baalitas apostaticos, catholici malũt cum filijs prophetarum & Heliseo in deserto conuiuere, quàm in Christi cydarum aulis: Et cum Psalmista dicere, psal. 83. Elegi abiectus esse in domo Dei, q̃ habitare in tabernaculis peccatorum. Pro pia nanq; veritate mortem constanter perferre, non subterfugere, non dissimulare, institutum est quod Christus è cælo ad nos detulit. In omni vita (inquit Cicero, pro domo sua) nihil est ad laudem illustrius, quàm ipsa calamitas. Et idem Cicero (Attic. libro 14.) ait. Nobis quicquid acciderit, fortiter & sapienter feramus, & accidisse hominibus meminerimus. Illorum nostrorum hostium inferre est, nostrum ferre contumeliam; sors quippe hæc piorum, & victoria est. Christus in hoc mundo malè audiuit, nos hîc auram popularem & gloriam venabimur? Et quum huius temporis molestia increbrescit, æternam requiem inquirendam monet. Laboris difficultatem (dixit Agesilaus) spes victoriæ consolabitur atque recreabit, ex qua procedet & merces & gloria. Quid ergo expallescimus? quid horrore concutimur? Non est ad astra mollis è terris via.

Sic emitur cælum, sic inuidus Orcus
Vincitur, & nulla esse potest victoria maior. Mantuanus in Catharina.

Sed iam tempus vt soluamus tandem lora, hæc enim fusius prosequi, & infinitum & propemodum impossibile, quando & nos non onomasticon seu hagiologium scribimus, sed locos tantùm aliquot indicamus. Sunt enim catholici viri, qui hac de re & locupletius & eruditius pleraq; multa scriptitarunt, in quibus vis animi non elanguescit, sed viget potius, augeturque vsu & exercitatione.

Tres species iustorum in S. R. E.

Tres numerantur iustorum species in vinea Zebaoth, triplicem accipientes fructum à Deo Op. Max. videlicet, tricesimum, sexagesimum, & centesimum, istud Christo confirmante, Matth. 13. Hinc NOAH rector Arcæ designat rectores & primarios Ecclesię mystas. DANIEL, qui continens extitit, & cælestibus visionibus vacauit, repræsentat continentes & virgines, qui vacant contemplationi & orationi. HIOB coniugatus & tribulatus: per quem boni coniugati, in summis tribulationibus, ærumnis, pressuris & miserijs stantes, significantur. Vel per istos tres viros, significantur, incipientes, proficientes, & perfecti. Eosdē sanctos viros, nobis repræsentant, Petrus,
Mar. 5. Math. 17. Iacobus, Ioannes: Qui interfuerunt resuscitationi puellæ, & transfigurationi diuinæ. PETRVS enim seu Symehon Hacæphi, rector S. E. & princeps Apostolorum. IACOBVS seu Iahacobah, luctator in pugna tribulationum. IOANNES seu Iohanah (archigrammateus Christi) virgo sublimatus ad intelligentiam cælestium visionum. Petrus in agro Dominico excolendo, exercetur. Ioannes in lectulo contemplationis & quietis meditatur. Iacobus in mola tribulationum premitur: sicuti scriptum est, Duo erunt in agro, vnus assu-
Math. 24 metur, & alter relinquetur: Duæ erunt molentes in mola, vna assumetur, & altera relinquetur, &c. Nec absurdè isti sancti viri, vno no-
Ossa Ecclesiæ. mine OSSA S. Ecclesiæ dicuntur: Debent enim sicci esse castitate, concaui humilitate, medullati charitate, fortes patientia. De huiusmodi ossibus loquitur Dominus, dicens. Ossa arida audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego immittam
Ezech. 37. in vos spiritum & viuetis, & dabo super vos neruos, & succrescere faciam super vos carnes, & superextendam in vobis cutem, & dabo vobis spiritum & viuetis, &c.

VASA S. R. E.

In magna domo, inquit Paulus, non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & quædam quidem in honorem, quę-
2. Timot. 2. dam autem in contumeliam. Nostrum igitur fuerit operam dare, vt simus in S. R. E. vas aureum & argenteum. Vasa aurea, sunt omnes catholici Christifideles, aurei per sapientiam, & argentei per do-
Vasa aurea. ctrinam: Tale vasculū extitit Paulus, de quo in Actis, cap. 9. Vas electionis mihi est iste. Et Ecclesiast. 51. Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide præcioso. In Ecclesia (inquit D. Hieronymus, super locum 1. Corinth. 3.) tria sunt genera bonorum. Est bonum, melius, optimum. Tria sunt è contrario genera malorum, malum, peius, pessimum

ſimum. Prima auro,argento, vel lapide præcioſo. Secunda, lignis, fœno & ſtipulæ comparantur,&c. Vaſa lignea autem & fictilia ſunt impij incēdijs apti & fictiles,fractionibus propinqui.VAS AVREVM is eſt,(inquit Baſilius homil.9.)qui mente moribuſque ſimplex ac ſine dolo eſt. ARGENTEVM item, qui illo paulò eſt inferior dignitatis ac præcij æſtimatione. Teſtaceum eſt ac figulinum qui terreſtria ſapit.Ligneum qui igni æterno materiam præbet. Iræ vas eſt,qui omnem in ſe diaboli operationem ſuſcipit.

S. ROMANAE ECCLESIAE & Epiſcopi in ea authoritas.

AVthoritatis S. E. meminit D. Hieronymus (ad Theophylum Epiſcopum Alexandrinum) ſcribens. Sed tamen ſcito, nobis nihil eſſe antiquius,quàm Chriſti iura ſeruare,nec patrum tranſire terminos,ſemperque meminiſſe Romanam fidem, Apoſtolico ore laudatam,cuius ſe eſſe participem Alexandrina Eccleſia gloriatur, hæc ille. Eidem S. R. E. ſemper maiorem fuiſſe auctoritatem,quàm quarumcunque aliarum Eccleſiarum,eo maximè probatur quod in hac tam grandi materia de rebaptizandis hæreticis Aſiani & Aphricani,opinioni atque ſententiæ Rom. Pontificis ceſſerint, iſtud confirmante Dionyſio ad Stephanū Epiſcopum S. R. E. Iam verò vnam eſſe cathedram in vna Eccleſia,& eandem eſſe Romanam (principatum ſupra cæteras Eccleſias obtinens)ex Cypriano confirmare non grauabor:Is in Epiſtola octaua libri primi,ſic ſcribit.Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus eſt,vna Eccleſia,& cathedra vna,ſupra petram Domini voce fundata. Aliud altare conſtitui aut ſacerdotium nouum fieri,pręter vnum altare,& vnum ſacerdotium,non poteſt.Quiſquis alibi collegerit,ſpargit.Ecce hîc Cyprianus palàm fatetur cathedrā vnam,in vna Eccleſia,voce Domini & diuina diſpoſitiōe fundatam, quam alibi,quàm in Romana ſede pręfigere nemo poteſt. Rurſum in Epiſtola tertia eiuſdem libri,ſic ait.Poſt iſta adhuc inſuper, pſeudoepiſco ſibi ab hæreticis conſtituto,negare audēt, & ad Petri cathedram,atque Eccleſiam principalem,vnde ciuitas ſacerdotalis exorta eſt,à ſchiſmaticis & profanis literas ferre,nec cogitare eos eſſe Romanos,quorū fides(Apoſtolo prędicāte)laudata eſt,ad quos perfidia habere non poteſt acceſſum,hæc ille.Ex quibus liquet Eccleſiam Romanam principalem Eccleſiam eſſe, & in ea cathedram vnam diuina fundatam diſpoſitione.Nec Lutheri excucullati ſcriptura, quam ex Paulo citat,quicq̄ illis patribus aduerſatur. Quid enim ſi fides vna fuerit, & vnum baptiſma, & Chriſtus vnus, atque pater vnus.

Romana ſedes omnium prima.

Num ob id nulla Ecclesia potest alia superior esse? Nihil oportet. Nam eadem ratione colligeret, omnes Christianos æquales esse debere, quod tamen Paulus apertè negat, quum in eadem Epistola, & eodem capite, varios gradus in Ecclesia Christum statuisse testatur. Sed quæris, cur Roma omnium prima sit Ecclesia? R. propter Petrum Apostolum, propter plebis Romanæ fidem minime inconueniens erat ita fieri: Eiusdem materiæ causam, recenset D. Hieronymus (in proœmio 2. lib. commentariorum ad Galat. quod scripsit ad Paulum & Eustochium) dicens. Vbi alibi tanto studio & frequentia ad Ecclesias & martyrum sepulchra concurritur? Vbi sic ad similitudinem cælestis tonitrui Amen reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur? non quòd aliam habeant Romani fidem, nisi hanc quam omnes Christi Ecclesiæ tenent, sed quòd deuotio in eis maior sit, & simplicitas ad credendum, &c. Vide Hilarium in prologo psalmorum, & reliquos. Non inconuenienter ergo, Sancta Romana Ecclesia. Prima esse dicitur, quòd Roma caput orbis extiterit, in qua præsedit Petrus, Cui Dominus iuxta verbum Ambosij principatum dedit Ecclesiæ. Qui, secundum Chrysostomum, præsul fuit Ecclesiæ. Et ad verbum Augustini totius Ecclesiæ tenuit principatum. Nec propter fontes, propter aurum, propter columnas, celebratur ciuitas Romana, sed propter duas columnas Ecclesię, & quia arx & culmen Christianæ (vt Erasmus scribit) religionis est; istud confirmante D. Chrysostomo, (homilia vltima in capite Romanorũ sexto) cum ait. Ego Romam (arcem ommnium gentium & terrarum reginam) diligo, nempe à magnificentia, ab antiquitate, à pulchritudine, à multitudine, à potentatu, à diuitijs, & à rebus in bello fortiter gestis, sed relictis istis omnibus, ob id illam beatam deprædico, quod erga illos (Romanos) Paulus dum viueret, adeò fuit beneuolus, adeò illos amauit, corã disseruit, & postremò vitam apud eos finiuit, vnde & ciuitas ista hinc facta est insignis, plusquam à reliquis omnibus. Et quẽadmodum corpus magnum ac validum duos habet oculos illustres, sanctorum videlicet illorum (Petri & Pauli) carpora. Ita cælum non splendescit, quando radios suos sol ex sese dimittit, quem Romanorum vrbs, duos illos lampades vbique terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Considerate, & horrete quale spectaculum visura sit Roma, Paulum videlicet repente ex theca illa cum Petro resurgentem in occursum Domini sursum ferri. Qualem rosam Christo mittet Roma? Qualibus coronis duabus ornatur vrbs ista? Qualibus cathenis aureis cincta est? Quales habet fontes? Propterea celebro hanc vrbem, non propter aurum, non

In Epist. ad Crimannũ Cardinal.

non propter columnas, neque propter aliam phantasiam, sed propter columnas illas Ecclesiæ, hæc ille. Columnas vero fuisse istos duos Apostolos, confirmat Ambrosius super Psal. 118. Sed iam placet enumerare, Ecclesia Romana pro sano intellectu cur mater dicatur Ecclesiarum. Marcus scribit ad Athanasium & Aegyptiorū Episcopos, sic dicens. Hæc sancta & Apostolica mater omnium Ecclesiarū Christi Ecclesia, quæ per omnipotentis Dei gratiam à tramite apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticorum nouitatibus deprauata succubuit. Sed vt in exordio normam fidei Christianæ percepit, ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata fide finetenus manet, secundum ipsius Domini saluatoris diuinam pollicitationem, qui suorum discipulorum principi in suis status est Euangelijs: Petre, inquiens, Ecce Sathan expetiunt, vt cribraret vos, sicut qui cribrat triticum, ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. At obijcis Hierosolymitanam Ecclesiam primam fuisse. Sed negare non poteris, caput & principem omnium aliorum Apostolorum ibidem Petrum extitisse. Quis maiorem partē illius Ecclesiæ lucratus est quàm Petrus? quis tot millia hominum vno sermone conuertit? Sed quod Hierosolymitanam Ecclesiam matrem esse probas ex Paulo, non ignoro completam esse prophetiam, Esai. 2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem. Sed per id non simpliciter mater .i. superior dicetur. Quod si Paulum obieceris, Hierosolymam matrem omnium nostrum esse: nec hoc negamus. At prius dixerat Paulus de illa Hierusalem quæ sursum est. Sed audiamus de hac controuersia, Christum, Matth. 24. dicentem. Hierusalem Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Præsciuit itaque Dominus olim quid futurum esset illi ciuitati, vnde illi primatum dare non promisit, &c. Nec Orientis Episcopi, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ desunt, eandem intonantes esse munificam, & matrem Apostolica cura refertam. Ab extrema etiam orbis terræ plaga, Episcopos obedientiam præstare consueuisse Sedi Apostolicæ, ostendit Campensis, Eccle. Hierarch. li. 4. ca. 10. Eādem S. R. E. matrē & caput esse omniū Ecclesiarū, confirmāt scripta Pontificū Aegyptiorum ad Marcū. PP. Omitto præclaros titulos, quos Ro. Pontificibus tribuēre antiquiores. Ex vna Arrianorum Epistola, pauca, ad pudorem apostaticorum referam: Titulus Epistolæ ita habet:

Columnæ S. Ecclesiæ.

Cur S. R. E. omniū aliarū Ecclesiarū mater esse dicatur.

Lucæ. 22.

Hierosolymitana Ecclesia quomodo prima.

Galat. 4.

Tripar. hist. li. 4. cap. 16.

Pontifices Aegyptiorū pro S. R. E.

Arriani Romanũ pontificem primatium agnoscunt.

Domino beatissimo, & honorabili Patri Iulio, Apostolicæ sedis venerabili Episcopo, Eusebius, Theoginus, Theodorus, Berinthus, vna cum reliquis fratribus & coepiscopis in Antiochia congregatis. Initium verò Epistolæ est. Licet circa omnes Ecclesiam Romanam sciamus esse munificam, & Apostolicãm habere curam, & semper matrem existere pietatis, quanquam ab Oriente ad eam prædicatores pietatis aduenerunt, tamen optaremus vos nobiscum concordare. Et infra, Sunt namque à nobis, & maximè à totius Orientis Episcopis damnati, Athanasius, Alexandrinus. Paulus, Constantinopolitanus. Marcellus Anciræ. Asclepius, Gazæ. Lucianusque Adnopolites. Pro certis criminibus, quibus aduersarij sunt apud nos inscripti, quæ per præsentes huius Epistolæ latores, omnia sub certa relatione, vestræ innotescere non omittimus sanctitati, quibus agnitis, si nostris placitis magis, quàm eorum machinationibus assentire, & ordinatos Episcopos in damnatorum loco firmare eligitis, pacem vobiscum & communionem habere volumus. Si verò aliter egeritis, contraria celebrabimus, & vobiscum deinceps nec congregari, nec vobis obedire, nec vobis vestrisque fauere volumus, sed per nos quicquid melius elegerimus, agere conabimur. Et infra in fine. Præfato itaque debitæ salutationis officio, propter B. Petri honorem impensè postulamus, yt deinceps ad vestras hinc venientes aures non tam facilè admittatis. Et subscriptio: Dominus æuo custodiat longiore Apostolicatum vestrum beatissime Pater, Amen. Vbi est nunc frons vestra apostatici? Vosne catholici estis qui D. Apostolicum, & Antichristum & idolum abominationemque dicitis? Nonne videtis hic quanto cum honore Episcopi Orientales, licet hæretici eiusque inimici, ac grauiter ab eo literis correpti, sunt persequuti? Vbi nunc mendacia Lutheri contra primatum Sanctæ Romanæ Ecclesię? Ecce hæretici, & aduersarij eius fatentur, S. R. E. esse circa omnes munificam, &c. Ex quibus etiam omnibus supradictis apertissimè domonstratur, ab initio constituta iam Ecclesiasticæ hierarchiæ forma, totius Ecclesiæ curam, omnesque toto orbe difficiliores Ecclesiasticas causas, relatas fuisse ad sanctam Romanam sedem. Sicut enim cardine (inquit Anacletus) ostiũ regitur, Sic huius sanctæ sedis authoritate omnes Ecclesiæ disponente Domino reguntur.

Hæc ergo S. R. E. spiritus sancti discipula, semper immaculata permansit, & Domino prouidente, & Beato Petro Apostolo opem ferente, in futuro manebit, & sine vlla impiorum insultatione,

tatione, firma & immobilis, tanq̃ Marpesia cautes omni tempore per sistet. Referant Iudæi suam fidem ad Abrahamum, nos referimus fidem nostram ad D. Petrum S. R. E. episcopum. Et sicut Iudæi non reijciunt Deum Patrem, dicentes: Patrẽ habemus Abrahamum: ita & nos non reijcimus Christon (qui S. R. E. sponsam habet vnicam) dicentes. Patrem siue pastorem habemus Petrum. Petrus enim (antistes Ecclesiæ primus) quoniam fide præstabat (inquit Basilius contra Eunomia. lib. 2.) Ecclesiæ in seipso ædificationem suscepit: vt infra latius diuino aspirante numine disputabimus.

Hæc illa vinea Zebaoth, quam sponsus dilectus (isch zemach, Zachariæ 3.) in Canticis, sponsam, columbam, & dilectam suam vocat. Cui qui detrahunt (inquit Irenæus, lib. 4. cap. 37.) non erunt mundi. Hæc S. R. E. ad omnes fortunæ incursus, animum armat, prudens dispensatrix, optima consolatrix: Extra quam nulla fides, sed opinio & error. Quæ rectorem habet Christon, omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi, Matth. 28. contra quam neque portæ inferorum valent, Matth. 16. fundata enim est super firmam petram, Luc. 6. Petra Christus est, 1. Corrinthi. 10. Hanc S. R. E. speciali priuilegio decorauit sponsus dilectus, dicens. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc (Ecclesiam denotans) donec ista omnia fiant. Ad hæc, quærente IHESV quis esset, respondit Simon Petrus, & ait. Tu es Christus filius Dei viui: Cui respondit σωτὴρ. Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est, & ego dico, quia tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non preualebunt aduersus eã. Alexandrinam, Ephesinã, Antiochenã Ecclesiam, expugnauit aliquãdo hæreticorum furor. At Sanctæ Romanæ Ecclesiæ (quam elegit præ participibus suis) incõcussam fidẽ, nulla vnquam violauit impietas, nullũ de ea spoliũ, hæreticorũ superbia seu mothonia, reportauit. Defecit Achaia, vbi Adreas. Asia, vbi Ioannes. India, vbi Thomas. Persia, vbi Simõ & Iudas. Aethiopia (nã in Meroẽ insula Nili prędicasse Euangeliõ Math. dicitur) vbi Mattheus. Hierosolyma, vbi Iacobus. Græcia, vbi Paulus. Phrygia, vbi Philippus, &c. vbi sunt Ecclesiæ AEgypti, Alexãdriæ, Pentapolis, Syriæ, Cananeę, Astalonis, Cesareę, Gigibet, Edesse, Nicopolis, Scitopolis, Ieropolis, Adrassõnis, Sarreptæ, Beriti, Bosciæ, Nilonis, Chalcedonis, Nicomediæ, Thessaloniæ, Athenarum, Selonæ, Bethsaidę? SOLA immobilis stat S. Vniuersalis Romana Ecclesia, turris illa nullis machinamentis eliditur. Hanc hæreseon corruptio nunquam fermentauit. Hęc hęresiar-

Id est, vir germen. Cant. 1. 5.

Math. 24

Math. 16.

Exiditt Ecclesiarũ, quæ se separauerũt a cathedra Petri.

S.R.E. nunquam hæretica fuit. resiarchas nullos vnquam produxit. Quòd si mentior, argue mendacium meũ, &c. Ad hanc S. R. E. (scribit Irenæus, aduersus hæreses Valent. & similium lib. 3. cap. 3.) propter potentiorem principalitatem necesse est, omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, omnes qui sunt vndique fideles, in qua semper ab ijs conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.

Anno 471. Romanam præterea SEDEM esse primam omniũ Ecclesiarum, declarant Achacij Episcopi Constãtinopolitani, & Timothei viri doctissimi scripta. Quibus rogatur Simplicius Romanus Pontifex, vt Petrum Alexandrinum Episcopum Euthicetes imitatorem hæreseos damnet. Nec hic reticendi Græci, Anno Domini 1433. D. Ioannes Imperator Græcorum, Iosephus patriarcha Constantinopolitanus, Archiepiscopus Trapezontinus, Ephesinus, Chisitensis, Heraclitensis, Monenbussiensis, Sardensis, Nicenus, Nicomediensis, Tornobensis, Lacedemoniensis, Mitilenensis, Noldebacensis, Rhodiensis, Amentesiensis, Suranensis, Nelausenensis, Droniensis, Atheniensis, Corinthius, Magnus scacelarius, Magnus Cartophilax, Magnus Ecclesiarcha, Protodicus, Nemerophilax, & reliqui omnes partium Orientalis Ecclesiæ (aliter enim senserunt de processione spiritus sancti, contra S. R. E. fidem) sese S. R. E. coniunxerunt. (Ecclesia grecanica cedit Romanæ.) Verùm quando soluerunt fidem (catholicos azymitas probrosè & Eironicôs blasphemantes, ipsi fermentarij verius) condigna virga Assur (Anno 1453.) in seruitutem verè Babylonicam protracti sunt. Non enim fert Deus contemptum suæ Ecclesiæ, non etiam reliqua iniuriarum flagitia. O pertinaces & leues Græci; Si malum est adhærescere Ecclesiæ Romanæ, cur adhæserunt Basilius, Athanasius, Cirillus, Cæteriq; Patres, quos præcipuo sanctitatis honore præfertis? Sed Græcos exterminandos ante vobis predixit Morsenus vir sanctus & prophetico spiritu illustris, de sagittiferis illis præputiatis.

Cæterùm de S. R. E. & Sedis in ea, præstantia, vide Anacletum in fine 1. Epistol. Et Zepherinum Papam, ad Episcopos Sicilienses. Bonifacium in Epistola ad Eulalium Episcopum Alexandrinum. Vigilium in Epistola ad Eutherum. Innumeros prudens transeo.

Bernard. super Cantic. Serm. 68. Placet verò hic referre obiter, quæ D. Bernardus apostaticis, negantes S. R. E. fidem, opposuit. Tolle hanc Ecclesiam (inquit) & frustra inferior illa creatura reuelationẽ filiorum Dei expectat. Tolle hanc, & nec Patriarchæ, nec Prophetę aliqui consumabuntur, cum Paulus asserat Deum ita pro nobis prouidisse ne sine nobis consumerentur. (Cõtra negãtes S. R. E.) Tolle hanc, & ipsa sanctorum angelorum pro imperfectione sui numeri gloria claudicabit, vnde postremo dabis mihi lactantes infan-

tes

tes,quorum ex ore laudem suam perficiat Deus. Cælum non habet infantes,habet Ecclesia,quibus dedit nobis lac.Potũ dedi, nõ escam, quos per lauacrum regenerationis in Christo genuit per fidẽ suam, cum nec haberent, nec sine fine Ecclesiæ sufficeret aliena,hi ad laudem donec inueniat qui in conspectu angelorum psallant sibi dicentes.Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quidem vidimus mala. Hoc genus lætitiæ angeli nescierunt nisi per filios Ecclesiæ.Omne opus electorum est laudare Deum,sed deest laudi,si desit qui dicat.Transiuimus per ignem & aquam, & deduxisti nos in refrigerium,quod vtiq; habet facere Ecclesia, hæc S. Bernardus, claruit anno reparatæ salutis 1140. Quisquis ergo impudenti ore S. R. E. negare non veretur,is fidei catholicæ prĩcipia demoliri conatur.Et quisquis hanc Christi sponsam in hijs quę ad fidem pertinent, vel acceptandis vel reprobandis exorbitare posse impudico hiatu asserit,is Christum S. R. E. sponsum dilectum,conculcat. Opus electorum. Psalm. 65.

Ioannes Husz S. R. E. commendauit.

S. R. E. esse vniuersalem,& alias Ecclesias omneis excedere, Ioannes Husz(Husz,Bohemica vocula anserem denotat) tribus causis probat. 1. Quia gentes loco Iudæorum adiuncti sunt Ecclesiæ sub Romano Imperio. 2. Quia maior multitudo martyrum Romæ triumpharit,quàm in reliquis ciuitatibus. 3. Vt appareret omnibus,neq; locum,neq; antiquitatem,sed fidem formatam ipsam fundasse,hæc ille.Idem Ioannes Husz credidit canonẽ Missæ, quem subsannat Lutherus.Idem Husz,vocat S. Petrum,Romanæ Ecclesiæ supremum Episcopum,sicut & tota confitetur Ecclesia. Lutherus verò Petromastiges populo persuadere conatur, S. Petrum nunquam Rhomam venisse.

Verba M. Lutheri pro S. R. Ecclesia.

Lutherus etiam in plerisq; libris confessus est,nemini licere à Romana Ecclesia dissentire aut discedere,id quod in resolutione,13.propositione,sex probauit rationibus. Itidem fecit in declaratione quorundam articulorum,maximè verò, in commentario super Epistolam Pauli ad Galatas,quo in loco,circa sextum caput, in hæc verba prorumpit.Consequens est,quod Bohemorum dissidium à Romana Ecclesia,nulla possit excusatione defendi,quin sit impium,& Christi omnibus legibus contrarium, quia contra charitatem, in qua omnes leges sumantur,perstat.

Et idem Lutherus protestatus,præsentibus Cæsareanis, Augustæ Vindelicorum,coram Legato S.Apostolicæ Thoma Caietano TT.

Anno 1518. S. Sixti Cardinalē, his verbis. Ego protestor me prorsus nihil dicere aut tenere velle, nisi quod in & ex sacris literis primò, deinde Ecclesiasticis patribus ab Ecclesia Romana receptis, hucusq; seruatis, & ex canonibus ac Decretalibus pontificijs habetur, & haberi potest, hæc Lutherus. Et alio in loco, idem M. Lutherus, ad pontificem Leonem 10. de indulgentijs scribens, in fine præfationis, hisce verbis sese remisse submittit timidulus ille Aglæ (Agla oppidū Aphricæ, in Guargæ fluminis ripa positum) leo. Quare beatißime Pater (inquit) prostratum me pedibus tuæ beatitudinis offero, cum omnibus quę sum & habeo. Viuifica, occide, voca, reuoca, approba, vt placuęrit. Vocem tuam, vocem Christi, in te præsidentis & loquentis agnoscam, hęc ille pro summo Romano Pontifice, Anno 1518. Philippus Melanthon, Brettanus, in hunc vehementius exardescens, prorumpit. Vindicare Germaniam (ait) à Pontificia tyrannidè, & pium & necessarium est. Et idem Confeßionistarum pater alio in loco, S. R. E. Pontificem, iure humano præcipuum episcopum proclamat. Quid te iactas de capite, si non curas esse in corpore? Et quare non Diuino? cum non sit potestas nisi à Deo? itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autē resistunt, ipsi sibi dānationem acquirunt. Non solū substantiæ, sed & animę. Initio quidem cum fecisset Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, scio Deum Opt. Max. non dixisse, pręsit homo hominibus, sed dominamini piscibus maris & volatilibus cæli & bestijs terrę. Postq̄ verò peccatū inter homines, iurgia, rixę, & seminarium discordię crescere cępit, ad cōprimēdam prauorum hominū insolentiam, pręposuit Deus hominibus hominē, vt quos amor Dei non prouocabat ad bonum, saltem timor hominis coerceret à malis. Iam verò postq̄ iustitia de cælo prospexit, Diuina prouidentia ordinauit Christianorū temporibus, vt esset in Ecclesia Dei non solū pastor & pontifex, sed etiam in sęculo princeps, vt iste Ecclesię Dei regimini pręsit, verbisque illam instruat, & ille armis defendat. Et quod iste non potest corrigere verbo, ille feriat ferro. Et qui nolunt Ecclesiasticam suscipere disciplinam, prohibeantur à malis per potestatem regiam. Et qui potestati Dei non subditi sunt, mundanis legibus constringantur. Vtrisq; ergo potestatibus (in licitis) obedientiam debemus, quia nō est potestas nisi à Deo, &c̄. Vtinam Melanthon Aristoteli pręstitisset, quod publicè pollicitus est olim. Certè in tantam doctrinæ religionisque Barbariem non deuenisset, Consultum est vnumquenque in ea se arte exercere, in qua valet plurimum. Mores dispares disparia sequuntur studia. Et qui duabus simul rebus operam impendit, neutrum absoluit, & vtrunque tan-

Genes. 1. (margin)

Duplex potestas in terris. (margin)

tandem deperdit. Sed volitet in excelsis ingenium istud quamlibet sublime.

Eiusdem M. Lutheri verba, contra S. R. E.

Paulo post vero, postquam δυγλόασο fulgurator, & Omphalius Lutherus se à Leone 10. esse anathemate percussum, & excommunicatum accepit: vt qui in sordibus est resurgat, vel sordescat plenius. Tartarea rabie concitatus, & quasi diris Tisiphones & Megæræ flagellis (longius extra septa currens) exagitatus, maximè commendauit discessionem à S. R. E. vocans Bohemos Euāgelicissimos, sic enim inquit verbis plus quàm Tragicis, Beata Græcia, Beata Bohemia: Beati omnes qui à Romana Ecclesia sunt separati. O Euangelicum virum, cuius meminit Iacobus capite tertio. An non hoc est, ex eodem ore benedicere & detrahere? Scripserat olim se habere tam opulentum Euangelion vt nunquam fuerit: postea vero recantans, palinodiam Stesichori more, dixit se errasse, in hoc quod dixerit, aliquos articulos Ioannis Husz esse Euangelicos. Erraui (inquit M. Lutherus) & hunc articulum reuocaui, & adhuc reuoco, in hoc quod dixi, aliquos articulos Ioannis Husz esse Euangelicos, πρὸς τὸν μητρυιᾶς τάφον δακρύει: Simulat enim dolorem, cum reuera non doleat. Alio in loco, Lutherus Iohannem Husz, sanctum virum, & huius articulos condemnatos in concilio Constanciensi, Euangelicos, Christianissimos, verissimosque proclamat, & è vestigio se Hussitam negat, his verbis. Proinde non rectè faciunt, qui me Hussitam vocant. Non enim mecum ille sentit. Quem Lutherus negat, Eundem Io. Husz, Bullingerus & cæteri Zuinglistæ, Euāgelicæ veritatis adsertorem vocant. Alio in loco, de Ioanne Husz, Lutherus in hæc verba scribit. Si Ioannes Husz fuit hæreticus, ego plus decies hæreticus sum, &c. Hoc vocabulum quod vehementer abhorrent, velut infaustissimum, nocentissimumque ac maxime probrosum, catholici: De illo gloriatur, seipsum condemnans fraticellus nigellus. Quis vero ignorat Hussitas fuisse legitimè anathemate percussos? Idem Lutherus, quę in disputatione Lipsica (anno 1519.) probauit, postea reprobauit. Idem, in libro de captiuitat. Babylonica, negauit esse septem sacramenta: & mox in contrarium asseruit (in libro de potestate Papæ) esse septem sacramenta: vt multa consulto prætercam. Quæso te candide lector, huc animum accōmoda, & rem ipsam propius contēplare, vide quomodo vt luna mutatur Lutherus? intuere subitam Pythagoricam μετεμψύχωσιν, hominis, versipellem versicoloris Polypi animum? Quis iam non dixerit, excucullatum illum quę ore palàm tumida superbia

Id est, ad nouercæ tumulum plorat.

Articulo assertio. 30.

perbia inflatus,profeſſus & proteſtatus eſt,poſtea mirifico aſtu(quã-
tum in ipſo fuit) inſequutum fuiſſe? contra id quod dixit Cicero.
2. Officio. Quod affirmatiuè quaſi Deo teſte (inquit)promiſeris , id tenendum
3. Officio. eſt.Et iterum.Quod ex animi ſententia iuraueris , id non facere per-
iurium eſt.Bis errore labi alienum prorſus eſt à ſapiente. Hinc veri-
dicum fit quod dixit Plato in Moralibus : Homines & vaſa , ſimili
modo probamus:hæc quidem ſono:illos ſermone cognoſcimus. &c.
Sed ſcriptum eſſe ſcio. Ab Aquilone pandetur omne malum ſuper
Aquilonaris peſtis. Eſaiæ.14. omnes habitatores terræ,Hieremiæ primo capite.Et Iſaias. Ab A-
quilone enim fumus veniet,& non eſt qui effugiat agmen eius.Et a-
Zacha. 1. Ezech. 1. lio in loco ſcriptura.Ventus turbinis veniebat ab Aquilone.Et ſicut
Hiæna ſeu ichneumõ,nunc mas eſt,nunc fœmina. Ita hic Pentaglot
tus ſui diſsimilis,calidum & frigidum ex vno ore Satyriſci capripe-
dis inſtar,calidum & frigidum ex eodem ore, protheus ſeu chamæ-
leon efflat.Negauit Lutherus(ad Vualdenſes)corpus Domini in ſa-
Lutherus anguilla lubrica. cramento Euchariſtiæ adorandum eſſe. In contrarium aſſeruit (ad
eoſdem Vualdenſes)idem excucullatus , quod ſicut Magi in terra a-
dorabant Chriſtum,ſic in Euchariſtia poſſe fieri. Negauit (in libro
de captiuitate Babylonica) Miſſam opus eſſe bonum,vel eſſe ſacrifi-
cium.In contrarium (in eadem captiuitate ſua, & in 10. præceptis)
aſſeruit,Miſſam eſſe partem Euangelij,& Miſſas valere pro viuis &
defunctis.Affirmauit (in libro de præparatione ad mortem, & de po
teſtate Papæ)idem Lutherus:Extremam vnctionem eſſe ſacramen-
tum,In contrarium(in libro de captiuitate Babylonica) negauit ex-
tremam vnctionem eſſe Sacramentum , ſed eſſe figmentum homi-
num:plura omitto.Quid eſt Chriſton lacerare,ſi hoc non eſt?

Ite nunc Apoſtatici,& hunc veſtrum Prophetam lectiſsimum E-
uangelij propagandi organum,ſcilicet,(Quem eccum Andabatam,
quidã credidere à λοτρὸμ vocatum,)laudibus efferte mendaciſsimis in
cælum,credite eum vobis de cælo lapſum, Sancto ſpiritu eius obum
ἱερωνικῶς dictum. brãte imaginẽ,Euangelicũ virum prædicate,diuinum hominem di-
cite,tanq̃ aheneum murum immotum conſtitiſſe ebuccinate : Date
lilia,ponite ſtatuas,illi veſtro duci.Hem iſti mandes,ſi quid recte cu
ratum velis.Eleuate Euangelicum illum Doctorem(ſi non mentior)
ad aëra,Nihil proficietis.Non negare poteſtis:Sacræ paginæ Docto
rem egregium, IOANNEM COCHLAEVM (antidoto opportu
no,clauum clauo contundens)hunc veſtrum Prophetã fortiter pro-
ſtrauiſſe, 556.articulos adducẽs,in quibus Lutherum ipſum ſecum
diſſentire oſtendit. Hunc ſecutus IOANNES FABRI, adduxit
63.articulos(anno 1528.) in quibus articulis inter ſeſe diſcordanti-
bus,

bus, miserrimus Antichristi antesignanus, proprio iugulo cōfoditur. Quod si verè Euangelici sunt Lutherus & consectarij, cur nō respon derunt? si veritatem docent, cur pedem subtrahunt? Sed iam tempus est vt vlterius progrediamur, atque dicamus de Sedis Apostolicæ, & PETRI primatu.

PRIMATVS Sedis Apostolicæ, & Petri.

PETRVM præ cæteris Apostolis primitus rexisse S. R. E. tanq̄ ma gistram, vnanimi consensu doctores Ecclesiastici comprobant. Nota. Præfuit enim S. R. E. Petrus Apostolus (vt D. Hieronymus vult) an nis 27. & secundū V. Bedam, annis 29. Idem Petrus, tenuit Pōtifica- Discordiare rū in tēpore nō infirmat fidem rei gestæ. tum in Oriēte, secundū D. Hieronymum annis 5. & secundū Bedam 7. annis. Deinde veniens Antiochiā vrbē Syriæ, cuius meminit Am mianus li. 14. & Mela. li. Geogra. Sedit ibidē annis 7. docens populū viā veritatis: Prędicauit etiā in Ponto, Galatia, Capadocia, Asia & Bi thinia, quibus postea de ROMA epistolas direxit. Idē circūcisionis do ctor Petrus, Simonē magum (de quo Tertullia. li. de hæresibus) cōfu tauit, & de Roma fugauit: Discipulos diuersos diuersis prouincijs ad conuertēdum populum misit, Christiq; fidem, gloriosus Athleta, glo- riosè in diuersis regionibus, dilatauit. Tandem post multa sanctitatis insignia, cùm Romæ sedisset annis 25. mensibus 7. diebus 8. marty- rizatur (anno mundi 5232.) à Nerone, adiuncto comite suo coapostu lo Paulo, testatur Aegesippus, (de excidio Hierusalem) qui sub Ami- ceto venit Romam, circiter annū Domini 160. Cuius etiam senten- tiæ subscribit Tertullianus (vir in diuinis literis ad prodigiū vsq; do ctus, vt non sine causa Cyprianus hunc suū magistrum solitus sit ap- pellare) lib. 3. aduersus Marcionistas, eādem materiam supradictam confirmans. Sic ergo ambo iactis iam validis religionis fundamētis, martyrij coronam adepti sunt, Mundo mortui, Christo viuunt. Alio in loco (lib. 4. contra Martionem) istud confirmante nascentis Eccle- clesiæ lumine, Tertulliano. Videamus, inquit, quòd lac à Paulo Co- rinthij hauserint, ad quam regulā Galatę sint recorrecti, quid legant Philippēses, Thessalonicenses, Ephesij, quid etiam Romani de pro- ximo sonent, quibus Euangelium & Petrus & Paulus sanguine quo- que suo signatum reliquerunt, &c̄. Placet hic, quando incidimus in S. Pauli memoriam, aliqua de eo disserere. Hic Gētium doctor, om- S. Pauli martyrium. nibus salutatis Christianis, lictori ceruicem & iugulum præbuit, ex ceruice cum securi percussus esset, pro sanguine lac, quasi integritatis Eusebi. lib. 2 cap. 24. & innocentiæ signum fluxisse dicitur. Funeratur via Ostiensi, anno post mortem Christi 37. Dictus est Vas electionis, (ait Hieronymus ad Pau-

ad Paulinũ)quod legis & sanctarum scripturarum armarium extiterit. Qui plura de sanctissimis Apostolis legere concupiscit & desiderat, legat Egesippum lib. 3. cap. 2. ad institutum.

Sed audiamus Ambrosium (in ser. de fide Apostoli Petri, 47.) quomodo Petro petræ nomen conueniat. Petrus denique (inquit) pro soliditate deuotionis Ecclesiarum petra dicitur, sicut Dominus. TU ES PETRUS & super HANC PETRAM (exponit D. Hieronymus, id est, super te, & tibi dabo claues &c.) Petra enim dicitur eo quod primus in nationibus fidei posuerit fundamenta, & tanq̃ immobilis lapis totius fidei negotiũ compagem molemq; cõtineat, petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, & petra pro virtute Dominus nuncupatur bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus. Et quod Chaldæi Cepha, hoc ipsum Græci πέτραν vocant, nos saxum. Alio modo Cephas Syro sermone soliditas dicitur, solidus enim fuit Petrus in cõfessione veritatis. Rectè ergo meretur consortium nominis, qui consortium meretur & operis. Qui in eadem domo lapidem angularem seu fundamentum iecit, Petrus plantat, Dominus incrementum dat, irriguum subministrat: Petrus cum suis testationibus proficit, fletibus suis gaudet, periculis suis crescit: Petrus caput Ecclesiæ: Petrus respectu supremi capitis membrum Ecclesiæ. Petrum alijs omnibus Apostolis præfuisse, cõfirmat Cyrillus, in Euangel. Ioannis, lib. 2. cap. 2. dicens. Christus Petrum instruit, eum se esse, qui cuncta, etiã antequam fiant, nouit: nec Simon fore iam sibi nomen, sed Petrus prædicit, vocabolo ipso commodè significans quod in eo, tanq̃ in petra, lapideq; firmissimo suam esset ędificaturus Ecclesiam. PETRUM præcipuũ Apostolum (cui Dominus curam vniuersalis Ecclesiæ commisit) vocat Ambrosius. Eundem Petrum, vocat Hilarius, super psal. 31. primum confessorem Christi, fundamentum Ecclesiæ, & ianitorem cæli. Iterum idem, super psal. 141. vocat eundem Apostolum firmam petram Ecclesiæ superædificandę. Et Augustinus, in Ioannem inquit. Petrus natura vnus erat homo: gratia vnus Christianus: superabundantiori gratia vnus idemq; primus Apostolus, &c. Quàm celebris Primatus Petri sit in Euangelio, vide Matth. 16. Ioan. 21. Luc. 22. Acto. 15. Ephes. 2. &c.

Petrę nomẽ conuenit Petro.

1. Corin. 10.

SEDEM Romanam S. Petro esse dicatam seruatamq; confirmat Augustinus, dicens. Non sine causa inter omnes Apostolos huius Ecclesiæ catholicæ personam sustinet Petrus. Et idem Augustinus (contra literas Petiliani, lib. 2. cap. 51.) inquit. Quid tibi fecit cathedra, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet?

Augusti. de agone christiano. ca. 30

Symeon hacæphi (inquit Clemens, Epistol. 1. ad fratrẽ Domini)

veræ

veræ fidei merito, & integræ prædicationis obtentu, fundamentum esse Ecclesiæ definitus est. Claruit is Clemens Apostolorum tempore.

Petrum (inquit Ambrosius, in Luc. cap. 24.) amoris sui velut vicarium reliquit. Claruit hic Ambrosius, anno 380.

Petrus sanctus magister, & princeps Apostolorum, de Antiochia vtilitatis causa translatus est Romã, vt ibidem potius proficere posset, inquit Antherus, Epistola de translatione Episcoporum.

Et Augustinus (tracta. 56. in Euangelion Ioannis) inquit. Quis nesciat, primum Apostolorum esse beatissimum Petrum? hæc ille. an non Petrum, Christus singulariter ouili suo præfecit? an non confirmationem fratrum imposuit?

Nos (inquit D. Gregorius, in parte 2. sui Regesti, epistol. 34.) Ioan. 21. Luc. 22. qui licet immeriti Sedem Apostolicam vice Petri Apostolorum principis suscepimus gubernandam, ipso pontificatus tempore cogimur generali hosti, quibus valemus nisibus obuiare.

De primatu Diuus Cyprianus, lib. 3. Epistol. 2. ad Cornelium summum Pontificem, mẽtionem facit, in hęc verba. Nos Cornelium summum Pontificem S. Catholicæ Ecclesiæ erectum à Deo omnipotenti, & Christo Domino nostro, scimus. Nos errorem nostrum confitemur, circumuenti sumus perfidiæ loquacitate, factiosa amantes, videbamur quasi quandam communicationem cum scismatico homine habuisse, syncera tamen mens nostra semper in Ecclesia fuit, nec ignoramus vnum Deum esse, & vnum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, vnum spiritum sanctum, vnum Episcopum in Ecclesia catholica esse debere, hæc Cyprianus martyr.

Aurelius Mundius Carthaginensis concilij præses, noluit Pelagium & Cælestinum hæreticos declarare, absq; consensu (successoris Petri) Romani Pontificis, cuius authoritas est, inquit Augustinus in Epistolis, Epistola 90.

Ambrosius in lib. Hexameron 5. cap. 24. de sancto Petro ait. Ipse Ecclesiæ petra culpam suam diluit.

Vniuersalis Ecclesia, inquit Athanasius ad Liberium Papam, vobis in Christo est commissa, vt pro omnibus laboretis, cunctis opem ferre non negligatis. Claruit anno 314.

S. Petrum vocat (super psalmum 138.) Arnobius, Episcoporum Episcopum.

Scimus (dixerunt Episcopi Aegyptiorum) in Nicæna magna synodo (318. Episcoporum) ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere, absq; Romani Pontificis sententia concilia celebrari, neque Episcopos damnari.

H Quid

Quid est, inquit D. Augustinus (tracta. 10. in Canonicam Ioannis 1.) super hanc petram ædificabo Ecclesiã meam? Super hanc fidẽ, super id, quod dictũ est, Tu es Filius Dei viui. hæc ille. In quibus certè verbis Domini, latet cælestis vis quædam viua & efficax, quæ legentis animum (si modò illas purè humiliterq; tractauerit) in diuinum amorem mirabili quadam potestate transformat. &c.

Math. 16. Quòd si Christus noluit Petrum maiori quàm cæteros authoritate pollere: Cur ei præ cæteris cognomentum ex seipso petitum adhibuit? Cur in ordine primum constituit? Cur super ipsum ædificandam Ecclesiam pollicitus est? Cur donauit clauibus regni cælorum? Cur sibi Petrum solum adiunxit in soluendo didragmate? Cur pro solo Petro, ne is deficeret in fide, sed cæteros confortaret, orauit?

Math. 17. Luc. 22. Mar. vlti. Cur soli Petro singulariter & prius q̃ cæteris apparuit? Cur simili mortis genere, hoc est in cruce, finiri voluit eum? Cur vni Petro pręcæteris tot insignia Christus contulit? Cur inquam, soli Petro, sua successio permansit incolumis? Discurre per cæterorum Apostolorum sedes, & iam aut omnes vacuas inuenies, aut non legitimos habere successores: Nec Paulus qui ob superbiam de sede doctrinæ legalis depositus est, inquit Beda, sed mox ob humilitatis subiectionem ad Euangelizandam Christi fidem leuatus est. Nec Ioannes. Nec Iacobus. Neque cæterorum fermè quisquam, successionem hodie reliquit vllam. Soli Petro sua successio stat, Rectè igitur dixit Christus.

TV ES PETRVS.

S. E. fundamentũ fides Petri. Fides Petri S. E. R. est fundamentum, per hanc fidem infirmæ aduersus eam sunt portæ inferorum: CLAVES (non tantùm promissæ, sed etiam datæ primò à Christo vnico Petro) sunt potentia & Claues in S. R. E. scientia discernendi, Significatæ per claues ostiariorum templi, qui immundos abijciebant. Illis duabus clauibus, dignos recipit mystes, ad Ecclesiæ gremium, obluctantes verò & rebellantes legibus Euangelicis semel receptis, coheret & excludit, Ioannis 20.

Sciendum itaque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ non modò baptizando, (vt somniarunt Apostatici) sed etiam iudicando & absoluendo peccata dimittere. Nec etiam reticendum, triplex esse genus ligationis. In S. E. triplex ligatio Ligatur enim peccator vinculo culpæ, quando peccat. Altero modo, Vinculo pœnę cuius debitor efficitur. Vltimo, ligatur vinculo pœnitentiæ, iniuncta satisfactione, &c.

Petrus cur negare permissus. Nec hic omittendũ censeo, PETRVM, S. R. E. Episcopum, tribus de causis tentatũ à Domino fuisse, Mar. 8. Matth. 26. Prima est. Vt sciret ex seipso compati infirmitati aliorum. Altera est: vt supprimeretur

retur temeraria præsumptio. Et Paulus, Hebræorum 4. capite. Ne su perbiret, tẽtatus est à superbia: qui enim vult solidus esse in Christo, in se infirmus sit necesse est. Vltimò ob hoc cadere permisit Deus, ne tu lapsus desperares: Nam Christus vult infirmos curare non abijce re, Ezech. 18. Matth. 11. ad institutum. Ambro. Hexame. lib. 5. cap. 24.

HOC AVTEM quod ex præmissis authoritatibus liquescit, intelligendum est de spiritu, fide, fiducia, confessione, professione, &c. Hæc si abstuleris non remanebit in filio Ionæ, quo merito chenoboscon struas: Chrysostomus itaque dicit, Ecclesiam fundatam in confessionem Petrinam. Et Augustinus, in homilia super hanc petram, quam scilicet es confessus. Item: Super me ædificabo me, non me super te. Christus itaque petrarcha: Petrus petra, Petrus à petra, & non petra à Petro. Christus petra: Petrus Ecclesia, inquit Augustinus. Rectè ergo Petrus non ob fidem, sed ob fidei confessionem clauium accepit promissionem, multi enim olim crediderunt, at vnicus Petrus claues, quando confessus est, meruit.

EPISCOPI Sanctę Romanæ Ecclesiæ authoritatis, meminit Tripartit. histor. lib. 4. cap. 3. & lib. 5. cap. 29. Augustinus de agone Christiano, capite 30. Cyprianus, Epistol. 11. lib. 3. & lib. 4. Epistol. 2. & libr. 4. Epistol. 8. Chrysostomus, Homilia 55. in Matth. cap. 16. Origenes, lib. 5. in Roma. cap. 6. Irenæus lib. 3. cap. 3. Tertullianus, pag. 109. Hilarius, lib. 6. de sacra Triade. Cyprianus lib. 4. Epistolarum ad Pupianum. Et lib. 1. ad Cornelium. Origenes Homil. 6. super Matthæum. Hieronymus libro primo contra Pelagianos; & super Matth. 16. Ambrosius, Sermo. 47. Cyrillus, lib. 2. cap. 12. super Ioannem. Chrysostomus, super Ioannem, Homilia 80. de pœnitentia. Dionysius, cap. 3. de diuinis nominibus, Hieronymus, in Ezechielem, cap. 41. &c.

Ęlectores Romani Imperij authoritatem Romani Pontificis, Friderico successorem delegerunt Henricum, annò 1220.

Ordinis inter nos necessitas.

CAEPHAS igitur & posteri qui Petrò in hac sacrosancta successerunt Sede Romana, rectè constituti sunt à Domino Deo, Id enim ratio rerum, & ipsa mirifica productrix (natura) expostulat, vnus alterum vt antecellat. Sic in tabernaculo simul & templi Salomonis ministerio, ordo (qui ex multis gradibus necessario consistit) erat sacerdotum Leuitarumque: Quibus cohen Gadol, id est, sacerdos magnus, quem nos Papam, id est, patrem patriæ (ἀρχιποίμην Sar Cohen hoc est, summus Pontifex PP.

 Græ-

Græcè. Neque tantùm pascere, quod Græci ϐόσκειν, sed etiam regere, quod ποιμαίνειν dicunt, oues suas iussit) Romano more vocamus,
1. Para. 19. 2. Para. 24. præficiebatur. Sic caput sacerdos Amarias in Israël. Sic sacerdos Ioiada, quem publicè pronunciauit rex Ioas, caput seu Rosch. Sic Aharon pontifex summus à Deo est creatus: Abiud verò, Eleazar & Ithamar, longe minoribus cerimonijs initiati sunt.

ORDINIS inter nos necessitatem, natura docet apicularum exemplo, quæ in suis sirpiculis vnum sceptriferum Βασιλέα, quemadmodum & Naupliade volucres suum ductorem, obseruant. Verum ergo est, quod ait Basilius Magnus in Gordium martyrem. Naturæ lex (inquit) apibus innata fratres dilectissimi, nisi rex prius agmē præcedat, ab aluearibus nunquam discedant, hæc Basilius. Sic iudex vnus vnius. Roma septicollis illa maxima, vt condita est, duos vterinos fratres simul habere reges non potuit, & parricidio dedicatur: cuius meminit D. Michaël verinus Hispanus.

Non capit vna duos maiestas regia fratres,
Fraterno rubuit sanguine Roma recens, &c.

Ex Esau, Edomitæ. Genes. 25. Sic in Rebeccæ vtero Esau, & Iacob (cognomento Israel appellatus, hoc est princeps Dei) gesserūt bella. Sic sunt in exercitu, hastati, primipilarij, centuriones, decuriones, magistri cohortium, præfecti legionum, tribuni militum, duces, &c. & caput omnium exercituum
Cēturio turma 100. stratiotarū magister græce hecatontarchus. IMPERATOR. Sic in naui vnus Limenarcha & Triarchus. Domus ad vnum familiæ patrem reducitur, Ciuitas ad vnū Principem, etiam quæ Aristocratia vel δημοκρατία vtūtur. Sic curiales suos habēt plebeios magistratus seu tribunum (quos Græci ὕπατον: ἀνθύπατον &
Id est, summū consulē procōsulem dictatorem. αὐτοκράτορα vocant) vnum, cuius est vocare ad comitia curiata. Sic habent ordinem suum (licet superstitiosum) longè decantati gentiles. Mauri, Morabitani seu Meluar, Indi insulares, Quines, Aegyptij (posteritas Chā & Mitzraim) Caliphum, Callecutæ, Archibramimum,
Genes. 10. Psalm. 78. Alcoranisti, Talismanlar, Cubenses, Cacicum, Tartari, Seijd. Cumani, Hierodulum. Sic etiam Romani, vnum habuere Pontificem ma-
Strabo li. 12 ximum qui cæteris pōtificibus præerat, nec poterat nisi vnus esse qui templo Vestæ & custodiæ Palladij erat præpositus, cui denique omnia sacra publica priuataque subiecta fuerunt. Sic Athenienses suos phylacas, id est custodes. Lacones, Harmostas, & itē Ephoros seu inspectores suos, obseruarūt. Sic Abyssini, Christianæ professionis homines, suū obseruant patriarchā, (sedem habet patriarchalem in vrbe Barrara) quē Abuma vocant: Sic Græci proprium habēt patriarchā in hodiernū vsque diē, cui Rutheni, & circūiacētes regiones christianorū parēt. Sic Mosouitæ suū habēt Metropolitanū, (sub cuius dominio sunt duo

Archie-

Archiepiſcopi, in Nouuogardia, ſcilicet Magrici & Roſtoff. Item E- Epiſcopi in dominio Moſcouitico
piſcopi. Tvuerenſis, Reſanenſis, Smolenſis, Permiæ, Suſdali, colum-
næ. Czernigovuiæ, Sari: Qui omnes Metropolitę Moſcovuitico ſub
iecti ſunt. Planetæ inferiores (inquit Baſilius) ſubſunt ſuperioribus.
In corporibus quoque animantium caput cætera tuētur & veneran
tur membra. Et in partibus animæ, rationi appetitus ſubijcitur. Nec
duos ſimul ſoles ſuſtinet vno in Zodaico Mundus, inquit Seneca.
Eiuſdem materiæ, meminit Homerus in Iliade.

Multorum imperium multa eſt confuſio ſemper,
Multi ſunt damno Domini: rex vnicus eſto. Vnius imperium optimum eſt.
Vnus ſit princeps populum ditione gubernans,
Cui credidit imperij, ſceptrum Saturnius ingens.

Hinc emerſit memorabile prouerbium Gręcanicum. πολλοὶ στρατηγοὶ καρίαν ἀπώλεσαν, Id eſt, Multi Imperatores perdiderunt Cariam. Romulus, fratrem ſecum regnantem ferre non potuit, neque Pompeium Cæſar, nec Auguſtus Antonium: & tu adhuc aliquem putas eſſe in terris, qui æquo animo ſit laturus conſortem Imperij? ad reliqua tranſeamus noſtri inſtituti. Atque vt vnico verbulo plurima perſtringam, Orbes cæleſtes perpetua vertigine parent Deo ſummo ſacerdoti: Nec vllum ſydus è tot ſtellarum milibus ordinem deſerit, aut in officio ceſſat, & homines quid facere par eſt? Totus itaque ordo imò recta ratio inducit, quò Entia bene regantur, vt imperia, & regna politiæ quoque ſubſiſtant, vnum eſſe principem, cum nihil magis in vniuerſum iuri & æquitati aduerſum ſit, quàm ordinis confuſio. Decuit ergo & in religione Chriſtiana ſeu Chriſti Eccleſia, ordinem eſſe, vnus vt alteri ſubſit, Inferiores, ſuperioribus. Cathedra vna, in vna Eccleſia. Vbi enim non eſt ordo (inquit ille) ibi eſt confuſio, quod Eccleſia monſtroſa ſatis manifeſtè demonſtrat. Iudæi abſque capite viuentes, ſenſerunt ſeditiones, ſectas, Eidololatriam: Id certè dudum catholicis Chriſtianis euenisset, niſi diuina prouidentia penes vnum Pontificem ſumma rei, & Iudicum 17. & 18.
ordinatio poſita eſſet. Sic Paulus ordinauit Timotheum. 1. Tim. 4.
Sic Petrus, Zacheum Epiſcopum conſecrauit. Sic Origenes ordinatus à duobus Epiſcopis, Alexandro & Theochiſt. &c. Quà de re, multis presbyteris vnus Epiſcopus in ſciſmatis remedium prępoſitus eſt. 2. Timot. 1. Irenæus lib. 4. cap. 20. Clemēs li. 3
Epiſcopis cuiuſque prouinciæ vnus Archiepiſcopus, qui & Metropolitanus dicitur, quorum meminit D. Hieronymus ad Pammachiū. Hierarchia ad quid inſtituta.
Metropolitanis verò pluribus, vnus Primas: Inter quos omnes PONTIFEX ROMANVS myſtagogus, veluti tenens legittima (vide Auguſt. Epiſt. 162.) ſucceſsione cathedram S. Petri Apoſtolorum

principis,summus est amplitudine iurisdictionis & solicitudinis omnium Ecclesiarum: Summus quidem inq̃, omnium episcoporũ (non ordine sacerdotij, sed magis plenitudine administrationis ac potestatis.) Sed non principium vniuersitatis, seu Papa cælestis, & omnia in omnibus, sed omniũ minister, seruus seruorũ IHESV CHRISTI. Voluit itaq; dilectus sponsus Opt. Max. Deus, vnitatem suæ sponsæ Ecclesiæ esse integrã ac immaculatã, cuius ipse primarium caput existit. Non quod in ipsas personas, quæ alioqui labi possunt, hanc vnitatem collocare debeamus, sed vt circa vnam illam Sedem Petri præcipuam ac vicariam quandam authoritatem agnoscamus, adeo vt quanq̃ personæ non semel varios in errores cum fidei tum morum lapsi sint, perstat tamen huius S. Sedis vnitas, perstat concredita potestas, Christi promissione roborata: nixa enim saxo immobili Christo, nullis turbinibus concutitur. Neque his nostris scriptis, Apostatici Lutheri blateramenta, obsistunt: quibus quosdam summos Pontifices infectos ab astuto dæmone fuisse demõstrat. Successio enim hęc (quæ à Petro sumpsit initium) omnino perseuerat, nec violentissimis Tyrannorum infestationibus, nec acerrimis hæreticorum argutijs, sed nec vlla Satanę malignitate valuit vnquam impediri. Manet Petrus huius generationis immobile fundamentum. Nec ab hoc principio suo potest vllis aduersariorum insidijs Ecclesia diuelli. Propterea nolumus summorum quorundam Pontificum flagitijs patrocinari, si qui lac ouium fortè consumentes, sese lana vestierunt, & adipem depasti sunt: Sunt enim, qui non tam fulgore auri splendicant (cum maiestas Episcopalis auro comparetur) quàm plũbi liuore pallescunt. Quorum Hezechiel meminit, cap. 34. Oues autem non pauerunt: Quando & ipsi habituri sunt iudicem strennuum Iesum Filium Dei viuentis. Etenim (vt repetam) vt Petri fides non concidit, pro quo, cum eum negasset, Christus antagonista, orauerat. Ita summus hic clauiger, cũ improbè in terris res Christianas gubernat, non ob id ilico sponsa Christi neganda fuerit, verùm omnia iusto & omnipotenti iudici committenda, qui cuiq; iuxta opera sua tribuet: is est remunerator bonorum, & malorum vindex acerrimus. Et quo altior est gradus, eo ruinæ casus grauiores imminent, & potentes potenter tormenta patientur. Monstruosa res (inquit S. Bernardus, de conside ra. lib. 2.) gradus summus & animus infimus: Sedes prima & vita ima: lingua magniloqua, & manus ociosa: sermo multus, & fructus nullus: vultus grauis, & actus leuis: ingens authoritas, & nutãs stabilitas, hæc ille. Labi igitur possunt magnates Ecclesię, non propterea statim cachinno excipiendi & damnandi. Labi permittit cælestis Pater &

PP. quomodo summus

Vna Petri Sedes.

Math. 25.

ter & tentari, vt tentatis compati possint, &c. Expectabatur in lege à sede Aharonica causarum dissidentium iudicium. At nunc in lege noua, vbi vna summa est sedes (quanquam vicaria) ad illam in Ecclesia dubijs in rebus confugimus. Hebræo. 4

Cæterùm de electione Pontificis, vide decret. concil. Aurelianen. 4. Can. 2. vbi ostenditur pontificij honorem non votis esse quærendum, sed meritis, sed moribus, sed omnium fauore & suffragio. Qui enim censuram habet & præest multis, hunc irreprehensibilem esse oportet. Electio Pontificis qualis esse debeat.

Sed quid opus anxiè digladiari? cur dubitamus de Christi promissione Ecclesiæ facta? cum certum sit ipsam esse fundatã supra firmam petram & perpetuò mansuram?

Atq; vt tandem finiam, PETRO succesit succedaneo vsu, LINVS. Cuius meminit D. Chrysostomus (Hom. 102. Timoth. 4.) dicens. Aiunt quidam Linum, secundum Petrum R. Ecclesiæ Episcopum fuisse. Anacletus: Clemens: Euaristus: Alexander: Sixtus, &c. Qui Ecclesiam vt studiosissimè ita felicissime coluerũt. At vnicus Apostaticus, adiunctis sibi consectarijs, non veretur insurgere contra sedem Apostolicam & huius rectores, tot retrò sęculis cunctis nationibus venerabilem? Sic etiam Augustinus Donatistæ cuidam, Epistola 365. ait. Si ordo sibi Episcoporum succedentium considerandus est, quanto certius, & verè salubriter ab ipso Petro numeramus? cui totius Ecclesiæ figuram gerenti; Dominus ait. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim succesit, Linus: Lino, Clemens. Clementi, Anacletus. Anacletus, Anacleto: &c. In hoc ordine succesionis, nullus Donatista inuenitur, hæc ille.

CATA-

CATALOGVS PONTIFICORVM S.R. E. à Petro vſque ad Paulum 4. huius nominis.

Item.

Farrago, ſuccinctè complectens, quæ à multis ſparſim tradita ſunt: Recreat enim VARIETAS, quæ eſt ſatietatis mater, faſtidij expultrix, inuitatrix lectionis, modò non nimis externa ſit & remota.

PETRVS.



ALILAEVS è Bethſaida, Apoſtolus, & fortiſsimus fidei agonotheta, in ſtadio poſitus, & veriſsimus Chriſti teſtis, bonum certamẽ certauit, curſum conſummauit, fidem ſeruauit: de reliquo recepturus depoſitum, crudeli & impio enſe trucidatur, ſacrumq; gutturis organum, quod iugiter nomen Chriſti perſonabat, præſcinditur: Anno redempti orbis 33. adijciunt alij annos 5. Sedit annis 25. menſ. 7. diebus 8. Sepultus in Vaticano, via Aurelia ſecus hortos Neronis, non longe à via triumphali, quæ ad Apollinis templum ducit, 3. Calend. Iulij. Scribit Ioachimus Perionius, Petrum (& vicarium Chriſti & ſynſtauromenon) à Nerone archityrãno, ſupplicio crucis, inuerſo capite, quod indignum ſe eſſe diceret, qui ità vt Chriſtus moreretur, affectum fuiſſe.

Id eſt, cõcrucifixum.

Sub Nerone, Tribochi in Alſatia, à S. Materno (S. Petri diſcipulo) ad fidem Chriſtianam perducti ſunt, quamuis curſu temporis religio ſit intercepta. Idem S. Maternus Argentoratum ingreſſus, templum extra portam conſtruxit, quod in hodiernum vſq; diem, S. Petri ſenioris nomen obtinuit. Alteram baſilicam in eiuſdem S. Petri honorem extruxit, quæ Latinè domus Petri, vulgo theutonico Domphieter, Argentinenſis diœceſeos: Ibi ſarcophagus, in quo inſcriptum ſequens (antiquiſsimis characteribus) Epitaphion, quod placuit propter antiquitatem inſerere.

S. Matern⁹ Alſatiam cõuertit.

ET MEMORIAE TERENTIAE AVGVSTVIAE CONIVGI SANTISSIMAE IVSTVS IVSTINVS MARITVS EIVS ET TI OCEANVS ET FLORIDA MATRI PIENTISSIMAE.

S. Thæ-

S. Thecla, virgo & martyr, passa est apud Iconium, imperante Nerone Christicyda.

S. Geruasius & Protasius, passi sunt sub Nerone, circiter annū Domini 57. 10. Calen. Iulij. Patrem habuerūt Vitalem, qui Rauēnę, & matrem Valeriā, qui fide, Mediolani, pro Christi martyriū tulerūt.

LINVS.

Natione Italus, è Tuscia, patre Herculaneo genitus. Sedit Episcopus annis 11. mens. 3. diebus 12. adijciunt alij mensem vnum. Capitis supplicio afficitur, tēporibus Neronis, à Saturnino cōsule. sepelitur in Vaticano iuxta Petri corpus die vndecimo. Sunt qui scribāt Gregorium Episcopum Ostiensem corpus sanctissimi Pontificis Ostiam ex voto transtulisse, & in templo diui Laurētij magnificè collocasse. De Lino, vide plura in Irenæo, lib. 3. cap. 3. Platina & Eusebio. Anno 71.

Ne qua mulier, nisi velato capite templum ingrederetur, ex mandato Petri constituit.

Idem, ex sacris ordinibus bis in VRBE habitis, presbyteros 18. Episcopos 11. creauit.

Scripsit res gestas Petri, maximè verò eius cōtentionem cum Simone mago.

CLETVS.

Natione Romanus, de regione Vicopatritij, patre Aemiliano, adhortante Clemente, pontificatus onus inuitus suscepit, licet doctrina, moribus, & dignitate plurimū valeret apud suos. Sedit annis 12. mense 1. diebus 12. alij 11: redactis in ordinem ex mandato Petri 25. presbyteris, sub Domitiano palmā martyrij promeruit, 5. calē. Mai. Anno 81.

De Lino & Cleto, variant authores, sed in re non admodum perplexa, iudicium permitto lectoris arbitrio.

Cleti temporibus, floruit S. Lucas, Medicus Antiochensis, Græci sermonis apprime doctus, Pauli apostoli imitator, & omnis peregrinationis eius comes ac socius. Scripsit autem Euangeliū, quod à Paulo laudatur. Vnde meritò Euangelium illud suum esse Paulus dicit. Apostolorum verò res gestas quēadmodum viderat, conscripsit. Vixit annos 83. vxorem habuit in Bithynia, sepultus est Constātinopoli: ad quam vrbem 20. Constantij anno eius ossa cum reliquijs Andreæ apostoli de Achaia translata sunt. S. Lucas.

Philippus quoq; eadem tempestate ex Scythia, quam viginti annis in fide, exemplo, prædicatione retinuit, in Asiam rediens, Hierosolymis moritur. S. Philippus.

Affecti sunt & alij multi martyrio hac tēpestate, inter quos est habitus S. Dionysius, qui primū à Paulo salutis dogmata percepit: dein de Maximo Hierotheo, vt ipse ait) secundo vsus est pceptore & demū S. Dionys. Areopagita

(vt

(vt in septimo Apostolicarum institutionum libro scribitur) Episcopus à Paulo Atheniensium, qui credebant, statuitur. Passus est parisijs, temporibus Domiciani, sub præfecto Fescenino ibidem, 7. Eidus Octobreis, circiter annum Domini 96. Aetatis suæ 90.

S. Apollinaris. S. Apollinaris Episcopus apud Rauennam, passus est tẽpore Vespasiani imperatoris, 10. calend. Augusti, circa annos Domini 70.

S. Martialis. S. Martialis discipulus Christi & Episcopus, Stephani prothomartyris consanguineus, patre Marcello & matre Helizabeth, à tribu Ben Iamin ortus, vnus ex 72. discipulis Christi, in pace quieuit pridie Calend. Iulij, anno à passione Domini 74. Vespasiani verò Augusti anno 3. Episcopatus autem sui 28. Lemonice quiescit.

2. CLEMENS I.

Anno. 95. Alij 92. Romanus, qui & vidit Apostolos, & consuluit cum eis, de regione Cœlij montis, patre Faustino, Domitiani temporibus, qui ab Augusto nonus Tito successit, Neroni aut Caligulæ similior, quàm patri Vespasiano aut fratri, &c. Sedit in cathedra Petri annis 9. mensi. 6. diebus 7. Alij, an. 9. mens. 2. di. 10. Ad anchorã alligatus, anno Traiani 3. in mare proijcitur. Linũ & Cletum præmisit ambitionis exempli declinatione, Clementis 1. honorificam facit mentionem in sua ad Philippenses Epistola s. Paulus, cap. 4. Vacat sedes di. 22. Pontificum ornatus instituit. Sacrarum illarum vestium significationem, ostendit Innocentius PP. huius nominis 3. in opusculo, cuius titulus est De altaris mysterio. Item, Polydorus, de inuentoribus rerum, lib. 4. cap. 5. Hinc iam perspicuum fit, quàm antiquissimus vsus consecrationis sacrorum locorum, vestium, vasorum, fuerit.

Vide. D. Hieron. in catalogo Ponti. ficum.

Pontificum ornatus.

Vsus sacri chrismatis. Idem PP. Clemens, Chrismate inungi debere baptizatos, Episcopis iniunxit: Quod ab Apostolis factitatum prius, in Actis testatur Lucas. De Oleo Chrismatis, (quod quondam fuit præfiguratum per

1. Reg. 10. illud oleum, quo scriptura teste reges, vti nunc quoq;, consecrabantur

1. Reg. 15. tur & vngebantur) vide Toletanum concilium 1. Canon. 20. Item,

3. Reg. 1. 4. Reg. 9. 11. Antisiodorense Can. 6. Dionysium in Hierarchi. Ecclesiastica. Clementem in recognitionibus. Cyprianum, in Epistola ad Ianuarium. Origenem in Epistolam ad Romanos. Magnum Basilium, libro de Spiritu sancto, &c. Magnę virtutis & profundi mysterij est vnctio: Sicut enim olea pacis est signum, quam quondam legati ferebant in argumentum constitutæ pacis & concordiæ, prout olim ramo virentis oleæ, quem columba Noeuo retulit ad arcam, significans, humano tum generi pacem cum Deo à diluuio factam, ita nos chrismatis oleo peruncti, baptismoq; per fidem Christiani facti, deinceps cum Deo, in cuius antea indignatione propter peccatum fuimus, pacem habemus,

Genes. 8.

habemus, vti Paulus ad Ephesios 2. capite singulariter docet, & quod Latinis vnctio, id Chrisma est Græcis, Augusti. Tracta. 33. in Euangelion Ioannis. &c.

Salutationes, quæ per Dominus vobiscum septies in MISSA fiūt ex libris Ruth, secundo capite, transsumptę, Clemēs & Anacletus interposuere. Cæterū septem vicibus populus salutatur in Missa, quatenus exclusis septem vicijs capitalibus suscipiat gratiā septiformem. Septē salutationes in Missa. Esaiæ. 11.

ANACLETVS. 3.

Natione Grecus, ex patre Antiocho, B. Petri discipulus, vt Pighius scribit: Sedit an. 9. alij an. 12. men. 2. di. 10. Domitiani tēporibus martyrizatus 3. Eidus Iulij. Sepultus est iuxta corpus B. Petri, vacat sedes diebus 13. Anno 103. alij 101.

Sub hoc Pontifice, Ioannes Apostolus migrauit ad Dominum, sexagesimo octauo post passionem anno Domini mortuus, iuxta vrbem Ephesum sepultus est.

Barbā itidem aut comā ne præsul, néue reliqui sacris initiati nutrirēt, ex præscripto Mōseos, iuxta Apostoli preceptū, Anacletus vetuit, Polydo. de inuēto. rer. lib. 4. ca. 8. Mirādensis, illud decretū adscribit etiam Aniceto. Significat autem illa capitis rasio vitā mundissimam & resectionē omniū carnalium desideriorū. D. Hieronymus tradit, rasionem capitis esse tēporaliū omnium defectionē, & quòd corona in capite designet regni cælestis coronā: hoc idem legitur in decretis Canonicis 12. q. 1. Decurtare viros comas, & vtrosq; in habitu discretos esse B. Petrus primum præcepit, inquit Aubanus lib. 2. cap. 12. Nostra certè tempestate apostatici studiosē barbas nutriunt, cum reuera sint impostores mali & malitiosi: Nulla re prorsus digni, foris tristes, domi dissoluti, vestitu sancti, moribus spurcissimi, fronti nulla fides, non barbæ credendum est. Raso capitis. d. 23. c. prohibet fratres.

Crede mihi, inde potest laudem sibi quærere nemo,
Nec faciet sanctum plurima barba virum.
Barbatus licet ipse caper, non hunc tamen esse
Dicimus insigni relligione pecus.
Sed si tantus amor populi venarier ora,
Atque Euangelici nomen habere viri,
Exue stultitiam mentis, rectaque feratur
Pes tuus, errauit pes tuus iste satis.
Abijce vulgares curas, atque æris amorem,
Nulla sit in toto corde Neæra tuo.
Ambitione graues emunda pectoris arcas,
Expurga inuidiæ, luxuriæq; malum
Assyriæ nec tu regem sectare pudendum,
Cui magnum nomen Sardanapalus erat.

Olim (quod huic loco conuenit) ad Herodem Atticum adijt crinitus quispiam, barbaque propriè vsq; ad pubem porrecta: ac petijt æs sibi dari ad panes emendos. Tum Herodes interrogat quisnam esset? atq; ille vultu sonituq; vocis obiurgatorio philosophum esse dicit, mirari quoq; addit, cur quærendum putasset, quod videret? tunc Herodes vocem illam memorabilē protulit. Video inquit barbam & pallium, philosophum adhuc non video, &c.

Nō sacrificādū sine arbitris. Idem Anacletus PP. non esse sacrificandum sine arbitris censuit, quo, credo ne ille frustra bene præcādo diceret: Dominus vobiscum, si minus quàm duo sacris interessent. Proinde non rectè faciunt, qui sine arbitris in S. R. E. sacrificant. Gratianus illud præscriptum Sotero attribuit.

EVARISTVS.

4 Anno 110. Natione Græcus, ex patre Iudæo, nomine Iuda, ex ciuitate Bethleem, ad Traiani tempora peruenit. Sedit an. 9. mens. 10. di. 2. Viuę hostiæ caput cruento mucrone rotatur, sexto calendas Nouembris. Sepultus in Vaticano apud B. Petri corpus. Vide Irenæum lib. 3. cap. 3. Eusebiana historia secus illius annos prosequitur: vacat sedes diebus 19. alij 29.

Matrimonia publica benedicātur. Matrimonia publica benedixit, vide canones concilij Carthaginensis 4. Sic autem Synodus illa intonat. Sponsus & sponsa cū benedicendi sunt à sacerdote, à parentibus suis vel paranymphis offerantur, qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reuerentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant. Vide Ambrosium lib. 9. Epistola 70. &c. Quis verò nescit, quot stupris, quot perIn clancularia matrimonia quid decretum. iurijs, & id genus alijs criminibus, ac innumeris malis clandestina matrimonia ansam præbeant? Atq; licet matrimonia sint, sacramenti tamen vel nomen vel sanctitatem sibi vendicare non possunt, nisi pio accedente consensu in Ecclesia Dei firmentur. Quis enim matrimonium hoc ipsum rectè sacramentum dixerit, cuius non sit author nec coniunctor Deus? qualia facile creduntur clandestina matrimonia, quæ passim non palàm, sed furtim inter pueros & puellas, citra seniorum consensum, per lenones & lenas copulantur, vel inter stultos & temulentos sola causa libidinis, non Dei respectu, sed diaboli instinctu coniunguntur?

Primus item, omniū Titulos ipsis presbyteris diuisit: Septemque Diaconos instituit, qui veritatis gratia concionatorem obseruarent, propter stylum veritatis: In hoc imitatus Apostolos, Polydorus de inuentor. rer. lib. 4. cap. 9. &c.

Idem Euaristus constituit, ne plebis in Episcopum accusatio reciperetur

peretur.Cornipolitanus,Eusebio successori in R.S.istud attribuit in⸗
stitutum.Carranza verò Gaio.

Ordinationes ter habuit mēse Decembri,ac presbyteros sex, dia
conos duos,Episcopos per diuersa loca numero quinque creauit.

ALEXANDER I. 5

Romanus natione,temporibus Traiani: Cuius sanctissima ani⸗ Anno Chri sti 121.
ma carnis ergastulo fœliciter absoluta,sacri sanguinis imbre purpu⸗
rata,gloria martyrij coronata,angelico stipata comitatu,ascendit ad
regem suum, 5. Nonas Mai.Sedit annis 10. mens.7.diebus 2. cu⸗
ius meminit Gratianus,Platina,Sabellicus,&c.

DE AQVA BENEDICTA, scribit sanctus ille Alexāder,his⸗ Aquæ bene dictæ vius antiquissimus.
ce verbis.Aquam(inquit)sale conspersam,populis benedicimus, vt
ea cuncti aspersi sanctificentur ac purificentur,quod & omnibus sa⸗
cerdotibus faciendum mandamus.Nam si cinis vitulæ aspersus san⸗
guine populum sanctificabat:multo magis aqua sale aspersa diuinis⸗ Hebræo.9.
que precibus sacratus sterilitatem auferet rerum humanarū,& coin 4.Reg.2.
quinatos sanctificat,mūdat & expurgat,& cætera bona multiplicat,
& insidias diaboli auertit,& à phantasmatis & versutijs eius homi⸗
nes defendit.Nā si tactu fimbrię vestimenti Saluatoris saluatos infir Math.14.
mos non dubitamus,quāto magis virtute sacrorū eius verborum di
uinitus sacrantur elementa,quibus sanitatem corporis & animę hu⸗
manæ percipit fragilitas?hęc ille.Sal autē designat amaritudinē pœ⸗
nitentię,aqua verò baptismū,quia ergo cordis cōtritio præcedit ab⸗
solutionē, & pœnitētia baptismū,ideo prius benedicitur sal, q̄ aqua.
Aqua inq̄,benedicta, in significationem baptismi adspergimus, non
vt rebaptizemur,sed vt pœniteamus, & gratiā diuini nominis cum Sal quare
memoria baptismatis inuocemus:Cuius aquę vim non vulgarem es prius bene⸗
se,testatur Eusebius in Ecclesiastica historia,capite septimo, & Epi⸗ dicatur.
phanius contra hære.lib.1.tomo.2. Gregorius libro .3. dialogorum
cap.37.

SIXTVS, SIVE XYSTVS. 6

Patria Romanus,temporibus Adriani.Sedit an.10.mens.3.mar Anno 131
tyrizatus 8.Eidus Aprilis,vide Euseb.Eccle.histor. libro 4.capi.5.
Vacat sedes die.2.

Is Gallos in fide continuit.

Idem constituit sacra mysteria,& ministeria , id est,sacrata vasa
non tangi,nisi à ministris sacratis.

Ab eodem Sixto, habuerūt initia solennia Missarum, de quibus Solēnia Eu
infra locupletius tractabimus:videat etiam candidus lector,Polydo. charistici sa
de inuento.rer.lib.6.cap.12. crificij.

I TELES⸗

7 TELESPHORVS.

Anno 141. alij 139. alij 134. Natione Græcus, ex patre Anachoreta, tēporibus Antonini Pij cuius quidē imperatoris paternū genus è Gallia Cisalpina originē habuit. Cum ordinationes 4. mense Decēbri habuisset, creassetq; presbyteros 15. Diaconos 8. Episcopos 13. Coronā martyrij promeruit, Non. Ianuarij. Sepelitur in Vaticano. Sedit annis 11. mensibus 3. ad ijciunt alij dies 22. Conuēnit cum hoc Eusebius lib. 4. cap. 10. vacat sedes dic. 7.

Valentiniana hæresis. Telesphori temporibus, inualuit Valentiniana hæresis. Dicebant, Christon de corpore Virginis nihil sumpsisse, sed per eam tanq̃ per fistulam quandam puerum transisse. Idem Valentinus, Valētinianę hęreseos antesignanus, diuinā religionē & innumerabilia diuinę veritatis secreta, sese per frigidissimos numeros posse inuenire & enunciare præsumpsit. Vetus testamentū contēnunt. Duos deos, vnū iustum alterum iniustum statuunt: à quibus bona & mala proueniunt omnia: vide Hilarium lib. 6. de Trinitate. Irenæum li. 3. ca. 3. Callecutæ Indiani maritimi istud vltimū dogma Valentinianū strenuè nostra tēpestate defendunt, istud cōfirmante Ludouico Vartomanno. Idem Cerdoniaci Valentinus, cum Cerdoniacis negauit Christū natum passumq;, sed simulasse passionem. Eadē sensit Basilides Alexandrinus, Christum Basilidiani. nō in substantia carnis, sed phantasmate ab Araxa quodā visum, & Simonē quendam eius loco crucifixū, impiè asserens. Omnis autem qui nō cōfitetur Iesum Christū in carne venisse, hic Antichristus est. Et qui nō confitetur mysteriū crucis, ex diabolo est. Cerdoniaci erro- Recētiores Cerdoniaci ris partē, resuscitauit recentioribus tēporibus Philippus Melanthon (in Annotat. in 4. cap. Epistolę ad Roma. & in postrema editione in eandem Epistolam. Et ministri Saxonicarum Ecclesiarum in sua censura contra Georgium Maiorem) affirmans (cum Eunomianis & Epicureis) quòd iustificari, sit absolui hominē à peccatis, & illū iustum renunciari, nō de facto iustū fieri, sed imputatiue tantū: quia verò peccator maneat, & in eo solo iustificetur, quòd cōfidit peccatū sibi nō im Recētiores Valētiniani. putari. Eandem Valentinianam hæresim, inter recentiores apostaticos resuscitauit Andreas Musculus ex sententia Lutheri, editus libellus Francfordiæ cis viadrū. Affirmant autem, quòd Christus etiā passus sit secundum diuinam naturam, &c. Idem Basilides 365. cælos esse per successionē & similitudinē abinuicē factos, finxit: & horum ostensionem esse numerum dierum anni, atq; singulis illorū certa principia, & virtutes, & angelos assignans, atq; illis nomina adfingēs: esse autem omniū principē Abraxas, quod nomē iuxta Gręcā literaturā, cōtinet in se 365. quot videlicet sunt illorū cęlorū locales positiones,

ab illo

ab illo commentæ, &c. Inter Basilidianos omnia fuerunt communia, Euseb. lib. 4. cap. 6.

Idem Thelesphorus S. R. E. Pontifex, Sacerdotem ter in Natali die diuinam rem tractare statuit. Primò in media nocte, cum Christus est natus. Deinde illucescente aurora, quando pastores natum inuiserunt. Postremò, vbi prima lux humano generi affulsit. Propter quod canit Ecclesia: Gaudet chorus cælestiū, & Angeli canunt Deum, palamque fit pastoribus, pastor creator omniū. Adijcitur & alius sensus mysticus, triplici enim actu status triplex gentiū significatur. Primus, qui sine lege fuit, cum oīa fuerunt circūfusa. Alter lucis & tenebrarum simul particeps, cum post datam legem fuit omnino aliqua Dei cognitio, sed nondum perfecta. Tertius, gratiæ est, cui sol, id est, veritatis lux affulsit: alibi explicauimus ista pinguiori Minerua, itaque non sunt hic iterum ingerenda.

Tres missæ natiuitatis festo cur.

Status triplex gentiū.

Idem constituit, vt septem hebdomadibus ante Pascha ieiunium obseruaretur: non author ieiunij, sed exactor.

Quid instituerit amplius, vide Aegesippum, Platinam, & Eusebium in chronicis.

Eodem tempore, circiter annum 140. S. Eustachius, rectius Eustathius, cum vxore Thephyta, & filijs Agapito & Theopisto, Romæ sub Hadriano in Aeneo tauro necati sunt 13. calend. Iunij.

HYGINVS, qui & IGINVS. 8

Græcus natione, patria Atheniensis, patre philosopho, Antonino Pio imperante. Sedit an. 4. mens. 3. adijciunt alij dies. 4. sepelitur tertio Eidus Ianuarij, bene de Ecclesia meritus. Vacat sedes dieb. 3.

Anno 143.

Is PP. Patrimum & matrimam (sic enim eos appellant, qui infantes tenent, dum baptizantur) baptismo & confirmationi adhibuit, vide Eusebium lib. 4. cap. 10. Sabellicum. Polydorum de inuen tor. rerū, lib. 4. cap. 4. Huius etiam meminit Augustinus, (de rectitudine catholicæ cōuersationis) scribens. Filios quos ex baptismo suscepistis, docete, & castigate, vt semper cū Domino viuant. De baptismi (qui ianua est vitę spiritualis, & omniū aliorum sacramentorum) vsitatissimis cæremonijs, vide Tertullianum, de corona militis, pagina 460. & aduersus Praxeam pagina 443. Cyprianum Epistola 12. libro 1. Origenem in Roman. cap. 6. lib. 5. Chrysostomum Homil. 12. in 1. Corinth. 4. & Hom. 40. in 1. Corinth. cap. 15. & Homil. 1. in cap. Ephes. 1. Theophylactum in Luc. cap. 10. Hieronymum in Esai. cap. 55. li. 15. Augustinum libr. 15. de Trinitate, cap. 26. Damascenum lib. 4. orthodoxæ fidei, cap. 10.

Compatres ad baptismū instituti.

Cyrillum in Euangelion Ioannis, lib. 12. cap. 64. Hilarium cano. 15. in Matthæum. Ambrosium de Spiritusancto, lib. 2. cap. 11. & lib. 1. Hexametron cap. 4. Basilium de Spiritu sancto, lib. 2. cap. 15. Theophylactum in cap. Marci 8. &c.

QVID SIT BAPTISMA (qua vnda, antiquum scelus, primæua præuaricatio, inobedientia protoplasti, eluitur, emaculatur, extinguitur) eiusq; forma, & causa institutionis, modus & ordo, deq; eiusdem effectibus ac necessitate, tum de Ioannis & Christi baptismatis differentia & virtute, legant candidati Dionysium & Damascenum ex primis theologis illa accumulatè referētes: Nec displicent quæ super hac materia diligēter & eruditè D. GEORGIVS vuicelius, F. Nausea, R. D. Michaël Episcopus Merspurgensis, tradiderunt: studiosis haud quaq̄ negligenda. ad institutum.

Idem PP. ne tēpla sine celebratione dedicarētur, néue augerētur, diminuerēturq; sine arbitratu Metropolitani vel Episcopi, instituit.

Vetuit idem PP. ne tigna reliquáue materies ad ædificanda templa congesta, in prophanos vsus conuerterentur, posse tamen ad structuram alterius templi vel cœnobij, concedente Episcopo, transferri. Olim fides catholica compleuit Germaniam templis diuorum, opes suppeditauit & copias, quantum satis erat, vel ad necessitatem vel honestatem vitæ. Hæreses contrà, templa spoliant, Basilicas euertunt, Ecclesias defœdant, eripiunt facultates: Propugnacula & theatra extruunt.

S. Polycarpus. Eufeb. lib. 4 cap. 15. Idem S. R. E. Pontifex, Polycarpum S. Ioannis Apostoli discipulum, Smyrneum Episcopū creauit. Smyrna ciuitas clarissima, Gymnasio quondam nobilis, quam Homeri fuisse patriam pleraq; indicant: sed ante alia, porticus templo & statua Homeri insignis, nummus quoq; æneus cusus, cui Homeri fuerit nomen: Multa de Smyrna lib. 14. Strabo, &c.

Smyrna.

9 PIVS I.

Anno. 147. Natione Italus, patria Aquileiensi, patre Ruffino, M. Antonini Veri tempora attigit, consuetudinem magnā cum Hermete habuit, qui librum scripsit, titulo pastoris insignitum. Constituit itē Pius, ne hæreticus quispiam ex Iudæorum hæresi susciperetur, & baptizaretur. Idem PP. rogatu Praxedis sanctissimæ fœminæ thermas Nouati in vico Patritij in honorem sororis suæ diuæ Potentianæ dedicauit. Multaq; dona huic templo obtulit, ac sæpius eodem in loco sacrificium Deo præstitit, vbi & fontem baptismi constituit, ac benedicens consecrauit, multosq; veniētes ad fidē in nomine Trinitatis baptizauit. Idē PP. Pascha ad diē Dominicā celebrari censuit: Pascha, φάσκα, Paschę festū

tran-

transitus, idem sonant, quoniam tum de non esse ad esse factus est rerum transitus, atque Angeli exterminatoris in veteri lege in Aegypto, nec nõ & Christi de mortalitate ad immortalitatẽ, nostram figurantis transitionem de vitijs ad virtutes, & de hac vita ad æternam. Nec hic prætereundum Iudæos tria coluisse festa præcipua. Pascha, in memoriam prodigiosè trãsmissi maris. Pentecostes, in memoriam legis in monte Sinai latæ ac receptæ. Tabernaculorum, in memoriam veteris historiæ, quòd ex Aegypto profugi, per vastam & horridam solitudinem peregrinantes annis 40. habitarint in tentorijs. Primum incidit in veris initium. Secundum in ver iam adultum, Tertium in autumnum. Cæterùm de Pasah sub tempore celebrãdo, vide Concil. Carthaginen. 4. can. 65. Item, Toletan. 4. can. 4. &c. Idem PP. illis pœnam constituit, qui negligentes sunt in attrectando Christi sanguine & corpore. Pœnitentiam (inquit) agant quadraginta diebus, quorum negligentia in terram aliquid ceciderit: si super altare, tribus diebus: si super linteum, quatuor: si in aliud lintheum, nouem diebus, vbicunque deciderit, si recipi potest, lambatur: sin secus, aut lauetur, aut radatur: lotum & rasum, aut comburatur, aut in sacrariũ reponatur, &c. Quid is PP. instituerit amplius, vide Platinam & Carranzam pag. 18. At verò Pius vbi in ordinationibus suis, quæ quinque fuere, mense Decembri presbyteros decem & nouem, diaconos vnum & viginti, Episcopos decem creasset, martyrizatur 5. Eidus Iulij. Sedit in cathedra Petri annis vndecim (Eusebius ponit lib. Eccle. histor. 4. cap. 11. annos 15.) mensibus quatuor, diebus tribus. Vacat sedes diebus 24.

ANICETVS. 10

Natione Syrus. sedit annis vndecim, adijciunt alij menses 4. temporibus Marci & Seueri martyrij palmam promeruit 16. calend. May. Pastores enim, decet Dominici gregis, non tantùm esse ἀκινήτους, hoc est immobiles, sed & ἀνικήτους, id est, inuictos. Vacat Sedes diebus 7. alij 24. Anno 159.

Is PP. cauit, à paucioribus quàm tribus ne consecraretur Episcopus.

Floruit Tertullianus, anno 160.

Dionysius Corinth. Episcopus, anno 170.

SOTERVS. 11

Natione Campanus, ex Fundis. Sedit annis nouem mens. 3. coronam martyrij meruit 10. calend. May. Vacat Sedes diebus 21. Anno 168. alij 172. alij 173.

Nuptias in celebritate fieri statuit. Inthronizatio augusta solennis.

Sub eodem Sotero, Cataphrygarum hæresis se è stygijs

 extulit

Cataphryga. extulit vndis. Docent Christon non verum fuisse hominem: Matrimonium dissoluunt. Habent secundas nuptias pro fornicationibus. De infantis anniculi sanguine, quem de toto eius corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suam conficiunt, miscentes eum farinæ, panemq; inde facientes: Is puer si mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre, si autem vixerit, pro magno sacerdote, vide Eusebium lib. 5. cap. 15. & 18.

12 ELEVTHERIVS.

Circiter anno Christi 177. Natione Græcus, patria Nicopolitanus, & martyr passus 7. calend. Iunij. Sedit ann. 15. temporibus Antonini Commodi, vide Eusebium lib. 5. cap. 22. Irenæum lib. 3. cap. 3. vacat sedes diebus 5.

Hac tempestate, Lucius Britanniæ rex se ab Eleutherio Christianum fieri per epistolam impetrauit.

Marcionistæ. Eleutherij PP. tempore, Marcionis secta variè diuisa est. Placet hic historiolam recensere. Polycarpus martyr (qui sub Aniceto Romam perrexit, & multos ex hæreticis ad Ecclesiã Dei conuertit) cum Marcioni aliquando occurrisset, dicenti sibi, Agnosce nos, respondit, Agnosco primogenitũ Sathanæ. Tanta tunc apostoli, atq; eorũ discipuli in religione cautela vtebantur, vt ne verbi quidem communionem cum aliquo eorum, qui à veritate deuiauerant, habere paterentur. Crediderunt autem Marcionistæ, & Valentiniani, Christon ipsum in phantasia, id est, absq; veritate conceptum, nec carnẽ ex carne sumpsisse: contra id quod scriptum est. Et verbũ caro factũ est, id

Ioan. 1. est, conceptũ in vtero Virginis. Carnis resurrectionẽ negãt, id quod & Carpocratitæ, Archontici & Hierarchitæ fecere. Is ipse Martion dogmatizat: Legem neq; ante, neque post iustificationem esse necessariam ad salutem, &c.

13. VICTOR.

Aphær natione, (sedere cœpit anno circiter 196. à natali Seruatoris) sedit an. 10. men. 2. Cuius meminit Eusebius lib. 5. cap. 28. Hunc quidam, sub Commodo martyrizatum fuisse 5. calend. Augusti, scribunt. Vide Polydor. de inuentor. rerum, lib. 4. cap. 4. & lib. 6. cap. 7. vacat Sedes diebus 12.

Tempore necessitatis, quolibet tempore vel loco baptizandum esse censuit.

Idem PP. vt Pascha à 14. luna primi mensis Martij, ad 22. contra morem Iudæorum celebraretur, idque die Dominica, confirmauit. Istud statutum adscribunt alij Pio. Polydorus de inuentor. rerum, lib. 6. cap. 7. Eleutherio adscribit.

Samosatenus hæresis. Sub eodem PP. hæresis Pauli Samosateni emersit. Paulus Samosatenus,

ſatenus, à quo Paulonitæ & Pauliniani, placidæ pacis hoſtis acerrimus. Is duas naturas in Chriſto negans, affirmabat illum à matre tantùm originem duxiſſe, ac eam poſt Chriſtum natum, è Ioſeph viro ſuo alios genuiſſe filios. Sed illa hæreſis cum ſuo Authore Antiochiæ omnium Epiſcoporum ſuffragijs damnata eſt. Vide Euſebium hiſto. Eccle. lib. 7. cap. 23. & Sabellicum.

Floruit Clemens, Alexandrinæ Eccleſiæ presbyter, anno 200.

ZEPHERINVS. 14

Natione Romanus, (qui cẽteſimo circiter poſt anno Anacletum eſt ſecutus) temporibus Antonini. Sedit an. 9. menſ. 7. migrauit calend. Septemb. Euſebius lib. 6. cap. 16. vacat Sedes di. 6. alij 12.

Is PP. grauiores cauſas ad Sedem Romanam deferendas eſſe cenſuit: Caſus Papales ſunt. Occiſio clerici, vel eiuſdem enormis læſio. Symonia. Hæreſis. Crimen incendiarij poſt denunciationem. Falſificatio literarum Apoſtolicarum. Celebratio Miſſæ facta in excommunicatione maiori.

Caſus Papales.

Vide ſummam Angelicam.

Idem Zepherinus Papa. Omnibus chriſtiani nominis, pubertatis annos attingentes, Euchariſtiæ perceptionem Paſchali die iniunxit. FABIANVS verò in ordine 21. PP. vt ter id fieret, poſtea ſanxit, Polydor. de inuento. rerum, lib. 5. cap. 11.

Cõmunicatio indicta adultioribus.

Calices aureos & argenteos ad vſum S. Euchariſtiæ, inſtituit. Alij VRBANO I. aſsignant. Calices in quibus ſanguinis Chriſti conſecratio fit, primitus ligneos fuiſſe ſatis apertè manifeſtum eſt, at id decretum ſublatum, propter materiæ raritatem qua liquor imbibitur.

Calices aurei & argentei.

CALISTVS, QVI ET, CALIXTVS I. 15

Natione Romanus & martyr. Sedit ann. 5. menſ. 2. die. 10. Euſeb. lib. 6. cap. 16. vacat ſedes di. 6.

Circiter annum 228.

Is PP. conſtituit ieiunium quatuor temporum, videlicet in Martio, Maio, Septembri, Decembri: Ieiunamus autem in verc, vt ſicut tunc omnia virent, ita in nobis vireant virtutum opera. Ieiunamus in æſtate vt ſimus feruentes in charitate. Ieiunamus in autumno, vt in nobis proueniat fructus bonorum operum. Ieiunamus etiam in hyeme, vt ſicut tunc defluunt folia ab arboribus, & moriuntur herbæ prauæ, ita in nobis moriantur vitia, &c. Optimum certè condimentum eſt fames, & ſatis eſt bono ſtomacho ob ſonium coctum: Menſæ ſimplicitas ſatiat, mentem eleuat. Ebrijs è contra omnia in gyrum verſari videntur.

Ieiunii 4or temporum.

Hic canit, hic plorat, hic eſt blaſphemus, hic orat.
Ille loqui neſcit, hic ceſpitat, ille pigreſcit.
Hic ſeruit Veneri, ſomnó ſolet ille teneri.

Hic vomit, ille vorat, sic Bacchi turba laborat.
Ieiunate ergo viri fratres.

Cœmiterij usus. Idem PP. cœmiteria instituit. Cœmiterij vsum Abrahamo quidam adscribūt, qui dicitur emisse ab Ephrō Etheo filio Saor ppe Hebrō, quadringentis siclis speluncā duplicē versus Mābre, & agrū circa eā, sepelisseq; in ea Sarā vxorem suā, in qua & ipse mox recubuit. In eandē etiam sepultus Isaac cū Rebecca cōiuge sua. In hac Lia condita. Et quis negare poterit, filios Israel sepelisse ossa Ioseph in Sichē? & patriarcham Iacob in terrā (itinere sane lōgo & molesto) Chanaan? At hodie recentiores apostatici diligenter adnotare solent (vt ex alijs, sic Lucæ 7. etiā ex loco de Naimito defuncto) sepulchra mortuorū, tā apud Ethnicos, q̄ apud Iudæos ferè semper & vbiq; fuisse extra mœnia ciuitatū: Necessaria nimirū admonitio, ne scilicet quotidie pertrāseuntes cœmiteria, fratrū nostrorum memores simus, eosq; Deo pijs & humilibus pcibus cōmendemus. Non me preterit, quę hic moliatur mille artifex. Execratur cacodæmon loca cæremonijs Ecclesiæ, sepulturæ Christianorū consecrata. Execratur suffragia pro defunctis. Nō amat pios subinde memores esse horę mortis extremæ. Et quos spirātes à catholicorum cōsortio abstraxit, etiā mortuos cū illis sepelirí non sustinet. Quāuis hoc nouissimū libētius adscriberē Deo Opt. Max. qui nō dignatur hæreticos sepultura piorū catholicorum. Indigni enim sepeliri eorū sepultura, quorū fidem, ac pios mores calumniantur. Scio allegat pars sectariorū, cōtagiosum esse tot cadauera sepeliri in vna parua ciuitatula. Agimus bonis viris (si modo sunt) gratias, videlicet cū videamus post illorum cōcilia, iam nullā sequire pestilentiam, nullis nos corripi morbis, &c.

Idem PP. cum excommunicatis omnem conuersationem sustulit: excommunicationis Ecclesiasticæ supra mentionem fecimus, pro modulo nostro.

Idem, Connubiale vinculum sanguine iunctis, interdixit.

Connubiale vinculum clericis interdictum. Idē Calixtus PP. nemini in sacris ordinibus cōstituto licere superducere vxorē, cōnubialiq; vinculo se cōstringere (alij hoc statutū adscribūt MARTINO I.) statuit, vt apertè cōstat ex eius sanctione, recitata in libro decretorū, distinctione 27. ca. presbyteris. Nec cōdidit Calixtus nouum ius castitatis, vt excucullatus Lutherus occinit, Sed quod in assiduo vsu à temporibus apostolorum fuerat, & ab Ecclesiæ Christi exordio, lege scripta pro his qui minus æquo aduertentes, publicauit. Iam Quæstio emergit.

V. RITE INTERDICTVM SIT CLERICIS
Connubiale vinculum.

Obij-

Obijciunt Aduersarij.

Inter multa quæ iucunda & vtilia mortalibus comparata sunt, Obijcit Cacodoxus.
iucundissimum & vtilissimum est connubiale vinculũ, quod virum
& mulierem disiunctos, arctissimo vinculo coniungit, qua nulla co-
pula in rerum natura inuenitur, neq; maior neq; firmior: Hæc fami-
lias dissociatas mutua affinitate consociat, necessitudines conciliat,
domos numerosa sobole fœcundat, vrbes legitimis ciuibus replet.
Hęc illa societas secundum LL. Doctores L. 1. FF. de ritu nupt. Legi-
tima viri & mulieris coniunctio est, retinens indiuiduam consuetu-
dinem vitæ, diuini & humani generis communicatio. Quid ergo ma
trimonio honestius (nihil sanè si vnicam virginitatem exciperent) di
ci potest? Quid ipso decentius? Quod ipse Christus honestauit vna cũ
matre Maria, non solùm interesse dignatus est, verumetiam nuptia-
le conuiuium, miraculorum suorum primitijs consecrauit, ostẽdens
non despiciendas esse nuptias, sacramentum nuptiarum insinuans.
Quid amabilius dulciusq; existere potest quàm gignere sibi similem
prolem? Nunquid iucundum tibi fuerit, quum paruulus pendebit
ex collo Aeneas, puerilesq; blanditias agitat? Quid dulcius, obsecro,
in hoc mundo, quàm subleuantẽ habere se mulierem? maximè cum
illa honesta, pudica, sobria, casta fuerit? Sic Portia Catonis filia: Sic
Iulia Pompei vxor Cęsaris filia: Sic Artemisia: sic Aemilia tertia Ro
mana. Sic Hypsicratea Pontici regis vxor &c. Atque vt vnico ver-
bulo cuncta perstringam: vxoria charitas non perfidia corrum-
pitur, nulla simulatione obscuratur, nulla rerum mutatione con-
uellitur, denique sola morte, imo ne morte quidem distrahitur. Illa
parentum, illa sororum, illa fratrum pietatem, tui amore contemnit,
te vnum respicit maritum, ex te pendet, tecum emori exoptat. Si ha
bes opes, habes eã quæ tueatur & augeat. Si cares rebus, habes quæ
quęrat. Si res secundæ sunt, duplicatur felicitas: sin aduersæ, est con-
solatrix, quæ assidet, inseruit, tuum malum suum esse cupit. Dulcis
iuuentæ tuæ sodalis, gratum senectutis solatium. Quid ergo honesta
vxore iucundius? quid melius? Quis nõ dixerit istud Pythagoricum, Id est, proba
γυνὴ δὲ χρηστὴ πηδάλιον ἐστ οἰκίας? Quid sanctius, quod ipse summus altito- mulier temo est ædibus.
nans (qui leonum commitigauit ferociam, & tumultuantes maris Daniels. 6.
procellas composuit) instituit, adiunxit, sanctificauit? quod ip-
sa sanxit natura, quod ratio suadet, quod diuinæ pariter & humanæ
literæ laudant, leges iubent, & omnium consensus gentium appro- Autor cõiugij quis.
bat? Quia si quęrimus authorem humanę conditionis. Non à Lycur
go, non à Solone, sed ab ipso summo rerum opifice conditum & insti
tutum est, ab eodem & laudatum, honestatum, consecratumq;. Si-
quis-

natura duce & amor eos coegisset,& iustitię fundamentū,quibus cō stare videtur huius sancti vinculi robur? rectè igitur Xenophon ille Socraticus prorūpit,dicēs: Beneficio generis humani cōperisse naturā huius copulę fundamēta. Et Aristoteles probat,sine copula cōiugali seu amicitię ratiōe,corruere quicquid est inter homines: vbi amor viri erga mulierē,ibi pax,fides,concordātia,ex duobus fit vnus. Et vt semel dicam,sanctæ huius copulæ virtus ac elegantia,adeò Ecclesiæ grata est & iucunda,vt nihil posit ad cumulum addi. Hanc igitur ob causam nullus debet esse excusatus à subeundo matrimonio,quoniam omnes sine discrimine vllo ad coniugium adstringimur,cur ergo Papistæ huic mandato reluctantur?

RESPONDET Catholicus. R.

Admittimus assumpta,sed interim refutamus quod epilogizatur, Non enim recto cōsequio hoc ex illo trahitur,cū nō sit matrimoniū, sacramentum necessitatis,neq; diuino aliquo præcepto obstrigantur omnes & singuli ad illius sacramenti susceptionē, siquidem in veteri lege permultos legimus viros sanctos,copulæ nuptiali minimè fuisse alligatos,vt Abel,Melchizedech,Iosue,Daniel,Hieremias,Helias, Hieremi. 1. Heliseus 3.reg.17. Qui omnes eò quòd virgines permāserunt, salutarē Christi ortū pcesserunt,mortuos suscitarūt. Sic Ioseph Gen. 41. quia vita castus,alter post regē Pharaonē in regno factus apud Aegyptios. Iuditha,quia vidua casta,obtrūcauit Holophernem. Susanna quia casta,Danielis 13.à falsis testibus mirabiliter vēdicata est. Tres pueri Hebręorum Ananias,Azarias,Misahel,à fornace Babylonica liberati:& plerią; alij qui castam vixerunt vitam,quos tam D. Hieronymus,quàm Damascenus(libro 4. de fide Orthodoxa, cap. 21.) Hiero.lib. 1. contra Iouinianum. abundanter recensent. In nouo verò testamento similiter complures inueniuntur,qui nuptijs renuntiarunt,& in castitate seu sanctimonia Deo militarunt. Ioannes enim Baptista castus mansit, & ideo ob incestas Herodiadis nuptias coronam martyrij promeruit. MARIA (Virgo sanctissima, omni sancta, sic enim Græci παναγίαρ eam appellant) quia virgo, Esaiæ 11. Ezechielis 44. meruit portare Christon Saluatorem,iuxta illud quod scriptum est. Ecce virgo concipiet & pariet filium,& vocabitur nomen eius Immanuel. Paulus quia continens,vas est electionis effectus. Ioānes Euangelista,& maior pars Apostolorum secuti sunt cælibatum, aliosque ad id vitæ genus sunt cohortati. Pelagius Laodicenus Episcopus,adolescens existens,se vinculo coniugali addixit,sed in ipso cubili,primo die nuptiarum coniugi persuasit,vt puritatem seu candorem animæ volupta-

Lucæ 3. Iosephus li. 18.cap.10. Tripar. hist. li.7.cap. 14.

voluptati præponeret,&c. Agite igitur apostatici, vel vnum virum è veteribus Patribus vera scientia, eruditione, atque virtutibus ac fama celebrem edicite, qui presbyter aut Episcopus existens duxerit vxorem, Edicite nomen eius & mirabimur: At reor id minimè vos facturos. Nec sunt audiendi (inquit D. Hieronymus ad Eustochiū) qui Paulum vxorem habuisse confingunt, cum de continentia disserens & suadens, perpetuam castitatem intulerit. Volo autem omnes homines esse, sicut meipsum,&c. Hanc igitur continentiam in hunc vsque diem perpetua successione tenent mystę catholici: Et tamen hi omnes nullum culpæ incurrerunt reatum, ob hunc vitæ cælibatum, sed magnam meriti sunt laudem. Quomodo ergo id veritati cohæret, quod colligunt excucullati apostatici, omnes diuino præcepto ac decreto, legibus matrimonij astringi? Quanam, obsecro, etiam ratione
Math.19. ne Christus in Euangelio beatos pronunciauit qui se castrāt propter regnum Dei? Dicuntur hi Eunuchi, nā nubendi libertatem, in propositum castitatis vertunt, vitam viuētes angelicam, de quibus Dominus, Matth. 22. Neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cælis,&c. Cur inq̄, beatus Paulus, in prima ad Corinthios Epistola, consuluit candorem virginalem esse seruandum, si omnes
1. Corint. 7. promiscuè obligātur ad nuptias? Dico (inquit) nō nuptis, sed viduis, bonum est illis si sic permanserint, sicut & ego. Et in eodem capite. Cui vult mulier nubat, beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium: Consilium autē dans, indicat rē factu possibilem, nam circa impossibilia, nulla fit cōsultatio. Proinde quod semel factum est, non erit prorsus impossibile. Atqui Christus apertis verbis testatur, quosdam se castrasse. Non impossibile igitur factu esse agamum. Et Paulò post in eodem capite. Volo vos sine sollicitudine esse, Qui sine vxore est, sollicitus est eorum quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore est, sollicitus est corū quæ mundi sunt, quomodo placeat vxori, & à Domino diuisus est,&c.
Prius ibas (vt Comicè loquar) quo volebas, cænabas vbi volebas, viuebas qui cum volebas, nunc domi desidendum, viuendum more illius quæ rixosa, procax, impudica, vbi perennes querelæ, dotis exprobratio, affinium graue supercilium, garrula socrus lingua. Proponat sibi quis ante oculos, quàm indecorum, quàm totum hoc insanum sit amare, pallescere, macerari, lachrymari, blandiri, ac turpiter supplicem esse: occinere ad fores nocturnas, pendere de nutu dominæ, pati regnum mulierculæ, expostulare, irasci, rursum redire in gratiā, & vltrò te ridendum, pulsandum, mutilādum, spoliandum lupę præbere. Vbi quæso inter ista viri nomen? vbi barba? vbi generosus ille
animus

animus rebus pulcherrimis (vt Erasmus ait) natus? vnde quidam,

Fœmina corpus, opes, animum, vim, lumina, vocem,
Polluit, annihilat, necat, eripit, orbat, acerbat.
Occiditq; animam, consortia, fœdera, famam.
Debilitat, perdit socios, auferetq; fideles.
O Deus in quantis animus versatur amantis,
Eneruat studium perniciosa Venus.

Nec est quod velim muliebri sexui detrahere quicq̃, qui ex muliere natus sum, sed tantũ impudicas notare: cũ enim hæc profero nõ reprehẽdo matrimoniũ, verũ magis adhortor vt omnes in Christo nubant. Bonũ est esse maritum, melius est esse castũ. Optimum inq̃ est, nubere in Christo & in Ecclesia. Nec audiẽdus est hæresiarcha, qui dicit, per hoc quod Paulus subiungit, in Christo & Ecclesia, ipsum excludere à matrimonio sacramenti cognomen. Nam alioqui si quis diceret, Baptismum sacramentum magnũ esse in expiatione à peccato originali, tolleret à baptismo sacramenti rationẽ. Siquidem Apostolus dixit, Ego autẽ dico in Christo & in Ecclesia, vt rationem aperiat magni. Q. D. Coniũctio viri & fœminæ, sacramentũ est magnũ, quia in Christo & in Ecclesia quid magni figurat. Consequitur propterea, si cõiugium magnum est sacramentũ in Christo & in Ecclesia, igitur connubium est sacramẽtum. Iam vero quis non dixerit, sacramentum esse inuisibilis gratiæ visibilem formam, & sacrę rei signum? sed matrimonium est signum sanctissimæ rei, id est, coniũctionis Christi sponsi & Ecclesiæ sponsæ. Est ergo sacramentum teste Paulo, Ephe. 5. & efficaciam simpliciter meruit status matrimonialis in S. R. E. Nec absurdè matrimonium nominatur quasi matris muniũ, id est, officium, quia ex eis ex officio incũbit, educare prolem ad cultum diuinũ, sic enim impletur filiorũ Dei numerus, id est, supernæ Hierusalẽ matris nostrę. Vnde Augustinus. Nõ tantùm fœcunditas, cuius fructus in prole est, nec tãtùm pudicitia, cuius vinculũ est fides, verumetiam sacramentũ nuptiarum, cõmendatur fidelibus, nõ est enim illa benedictio sine gratia, Geneseos 3. per quam infidelis vir per mulierem fidelem sanctificatur, 1. Corin. 7. &c. Sed melius est inquis, nubere q̃ vri. 1. Corint. 7. Responsio. Et bonum est homini mulierem non tãgere, Eodem in capite istud Paulo confirmante. καλὸν (inquit) ἀνθρώπῳ γυναικὸς μὴ ἅπτεσθαι. Sciendum itaq; dictum hoc ad nõ pollicitam, & ad nondũ velatam pertinere. Cæterùm quæ se spopõdit Christo, & sanctũ velamen accepit, iã nupsit, iã immortali iuncta est viro, & iam si voluerit nubere communi lege coniugij adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Et si non licuit Herodi habere vxorem

Augusti. in lib. de Viduitate.

Matrimonium Sacramentum.

Cauilli remotio.

fratris sui, quomodo licebit alicui habere sponsam Christi Domini? Notandũ etiam hic obiter: sacrandarũ monacharũ institutũ (autor Tertullianus) multo vetustius, q̃ quãuis aliam monachorum religionẽ. Est itẽ excellentius, quippe nulla (vt ait Augusti. de bono cõiugali) si harũ quęritur mater, religio est. Non parit virgines sacras, nisi virgo sacra, virgo illa, quæ desponsata est vni viro, id est Christo. Talis virgo sacra fuit Petronella, talis Cecilia, talis Agnes, &c.

Desinãt ergo tandẽ apostatici detrahere S. R. E. pijs alumnis, vel si placet pergant Solones illi, ad stiuã nati, quẽadmodũ ὄνος πρὸς λύραν, nihil tamen efficiẽt. Non tollit (Christiane lector) S. R. Ecclesia connubiale vinculum, sed iubet reprimere libidinem, improbam Syren vitare docet. Omnes catholici in illa, ita laudant virginitatẽ, ita cælibatum cõmendãt, vt interim faueant thoro seu copulæ cõiugali, commoda eius & incõmoda, sed & puritatẽ eiusdem, minimè dissimulant laudãt in ijs, qui infirmitatis suę cõscij, nullaq; impediti religione, nubere q̃ vri, homini q̃ Deo fidem promittere maluerunt, qui deprehẽsi in hoc vinculo castitatẽ nihilominus colunt, carnẽ suã mortificãt & quã non possunt integrã, saltem qualẽcunq; Deo continentiã præstare studẽt. Crescit quidẽ matrimonio ac multiplicat hominũ genus terraq; repletur. Virginitatis aũt & cælibatus bono chorus quasi quidam angelicus augetur, cęlũq; repletur. Atq; vt tandem finiã: S. Augustinus & omnes sancti patres, omnesq; pij nostri seculi, piè ac religiosè de coniugali copula sensere, laudãtes non vituperantes, nec malignius de illa liga, quàm de cęlibatu pręclarius senuũt. Qui vt omni præconio extollũt virginitatẽ, ita nexum illũ, qui sine fomite contractus est, qui non aduersatur moribus ac legibus sponsę Christi, omni honore & commendatione prosequuntur. Quæ autẽ fidem Deo promissam coijt, hanc non societatem connubij, sed præuaricationem, neque tales coniuges, sed adultos & incæstos appellant. Hæc dum S. R. Ecclesia inculcat, Ecce nescio cuius Atus aut Sathanæ inuidia sæuissimæ oriuntur tempestates, id est, factiosi cum consectarijs: qui omnia sic miscent, perturbant, rodunt, exibilant, & tantum non tollunt quantum in ipsis est, vt omnes Erynnes, vel simul è Tartaro emissæ, non potuissent plus incommodi inuehere, in quos nisi seriò fuerit animaduersum, non aliam videbimus Germaniam nostram olim pacatissimam, quàm Babyloniam, in qua nihil sibi constabit, confuso passim in omnibus rebus ordine, sine quo nihil, nisi sempiternus horror esse poterit. Id quod pleraque Germaniæ loca hucusq; propter perniciosas hæreses experta sunt, fortè magis expertura, quod Deus auertat; videmus inquam, ductu istorum, vsq; adeo publi-

Id est, asinus ad lyram.

publicæ nuptiarum esse honestati detractũ, vt planè sine discrimine pessimi quiq; haud secus ac ad rẽ aliquam prorsus prophanã accurrant, vtpote sine Dei timore, sine sacramẽti reuerentia, sine confessione, cũ omni lasciuia, cũ omni impietate, cũ tota deniq; mẽtis peruersione: vidimus etiã à quodam apostatico monacho tentatũ esse, vt polygamia defensa nouis scripturarũ interpretationibus induceretur in Germaniã, ô dedecus inexpiandũ. Neq; verò existimẽt digami me velle patrocinari flagitijs aut turpidini vllius generis hominũ, quibus ego hucusq; nõ minus ac ipsi, semper infensus fui, néue putẽt me vitia mystarum magis quàm instituta velle defendere. Epicurici ergo habẽdi, qui nostra tempestate se Ecclesiæ reformatores obtrudũt, & propter abusum à professione catholica deficiunt.

Alterum garrulum obiectum.

At rursus obganniũt excucullati: Aliquibus nõ est possibile secundum naturæ suæ inclinationẽ, seruare castitatẽ & continentiã, reprimere tentiginẽ, propter vehementẽ suæ carnis propensionẽ ad libidinẽ, ergo talibus lõgè magis expediret habere vxores, cuiq; suã, quàm prolabi in concubinatum, aut consimilia probra ac flagitia.

Obiectionis remotio.

Nemo adigitur aliena vi, aut cogitur ad suscipiendos sacros ordines Ecclesiasticos, sed cuiq; relinquitur liberum, aut illis initiari, aut eos sinere valere: Huc alludit istud diui Ambrosij, ad virginem lapsam, cap. 4. Te (inquit) nec pater compulit, nec mater coegit, vt virginitatem profitereris, quam vltrò & propria voluntate professa es. Nam scio cũ multas difficultates tibi tuus genitor proponeret, cũ arduũ esse iter seruãdæ virginitatis ingereret, te non solũ pertinaciter perstitisse, sed etiã reuelationes tibi datas dixisti terribiles, hęc ille. Et ergo quicũq; sacros accipit ordines, sua spõte & vltrò subijcit seipsum legi continẽtiæ & cælibatus, annexæ inseparabiliter ex antiqua Ecclesiæ cõstitutione ordinibus sacris, quã legẽ continentiæ D. Cyprianus (de singularitate clericorũ, ca. 1.) martyr ardẽter inculcat dicens. Clericos debere fœminis nõ cohabitare, Christus reuelauit. Huic accedit loco Moyses ille Leuiticus, Leui. 21. Scortũ & vile prostibulũ nõ ducet sacerdos vxorẽ, nec eam quæ repudiata est à marito, quia cõsecratus est Deo suo, & panes propositionis offert (tractãt autẽ nostri sacerdotes catholici corpus & sanguinem Domini) sit ergo sanctus, quia & ego sanctus sum Dominus, qui sanctifico vos. Hinc nõ incongruè dixit Abimelech sacerdos ad Dauida. Nõ habeo laicos panes ad manũ, 1. Reg. 21
sed tãtùm panem sanctũ, si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus: Si ergo nõ licuit Dauidi & ijs qui cũ illo erãt, edere panibus sanctificatis,

 catis,

catis, nisi cum se à consuetudine mulierum expiassent, quanto conti-nentiorem esse oportet eum, qui castum corpus Iesu Christi, de casta sumptum virgine esurus accedit? Et Iohel propheta ratus est ieiuniũ & fletum nihil prodesse cõtra excidium, quod Chaldæis imminebat, nisi à castis fieret. Cum Moyses Madianitas delere mandaret, virgi-nibus parci iussit, & quis nõ dixerit sanctificationẽ corporis, esse thy-miama domino? Quid est, inquit Zacharias nono capite, bonũ eius, & quid pulchrũ eius nisi frumentum electorum, & vinũ germinans virgines? Hi sunt (ait Ioannes, in libro Apocalypseos, cap. 14.) qui cũ mulieribus nõ sunt coinquinati, virgines enim sunt, hi sequuntur ag-nũ quocunque ierit. Sic arcet à ministerio Ecclesię digamos tanq̃ indig nos Paulus. Et alio in loco prorũpit idem, dicẽs. Viduas adolescentio res deuita, & teipsum custodi. Sed audiamus Chrysostomũ: Tito (ait) dixit Paulus: constitue Episcopos, sicut ego disposui tibi, si quis est si-ne crimine, & vnius vxoris vir. Non ea ratione, quòd id nunc in Ec-clesia obseruetur. Oportet enim omni prorsus castitate sacerdotem ornatum esse, hæc ille. Est autem VIRGINITAS incorrupta & chri stiana nihil aliud, quàm libidinosi ad tactus continentia: Atque vt o-lim priscorum temporibus sacerdotum magna paucitas, ita summa pietas erat: hi quo liberius vacarẽt sanctis studijs vltrò se castrabãt, hoc enim bonũ & acceptum corã saluatore nostro. Audi Paulũ, mag num legũ Christianorum & consultũ & interpretẽ: Obsecro (inquit) primũ omnium, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. An nõ Eunuchis spiritualibus promisit Dominus se daturũ illis locum in muris suis, & nomẽ melius à filijs & filiabus? Sed accedamus ad cauilli remotionẽ. QVARE sibi soli hanc debet imputare culpam apostaticus, quòd nõ satis habita virium suarũ ra tione, & nõ sufficienter factò periculo ipsius, an posset iugũ perpetuæ cõtinẽtiæ perferre, subiecerit incautè imbecilles humeros & impares tãto oneri, ipsi sarcinę & põderi cęlibatus. Debuit enim suæ fragilita-tis conscius, & suę naturæ propensionem ad carnalia desideria agno-scens, potius ad statum connubialem se disponere, q̃ seipsum inge-rere ad suscipiendos sacros S. R. E. ordines, ad quos non erat ido-neus, nõ enim bene conueniũt, nec in vna sede morantur, terum Ec-clesiasticarum cura & amor vxorius. Fatemur quidẽ, impossibile esse hominibus, ignitis sagittis Cithereæ Veneris, ꝓpria virtute resistere posse. Sed diuino adiutorio opitulãte & auxliãte nemini cẽseo impossi bile, eã illabefactã custodire, Cũ enĩ ĩgemiscẽs Paulus deploraret legẽ carnis in mẽbris suis, repugnantẽ legi mẽtis suę, & exclamaret cũ in-gẽti suspirio, Infelix ergo homo, quis me liberabit de corpore mortis huius

Iocl. 2. Nume. 31. 1. Tim. 3. 1. Timot. 5. Chrysosto. Homil. 2. de patientia Hiob. Virginitas quid. 1. Ti. 6, & 11. Sapien. 8. Roman. 7.

huius(subiunxit continuò hanc consolatoriam responsionem. Gratia Dei per IHESVM CHRISTVM Dominū nostrū. Fatemur inq̄ difficile esse cōtinere, at regnū vim patitur, & violēti rapiunt illud: tentamur omnes à carne, at fidelis est Deus, qui non patitur nos ten- tari supra id quod possumus, sed facit cum tentatione prouentū. Gra tia itaque Dei(quæ semper eam rectè expetentibus est parata) restin guit in nobis, suo rore cælesti, flammas libidinum, inter omnia enim Christianorū certamina duriora sunt prelia castitatis, vbi quotidia- na pugna & rara victoria, inquit Augustinus, in lib. de agone Chri- stiano. Atq; vt paucis verbis tandē concludā, si qui sacris initiati or- dinibus, patiūtur graues carnis molestias seu tentiginē, cōfugiant ad Patrē misericordiarū & Deum totius cōsolationis, per intētissimas & energiticas preces, per cordis humilitatē, & ille cōsolabit᷑ eos in omni angustia eorū, refrigerabitq; placido imbre suæ gratiæ graues illos æstus carnis: sentiēt sentiēt, infestum illū hostem intraneum(carnem) esse subactum spiritui atq; morigerum, neq; in eos vlterius fera bel- la mouebit. Math. 10

Is facile extinguet Veneris flagrantia tela
Qui meminit gehennæ, qui Phlegetontis aquæ.

Quàm suaue verò iugū sit VIRGINITAS, quantis antiquitus encomijs illa celebrata fuerit, ostendit D. ille Bethleemiticus Hiero nymus, lib. 1. contra Iouinianum. Et ad Demetriadem virginem, in- quit. In carne præter carnē viuere, nō humana sed angelica vita est. Et idem ad Eustochiū. Christum offendit qui sacram virginem illici tè tangit. HAEC CASTITAS(cæleste bonum, animæ murus, vi- ctoria carnis, portus honestatis, cognata phalangi angelicæ) illa, quę virorū carnes integrè seruat, & in amaritudine pœnitētiæ motus ma los reprimit. Hanc septem modis assequi poterimus. Firmo proposi- to, modico cibo, exercitio continuo, raro bonoq; colloquio & consue- tudine: sensuum continentia, præmij futuri præ meditatione, auxi- lio diuino. Et sicut nulla gemma gratior est oculis viridi smaragdo: Ita hæc gratior est angelis, & oculis Domini: Hanc Dęmones ex cor dibus catholicorum eradicare nitūtur, sed mens & intentio indiuisa resistens, eam custodit illęsam. Qui casti sunt indiuisi sunt, non ha- bent duos oculos quos figunt ad terrena, atq; ad Deum: Neque sa- tyri in modum Aesopici ex eodem ore calidū & frigidum emittunt, sed cum psalmographo canunt. Sicut oculus ancillę in manibus do- minę suę, Qui casti sunt, templum Dei sanctum sunt, de quo Paulus. Nescitis quod corpora vestra templum sunt spiritus sancti, qui habi tat in vobis? De continentia clericorum seu voto castitatis; videat

Castitas 7. modis acquiritur. 1. Corint. 3. Psalm. 122. 1. Corin. 3.

 studio-

studiosus lector hosce sequētes locos,neq; enim omnia ad viuum (vt illc ait)reseco.Augustinum,Tracta.13.in Euāgelion Ioannis:& Eundem Augustinum de bono viduitatis,cap.8.9.10.11.Epiphanium, contra Montanistas,pag.194.& contra Catharos pag.226.& contra Apostolicorum hæresim,pagina 243.Tertullianū,lib.1.ad vxorem pag.553.Et eundem de Monogamia,pagina 599.Origenem, Tracta.18.in Matth.cap.21.Eundem Origenem contra Celsum,lib.3. pag.614.Cyprianum,lib.1.Epist.11.Chrysostomum,in 1.Timoth. 3.Homil.19.Ambrosium,ad virginem lapsam cap.5.& in 2.Corin. cap.11.Concilium Chalcedonense,canone 15.Carthaginense 2. can. 1. Epistolam Siricij PP.quartam ad coēpiscopos per Aphricam. Ambrosium,in Epistolam ad Timotheum,cuius D. Ambrosij verba vtpote ex omni parte absolutissima,ne post Homerum Iliada canere videar,lubens adscripsi. Veteribus (inquit) idcirco hoc concessum est Leuitis & sacerdotibus vxores ad vsum habere.quia multum tempus otio vacabant à ministerio aut sacerdotio,Multitudo enim erat sacerdotum,& magna copia leuitarum.Et vnusquisq; certo tempore seruiebat diuinis ceremonijs secundum institutum Dauid. Hic enim 24.classes constituit sacerdotum,vt vicibus deseruirent. Vnde Abia octauam classem habuit,1.Para.23.cuius vice Zacharias fungebatur sacerdotio.Ita vt tempore quo nō illos contingebat deseruire altari,domorum suarum agerent curam. Vbi autem tempus imminebat ministerij,purificati aliquantis diebus accedebāt ad templum offerre Deo.Nunc autem septem diaconos esse oportet,aliquantos presbyteros,vt bini sint per Ecclesias,& vnus in ciuitate Episcopus,ac per hoc omnes à conuentu fœminæ abstinere debere. Quia necesse est eos quotidie in Ecclesia præsto esse,nec habere dilationem vt post conuētum purificentur,sicut veteres:omni enim hebdomada offerendum est,etiamsi non quotidie,peregrinis,incolis tamen vel bis in hebdomada:& non desunt qui propè quotidie baptizentur ægri.Nam veteribus ideo concessum est,quia multo tempore in templo non videbantur,sed erant priuati. Si enim plebeis hominibus orationis causa ad tempus se abstinere præcipit, vt vacent orationi,quantò magis Leuitis aut sacerdotibus,quos die noctuque pro plebe sibi commissa oportet orare? Mundiores ergo debent esse cæteris,quia Actores Dei sunt,Hæc sanctus Ambrosius. Ante omnia,inquit Origenes (in Leuit.1.Homil.4.) sacerdos,qui diuinis assistit altaribus,castitate debet accingier, &c. Iam verò quid ego tibi recensere pergam tot Ethnicorum exempla,qui excelso infractoque animo tulerunt suorum corporum interitum,vt seruarēt castitatem?

Nota.

A quibus

A quibus superari Christianos, nonne turpissimum? Nunc tibi succurrat nobilis illa meritoq; literis omnium celebrata HIPPO Græca virgo, quæ capta à nautis, cum virginitatem suam periclitari sensisset, noctu se præcipitem dedit in vndas, moriq; pudica quàm impudica viuere maluit, cuius cadauer eiectum Græci iuxta Golphũ seu sinum Laertiacum, haud procul ab vndis sepulchrum condiderunt, apud quos ad hunc vsq; diem eius castitas æterna memoria celebratur. Succurrat VIRGINIVS, vir generis plebei, ne domus sua contaminaretur probro, scamno arrepto virgineam filiam interemit, vide Senecam in Tragedia quæ dicitur Octauia. Succurrat CAIVS GRACCHVS, de cuius pudicitia extat locus memoratissimus apud A. Gellium lib. 15. cap. 12. Succurrat CYRVS, is abstinuit à conspectu Pantheæ, regiæ functionis memor: Succurrat EPICTETVS, qui interroganti Hadriano imperatori, quid nam amor esset, respondisse fertur: Ociosi pectoris molestia, in puero pudor, in virgine rubor, in fœmina furor, in iuuene ardor, in sene risus, in deriso re delicti nequitia: Meminerint ergo quiq; libidinosam iuuentam, senilem esse pœnitentiam. Succurrat PONTIVS, is vbi cognouit Faunum saturninum pædagogum suum per dolum eius filiam vitiasse, & pædagogum & filiam vna mulctauit, nam vtrumque necauit, maluitque acerbum filiæ funus prosequi, quàm turpes eius nuptias celebrare, Sallustius lib. 6. cap. 1. Succurrat VLYSSES, qui Moly herba cõtra Circes incãtamenta vsus est. Sic PYTHAGORAS rogatus à quodam, quando esset congrediendum cum fœmina, cum voles, inquit, teipso fieri debilior: author Diogenes lib. 8. Hunc imitatus ISAEVS sophista Assyrius, quum primam ætatem dicasset voluptatibus, simul vt ad virilem, velut alius subito factus, miram induit morum seueritatem. Itaque percontanti cuidam num illa, fœminam ostendens, videretur formosa, πέπαυμαι, inquit, ὀφθαλμιῶν: Et adiecit, sensi enim me è Tãtali hortis fructus colligere. Subindicãs omnes eiusmodi voluptates quibus iuuentus capitur, nihil aliud esse q̃ vmbras ac somnia, qualia de Tantalo fabulantur poëtæ. Succurrat ALEXANDER Macedo, is quum inuitaretur vt Darij filias quas habebat captiuas inuiseret, prædicabantur enim puellæ admirabili esse forma, noluit ire, dicens, sibi non committendum; vt quum viros vicisset, à mulieribus vinceretur: Sicut enim Herculem parum decebat, exuto leonis exuuio vestis milesia, cum seruiret Omphalæ, Sic parum decorum erat Alexandro, deposita, quam gessit persona, ad voluptariam illicitam libidinem sese conferre. Idem Alexander (teste Plutarcho) se duabus potissimum rebus mortalitatem intelli-

Id est, desij laborare ab oculis.

gere aiebat, sopore ac coitu, quas sola naturæ infirmitas pareret. Succurrat ZENO Citticus simul & CLEANTHES assidebant hi Chæremonidæ, quumq; sentiret Zeno affectum amoris, surrexit. Hoc admirante Cleanthe, etiam à bonis, inquit, medicis audio, aduersus inflationem optimum esse remedium, quietem. Se itaq; imminenti periculo subducens. Succurrat LYSIMACHVS, quum Dianæ sacerdotem vidisset, supra modum eleganti forma, continuò soluit Epheso, veritus ne vis amoris aliquid ipsum facere cōpelleret, quod phas non esset. Immane quantum absunt ab huius ethnici principis religione titulares Euangelici, qui Deo dicatas virgines cōstuprare pro ludo ducunt. Succurrat HANNIBAL, postea q̄ is Carthaginem nouam, quæ erat Hispanorū, armis ceperat, milites quidam virginem eleganti forma captam adduxerunt, eiq; tradiderunt. Hic ille, libenter acciperem (inquit) si priuatus essem, non Imperator. Ecce iuuenis insigni puellæ forma corrumpi non potuit, quo minus meminisset quid deceret imperatorem. At multi sunt hodie, qui ob hoc ipsum sibi credunt tum licere, tū decora esse omnia. Hūc imitatus SCIPIO, Is cum oppressa & capta Carthagine intellexisset quod virgo formæ eximiæ cuidam desponsata esset & capta, vocatis parentibus & sponso, ipsam eis inuiolatam tradidit, & aurum quod pro redēptione puellæ allatum fuit, virgini in dotem suo marito in munus nuptiale tribuit. Si igitur ille thorum alieni hominis & inimici maculare renuit, quantum culpandus est Christianus, qui deo consecratæ non parcit, cum scriptum sit, Esai. 65. Ne dissipes illud quoniam benedictū est. Succurrat GORGIAS, quem produnt supra 100. annos vixisse, interrogatum verò quanam victus ratione vsus omnium sensuum integer seculis perdurasset: Nihil, dixit, vnquam voluptatis gratia peregi. Succurrat SARDANAPALVS Assyriorum rex, qui omni deliciarum mollitie defluxit perditissimus, ad quem (vt cum videret) venit Arbactus vnus suorum præfectorum qui Medis preficiebatur, vix autem admissus, cum tādem inter pellicum greges reperit in habitu muliebri purpuram colo nentem, & pensa inter virgunculas dispensantem, indignatus Arbactus hoc effœminatum monstrum viris præesse, bellū infert. Sardanapalus verò primum latibula quærens, mox vecors ad bella truditur, superatur, in regia receptus accensam pyram cum suis diuitijs conscendit, & molliciem vindicibus flāmis exuit. Succurrat XENOCRETES, dum propter continentiā apud omnes admirabilis esset, discipuli eius facto splendido conuiuio præceptorem suum conuocarūt, nec alia causa nisi vt rationis eius vires largis suauioribusq; perorationibus opprimerent. Quod vbi factum putaue-

Continētia Zenonis.

Imperator castus.

Valer. Max. lib. 4. cap. 3.

De Gorgia Clearchus memorat.

putauerant, in lecto strato molliter eum collocabāt, moxq; Phianim scortum nobile in cubile introduxerūt, & solus cum sola relinquitur, sed quia cognoscebat nihil peius, nihil turpius, & nihil quod ab immortali Deo grauius puniatur, nequaq̃ flectitur instar scopuli qui inter fluctus natura fundatur, & vndarum frequentium collisione vapulat, nec mouetur, inconcussus mansit & immobilis.

Succurrat SOPHOCLES, quem grandem natu interrogauit quidam, num adhuc commercium haberet cū vxore: at ille, bona verba, inquit, libentissimè effugi hanc libidinem, tanq̃ rabidū & ferum Dominū. Succurrat istud Ciceronianum: duę sunt viæ (inquit) duplicesq; cursus animorum è corpore excuntiū. Nam qui se vitijs humanis contaminarūt, & se totos libidinibus tradiderunt, ijs deuiū quoddam iter est seclusum à consilio deorum: qui autē se integros castosq; seruarunt, quibusq; fuit minima cū corporibus cōtagio, suntq; in corporibus humanis vitam imitati deorū, ijs ad illos à quibus sunt profecti, facile patet reditus. Succurrat METELLVS ille Numidicus censor, Is cum populum Romanum ad matrimonia capessenda adhortaretur, dixit: Si sine vxore possemus Quirites esse ea molestia careremus. Sic THRASEA solitus erat dicere, hominem non manus tantùm apud se continere oportet, verùm & oculos, vox homine Christiano non indigna. Sic PLATO, in Phedone docens virtutes, virtuosum se in mortificatione libidinis gloriatur. Sic LYCVRGVS Lacædemoniensis leges suis præscribens, duci iussit primæ lanuginis adolescentiores in forum seu agrum, vt primos annos non in libidine, vel ludis (sagittat enim cupidinis arcus iuuenum animos) sed in omni opere bono & extra libidinem consumerent. Sic Cicero (libro primo de officijs) dissuadens libidinem, ait. Si considerare volumus quæ sit in natura hominis excellentia & dignitas, facilè intelligemus quàm sit turpe defluere luxuria, ac molliter viuere, & quàm sit honestum veuere continenter, sobriè & castè. Et infra idem Cicero. Luxuria cum omni ætati turpis sit, senibus maximè fœdissima est. Et idem in senectute: ô præclarum munus ætatis, siquidem aufert à nobis quod est in adolescentia vitiosissimum, scilicet libidinem corporis. QVOD si Romana te magis capiunt exempla, respice Lucretiam à Sexto Tarquinio vi stupratam, cuius meminit Liuius ab vrbe cōdita lib. 1. ad quā quū Collatinus cū paucis familiaribus venisset, quęrēti viro ex more, sati salua? Minime, inquit Lucretia, quid enim salui mulieri amissa pudicitia? vestigia alieni viri Collatine in lecto

1. Tuscul. quæst.

Trogus Pompeius lib. 3. Iustinus li. 3.

Pudicitia coniugalis.

in lecto sunt tuo. Sed corpus tantùm violatum est, animus insons est, mors testis erit: His dictis cultrum quem abditum LVCRETIA habeat in corpus infixit, & collapsa est moribunda. Sed quorsum fero? quid exemplorum agmina (obijcis) construunt? Equidem neque destruunt, quoniam docent & instruunt, quæ rationis pars sectanda sit, ea videlicet, quæ ad virtutes & fortitudinem prouocat: Et quæ fugienda sit, ea videlicet, quæ ad omnem turpitudinem inuitat. Verùm quid ego minutijs his & quisquilijs immoror, quum veritate adstipulante, nunquam non satis laudata sit continentia, & ex opposito detestata libido? Nunc pauca de perniciosa & detestāda libidine.

Libido bona corporis destruit.

E contra, quàm graue atque insupportabile iugum ingensque sarcina sit seruire libidini, omnibus sanè perspectum esse censeo. Hęc Chimera igniuoma bona corporis destruit: Cætera peccata quidē maculant animam, Libido autem cum animam tùm corpus eneruat, vires extinguit: Hinc vulgatum emanauit diuerbium de Milesijs, qui luxu, nequitiaque defluentes, omne virilitatis robur perdiderant, *πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι μιλήσιοι*, id est, Milesij quondam fortes, ac si euiratos effœminatosque dicerent, &c. Libido ingeniū à studijs auocat, atque iuxta Senecam (ad Lucillum, Epistola 24.) tremorem manuum ac pedum, generat. Vnde obsecrò, infirmitates & mors tam tempestiuas? nonne ex nimia ciborum copia, & frequenti mulierum vsu? Quid tam mortiferum ingenijs, quàm luxuria? Rationem perturbat & absorbet. Intellectum hebetat, memoriam eneruat, obliuionem immittit: hamus est diaboli, ad interitum trahens. Animam corrumpit, corpus perdit. Atque vt Sillius Italicus, lib. 15. de Scipione, confirmat, virtuti inimica est. Peccati parens est: Mortis stimulus: Nutrix vermis ęterni: Mori ergo longè præstat, quàm animæ tenebras per incontinentiam offundere, cui libidini hæc accedunt vitia: Insomnia, stultitia, temeritas, incogitantia, excors immodestia, petulantia, cupiditas, maleuolentia, auiditas, desidia, iniuria, inopia, contumelia, dispendium, multiloquium, pauciloquium. Libido errorem infundit: ignorantiam induit.

Luxuries predulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitrijs, hebetat caligine sensus.

Nónne hæc eadem illicita libido bona fortunæ seu tēporalia absumit? Qui nutrit scortum (ait Salomon, Prouerb. 24.) perdit substantiam, &c. Hæc disperdit, dissipat patrimonium, hęreditariam fortunam, & patrios census: vt ille canit,

Qui

Qui sequitur Bacchum, taxillos & meretrices,
Infamis semper, semper egenus erit.

Et Alius.

Thaida si quis amat non se, sua credat amari.
Thais amore carens, munus amantis habet.

Hęc perniciosa Venus, hominem bestijs consociat, 1. Corin. 2. hęc ensis (inquit Hieronymus) est diaboli, aufert cor hominis: hæc ianua diaboli, iuxta illud. Osee 4.

Tu preceps ad mortis iter, tu ianua leti
Corpora commaculas, animas ad tartara portas.

Via iniquitatis est: Virium eneruatio, & vt Hippocrates prodidit, leuis quidam morbus comitialis: hæc scorpionis percussio: horribilis ἀταξία seu inordinatus motus: Libidini perniciosæ, Argiui instituerunt celebritatem suillam, quoniam spurca, obscæna, fœtida, & ergo suibus congrua, quemadmodum hæc ex Antiphanis Callimachi monumentis colligitur. Hæc stipula est accendens ignem: Amarior felle: crudelior gladio ancipiti. Nulla capitalior pestis, quàm libido seu corporis voluptas hominibus natura data est, Hinc Patriæ proditiones, hinc rerum publicarum euersiones, hinc cũ hostibus clãdestina colloquia nascuntur. Nullum deniq; scelus, nullum magnum facinus est, ad quod suscipiendum nõ libido voluptatis impellat: stupra verò & adulteria, & omne flagitium, nullis alijs illecebris excitantur, nisi voluptate, & menti nihil est tam inimicum, q̃ voluptas: nec libidine dominãte, temperantiæ locus est (dixit Cato Maior) omnino, nec in voluptatis regno potest virtus cõsistere. Quocirca nihil tam detestabile, tamque pestiferum, quàm voluptas, siquidem cum maior est & longior, omne animi lumen extinguit. O quàm acerbus libidinis fructus? Nulla res sic præscindit virtutem (inquit Cecilius Firmianus lib. de beata vita) sicut corporalis voluptas, Nulla capitalior pestis: Hæc Deo contumeliosa, dæmonibus placida, libidinosis nociua. Hæc Venus prodiga, proximum scandalizat: animam damnat, mentem infatuat, anxietates generat, conscientiam hominis amaram defœdat: Cuius appetentia plena est anxietatis, satietas verò pœnitentia. Summa. Tristis est voluptatum exitus, quisquis reminisci libidinum suarum volet, intelliget: Iure ergo Seirenes Poëtæ fingunt solitas in pelago tam amenè cantillare, vt eas audiẽtes, nihilque curantes aliud, facilimè mergerentur, Nam eæ sunt illecebræ sensuumque voluptates, quibus seducti viri, virtutis relinquunt præmia. Hæc perniciosa Venus, domuit Dauida sanctissimum: Sampsonem fortissimum. Aulus Gellius lib. 19. Hierony. ad Susannam.

Salomo

Solomonem sapientissimum, qui immoderato vsu, atque assiduitate mulierum ad hoc vsque perductus est, vt templum idolis fabricaret, beneficiorum Domini immemor. Hæc inuictum Carthaginensium ducem armis illecebris complexa, vincendum Romano militi tradidit: Illa ducem vigilantissimum, illa exercitum acerrimum dapibus largis ac veneris vsu lasciuiare ad somnium è delicijs euocauit. Quid ergo libidine perniciosa fœtidius, quid damnabilius? Qua virtus atteritur, victoriæ languescunt, sopita gloria in infamiam conuertitur, animi & corporis vires extinguuntur? Non tam Aetnæi ignes, Vulcania tellus, non Vesuuus & Olympus ardoribus æstuant, vt iuueniles medullæ vino plenæ & dapibus inflammatæ. Cur igitur porcis ex Epicuri grege inuoluimur? cur Sardanapali incentiuis ad libidinem plumis obdormitamus? An ignoramus libidinem nimiam illicitam leonino capite, serpentinaq; cauda depingi? Demum non improbandum censeo quorundam consilium, subnectentes, nullos scilicet ab Episcopis ordinari debere sacerdotes, nisi eos qui iam suã prætergrediuntur adolescentiam, & iuuenilia desideria seu nuces reliquere, suntq; maturi moribus, & sufficienter præditi scientia rerum Ecclesiasticarum. At hæc quidem omnia pontificijs decretis iam olim definita sunt, & exactissimè constituta, non tamen satis accurate obseruata, vnde in ordine sacerdotali & statu Ecclesiastico, multæ conspiciuntur pudendæ prolapsiones, & scandala: Quoniam in distributione beneficiorum Ecclesiasticorum, plerunque hominibus prouidetur, non ipsis beneficijs. Quandoquidem hi quibus assignantur huiusmodi beneficia, percipiunt quidem emolumenta temporalia illis designata beneficijs, non tamen rectè illa administrant, quoniam libidinosi & minimè idonei sunt ad id muneris obeundum, inflati, implicati. Sed faxit Deus gratuita sua bonitate, vt hæ exorbitationes seu desideria erroris &, spurcæ libidines, quibus corrumpitur homo, ab Ecclesia sua maturius depellantur, per eos, qui authoritatem habent, & prouinciam extirpandi sentes & vepres ex agro Dominico, & ad amussim custodiãtur ea, quæ circa vitam & mores clericorum sunt rectissimè instituta.

Ad spectatæ fidei iuniores Mystas, schediasma.

O iuuenes spectate probi, quid candida virtus
Possit: quid noceat luxuriosa Venus.
Non scortum est aliud, nisi blanda & subdola Syren:
Quæ trahit humanum sub vada cæca genus.

Permanete igitur (viri fratres) constantes in fluctuante, at submergenda

mergenda minimè Petri nauicula: Nemo vos seducat. Non circumferamini omni vento doctrinæ, non vos terreat sarcina cōtinentiæ, leuis erit, si Christi erit: Christi erit, si fides aderit, quę impetrat à iubente quod iusserit. Qui perseuerauerit vsq; ad finem hic saluus erit: Pręsumite, fidite, roboramini, permanete qui vouetis & redditis domino Deo nostro vota perpetuæ continētiæ, nō propter præsens seculū, sed propter regnum cælorū. Atq; vt cū D. Augustino (in libro de conflictu viciorū) concludā. O quàm parua, inquit, cōcubitus hora, pro qua perditur æterna vita? &c. Cogitate obsecrò, ipsam amatricē corpoream molem, & post modicū tēporis spacium esse à tineis & vermibus vorandam, iuxta istud Periādri: αἱ μὲν ἡδοναὶ θνηταί, αἱ δὲ τιμαὶ ἀθάνατοι, id est, semper quidem voluptates mortales, honores verò immortales. Non possum itaq; pijs catholicis & castis in Ecclesia viris, (qui nondum sua curuauerunt genua ante Baal) non gratulari, qui militare Christi & virginale sagulum, coniugali ociosæq; togæ seculi præferunt: Sed ne longius progrediamur, ad Vrbanum 1. nunc properemus.

Augusti. ad Pollenci. li. 2. cap. 19.

Augusti. de S. Virgin. cap. 29.

VRBANVS I. 16.

Romanus natione, patre Pontiano, sub M. Aurelio Antonino Imperatore claruit, circiter annū 226. ab vrbe verò condita 970. Multos sanctitate vitæ & doctrina singulari ad fidem traduxit. Inter hos autem Valerianum virum præstantissimum, beatæ Cæciliæ sponsum, & Tiburtium eiusdem Valeriani fratrem, qui postea martyrium constāti animo tulēre. At vbi ex ordinationibus quinquies mēse Decembri habitis, presbyteros nouem, diaconos quinque, Episcopos nouem creasset, martyrizatus est octaua calen. Iunij, & sepultus in cæmiterio Prætextati via Tiburtina: Sedit annos 4. alij 8. mens. 10. die. 12. Vacat sedes die. 30.

Anno 230. alij 222.

Euseb. lib. 6 cap. 18.

Vrbani 1. tempore, Ecclesia temporalia bona & prædia cepit possidere, quorum prouentibus alendos statuit Ecclesiæ ministros & scriptores, qui martyrū historias seu hagiologia scriberēt, vide Platinā: Pars hominū doctissimorum istud statutum tribuit Anthero, alij Fabiano: Sed in re non admodum perplexa iudicium permitto lectoris arbitrio, &c. Sunt etiā qui Vrbano 1. attribuunt distinctionem 4. temporum ac ieiunij, quę antea confundebantur hominū imperitia.

Eiusdem Vrbani PP. temporibus, Tryphonem Origenis auditorem fuisse constat, qui librum præcipuè composuit de vacca ruffa in Deuteronomio.

S. Tryphon

Eodē cathedrā Petri gubernāte S. Cyprianus Episcopus & Iustina virgo, passi sunt 6. calend. Octobreis, circiter annum Domini 230.

S. Cyprian.

S. Quiricus. Hijsdem temporibus, S. Quiricus cum Iulita matre apud Tarsum Ciliciæ passi sunt Idibus Iulij, circiter annum 230. TARSVS vrbs

Tarsus. clarissima fuit, cum ob gymnasium maximè quondam in ea insigne, tum eo ipso, quod Paulum Apostolum alumnum habuit, virū vnicè in religióe nostra memorabilem. Lege de Tarso lib 14. Strabonem. Meminit & Marcellinus lib. 14. &c.

Floruerunt.

Ammonius. Ammonius Alexandrinus, anno 230.

Origenes. Origenes, anno 233. Scribit D. Hierony. Origenē 6000. librorū cōscripsisse, quod nequaq̄ fuerat crediturus nisi omnes perlegisset.

17 PONTIANVS.

Romanus natione, sedit annos nouē, menses quinq;, qui cum Hippolyto presbytero in Sardiniā insulam à Maximino imperatore deportatus est, & ibi 12. calend. Decembris mactatus: cuius corpus Fabianus PP. reduxit, & Romæ in cæmiterio Calixti sepeliuit. Vacat sedes die. 11.

Idem Pontianus PP. statuit, vt psalmi die noctuq; per omnes Ecclesias decantarentur.

Idem PP. CONFITEOR DEO OMNIPOTENTI Missæ

Confiteor Missæ adiectum. Alij hoc adscribūt statuto Damaso. adiecit, & præmittere iussit. Fit autem in primo accessu cōfessio & pectoris tunsio, quia iustus in principio sermonis accusator est sui, Prouerb. 18. In contritione, in oris confessione, & operis satisfactione, cū enim tribus modis peccemus, scilicet cordis cogitationibus, oris locutione, & opere perpetrando. Ita tribus modis pœnitere debemus, corde videlicet per dolorem, ore per pudorem, & opere per laborem: Vnde Basilius in regula Monach. cap. 12. inquit: Necessarium videtur ijs, quibus dispensatio mysteriorum Dei commissa est, confitenda esse peccata.

Hijsdem temporibus sub Maximino imperatore, Cosmas & Damianus fratres in Egæa vrbe Arabiæ nati, post innumera supplicia,

S. Cosmas. S. Damian. capitis obtruncatione martyrio sunt coronati, 5. calēdas Octobreis.

ANTHERVS.

18

Circiter annum 239. Græcus natione, temporibus Maximini coronam martyrij promeruit 3. Non. Ianuarij, sedit annos 3. Alij an. 5. Vrspergensis abbas tantùm ponit, mens. 1. di. 13. vacat sedes di. 7.

Is PP. gesta martyrum diligenter exquisiuit, septem notarios cum viueret ordinauit, qui gesta martyrū sanctorū cōscriberent, & in Ec-

Martyrū gesta conscripta. clesia recondidit: idem Fabianū Episcopum Romanū factitasse testatur Bartolomeus Platina. Hodie certè (pudor est dicere) leguntur ardentis

ardentissime vitæ Plutarchi, vitæ Suetonij, vitæ Lactantij. Vix quisquam recenset tot bellis deploratissimis temporibus ignorat Herodotum de Homero, Q. Curtium de Alexandro, Xenophontem de Cyro: Sanctos Dei in crassis ignorantiæ caligine sopitos esse sinimus, nec secus ac si illorum memoria nihil ad nos pertineret, & desinemus qui quondam fuimus, ethnici. Proh pie IESV, itane oblivione tam profunda damnantur Christiani homines inter Christianos? Nolite, ne illorum ratio, qui diuinitus electi, nos eo præcesserunt, quo nemo non tendit?

Idem Pontifex Romanus, Episcopos de sede in sedē transferri posse, constituit. Id autem tunc licet, quando communi vtilitate aut necessitate fit, non libitu cuiusquā, aut dominatione: Sic Petrus princeps Apostolorum de Antiochia translatus est Romā. Sic Eusebius de quodā opidulo, authoritate Apostolica trāslatus est Alexādriam. Sic Felix electione ciuiū propter doctrinā & bonā vitam quā habebat, cōmuni Episcoporum & reliquorum sacerdotum ac populorum consilio trāslatus est Ephesum. Verum auaritię, vel præsumptionis, aut proprię voluntatis causa, nō sunt Episcopi mutādi de ciuitate in ciuitatem, sed vtilitatis & necessitatis causa, vt supra recensuimus. Episcoporū translatio. Quibus causis transferendus episcopus.

FABIANVS. 19.

Romæ ortus, patre Fabio, vir pietati Christianæ deditissimus, quam ob rem Anthero Romano Episcopo (cuiusmodi hodie Papas vocāt) vt in pastorali officio succederet, mirabiliter à Deo electus est. Eusebius Cæsariensis in sexto super ista mirabili electione sic scribit: Tradunt Fabianū, Anthero defuncto, cum de agro reuerteretur vna cum amicis suis, & vniuersus Ecclesiæ populus pro Episcopo deligendo in vnum coisset, atque alius de alio (vt fieri solet in talibus) conclamaret, nec tamen vulgi sententia certi aliquid obtineret, adstitisse etiam ipsum inter cæteros, scire cupientem, qui rei exitus foret. Et subito per Dei prouidentiam columbam cælitus lapsam, figuram ferentem illius, quæ in sancti Spiritus imagine super IESVM descenderat apud Iordanem, supra caput astitisse Fabiani. Ad quod spectaculum ora cunctorum oculosq; conuersos, & omnes velut vno spiritu commotos, hunc esse Episcopatu dignum, per Dei iudicium decreuisse, cumq; mox cathedræ impositum, & legittimo sacerdotio confirmatum, &c. Sabellicus hoc miraculum in Seuerino accidisse tradit. Circiter annum 142.

D. Hieronymus in lib. de scripto. Eccle. cap. 21. de S. Fabiano sic refert [illegible]. De crudelitate autē persecutionis, qua aduersum Christianos sub Decio efferbuit, eo quod in religione Philippi desæuiret,

quem & interfecit, superfluum est dicere, cum etiam Fabianus R. E. Episcopus in ipsa occubuerit, & Alexander Babylasq; Hierosolymorum & Antiochenæ Ecclesiæ Pontifices in carcere pro confessione dormierint. Hactenus ille.

Anno Dominicæ incarnationis 243. vrbis côditæ nongentesimo 98. Marcus Iulius PHILIPPVS 24. ab Augusto inualit Imperium, occiso Gordiano, & vna cum filio suo Gaio Iulio Saturnino Philippo, regnauit annis 7. Isti omnium imperatorum primi Romę Christianismû induerunt: & in ipsis pasche vigilijs cû iungi vellêt sacrificio, & comunicare, à FABIANO pontifice Romano nô permissi sunt, nisi prius côfiterentur peccata sua, & inter pœnitentes starent. Quod illi suscipientes libêtissimè, diuinû sibi metû, & Christianitatis plenissimam fidem rebus & operibus côprobabant inesse. Ambo deinde, scilicet, pater Veronæ, capite medio supra ordines dentium pręciso, filius verò Romæ, cû esset annorû 12. istud sic procurante Decio architγranno, sublati, & pro Christi nomine martyrizati sunt. Vide Orosium 7. cap. 20. Euseb. 6. cap. 21. & 34. &c.

Chrisma quot annis conficiendû. Singulis annis in cęna Domini Chrisma vt renouaretur, FABIANVS statuit. Causa autê mouens huius decreti, hęc fuit. Intellexerat Fabianus nonnullos Episcopos non per singulos annos in cęna Domini Chrisma conficere, sed duos vel tres annos confectionem sancti chrismatis semel ꝗctâ conseruare, quoniâ nec balsamû per singulos annos poterât reperire, nec necesse esse putarant singulis annis chrisma côficere, abundante vna confectione chrismatis. Ad quos scripsit sanctus ille pontifex. Errât (inquit) qui talia excogitât: & mente vesana, potius ꝗ recta sentiêtes, hæc dicunt. In illa enim die Dominus IESVS, postꝗ cęnauit cû discipulis suis, & lauit eorum pedes (sicut a sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisq; reliquerunt) Chrisma conficere docuit. Ipsa enim lauatio pedum, nostrum significat baptismum, quando sancti chrismatis vnctione perficitur & confirmatur. Sicut igitur ipsius diei solênitas per singulos annos est celebranda, ita ipsius sancti chrismatis confectio per singulos annos est agenda, & de anno in annum renouanda, & vetus chrisma in sanctis Ecclesijs cremandum. Ista à sanctis Apostolis, & à successoribus eorum accepimus, vobisque tenenda mandamus. Hæc sancta Romana Ecclesia, & Antiochena à tempore Apostolorû custodit. Hęc Hierosolymorum & Ephesianorum tenet. In quibus Apostoli presidêtes hęc docuerunt, & vetus chrisma incendi, & non amplius quàm in vno anno vti permiserunt, &c. Chrisma verò græca vox est, & idem latinè sonat, atque vnguentum, ἀπὸ τῆς χρίσεως, quæ est vnctio. Fiebat

In 2. Episto. ad Episcopos Orientales.

Chrisma.

autem

autem ex myrrha electa, ireo, cinamomo, & calamis, qui teste Plinio in Arabia, India, & Syria, odorati nascuntur, quæ simul cõtusa oliuarum oleo miscebantur, sic vnguentum suauissimum conficiebatur, quo Moses ipsos sacerdotes & tabernaculum illiniens purgauit, autor Iosephus lib. 3. antiq. At hodie in Ecclesia, ex oleo & opobalsamo, quod est, vt idem Plinius (lib. 12.) tradit, balsami arbusculæ succus, Chrisma conficitur.

Quid amplius instituerit, vide Sabellicum: Bartholomæum Carranzam, & reliquos spectatæ fidei viros.

Sedit autem FABIANVS in cathedra Petri, annis 13. mens. 11. adijciunt alij dies 11. Vacat sedes di. 6.

Sub eodẽ Fabiano, stygijs sese extulit vndis Nouatus hęresiarcha, princeps Nouatianorũ. Docebat post baptismũ acceptũ relapsos in peccatũ, redire ad salutẽ nõ posse, & errore hoc impio multos ad desperationẽ adegit, & Ecclesiarũ concordiã dissipauit: cõtra id quod scriptũ est, Ezech. 18. Conuertimini & agite pœnitentiã ab omnibus iniquitatibus vestris: & nõ erit vobis in ruinã iniquitas. Et quare moriemini domus Israhel? Quia nolo mortẽ peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Et alio in loco Dominus ad discipulos suos ait, Ioan. 20. Quorum, inquit, remiseritis peccata, remittuntur eis. Nec quidem semel tantùm, sed & pluries, Domino eodem ad Petrum, de numeraria vice remittendi peccata rogantem, in hæc verba dicente. Non dico tibi, vsque septies, sed vsque septuagies septies. An non igitur hoc Nouati dogma, est Domino omnium misericordiarum tyrãnidem, à qua tamen prorsus alienus est, quum nõ sit eius misericordiæ numerus, impingere? Idem Nouatus Simiarum more quæ cum homines non sunt, homines imitantur, id sibi vẽdicare voluit, quod hodie possidet Ecclesia, temerariè Episcopos catholicos Aphricanos, Numidas & Mauritanos, hæreticos (ipse plus decies hæreticus) declarauit. Contra hunc Nouatum scripsit D. Arnobius in Psal. 106. in hæc verba prorumpens. Audi (inquit) Nouatiane. Tu dicis, qui adhuc non sunt redempti, ipsi possunt ad indulgentiam per pœnitentiã peruenire. Nos dicimus, illi per solam fidẽ ad indulgentiam attingunt. Isti autem qui redempti sunt, non per fidẽ solam, quia iã crediderunt, sed per pœnitentiã perueniunt ad misericordiã redẽptoris, &c. Ob hanc Nouatianorũ hęresim, conciliũ sacerdotale Romę congregatum est, Episcoporum 60. totidem presbyterorum, cum diaconis multis. Illi ipsi Nouatianistæ, superbo nomine catharos, id est puros, hęreticorũ more, semetipsos appellarunt. Irrepsit hæresis circiter annum 241.

Nouatianistæ hęretici. Vide Euseb. lib. 6. Eccle. histo. cap. 33

Math. 18. Luce 17.

Psalm. 146. 3. Reg. 8. Eccles. 7. 1. Pet. 4.

S. Agatha virgo & martyr passa est No. Februar. circiter annum

Agatha hoc est, bona virgo. Domini 253.ſimus & nos Agathi, Agathæ. S. Agathæ virginis meminit Raphaël Volat.lib.13.Anthropologiæ:Sabellicus lib.5.exemplorum.Gregorius lib.1.Epiſtolarum ad Ioannem Epiſcopum Surretinum.

S. CORNELIVS.

20 Circiter annum 255. Romanus natione,patre Caſtino:Sedit an.2.adijciunt alij menſ. 2.di.3.martyrio coronatus 3.Nonas Maij à Decio, quia noluit ductus ante templum Martis adorare,Vide Euſebium lib.7.ca. 2.vacat ſedes dic.35.

Statuit is Pontifex,ne quis à ſacerdote,niſi pro recta fide,exigeret iuramentum.

Hæretici nõ conferût verû baptiſma. Sub eodem Cornelio PP.concilium Carthaginenſe, 218. Epiſcoporum,de rebaptiſatione inchoatum eſt, in quo vnanimi conſenſu decretum,ab hæreticis non conferri verum baptiſma:ſicut nec datur Spiritus ſanctus,nec vera remiſsio peccatorum. Innixi verbis Pauli ad Epheſ.4.Vna fides,vnum baptiſma.Vnum baptiſma in Eccleſia ſola ſcimus,& extra Eccleſiam nullum.Nõ igitur apud hæreticos eſt, vbi ſpes nulla,& fides falſa.Vbi omnia per mendacium aguntur. Vbi exorziſat dæmoniacus.Sacramentũ interrogat,cuius os & verba cancer emittunt.Fidem dat infidelis.Veniam delictorum tribuit ſceleratus,& in nomine Chriſti tangit Antichriſtus.Benedicit à Deo maledictus.Vitam pollicetur mortuus.Pacem dat impacificus. Deũ inuocat blaſphemus.Sacerdotiũ adminiſtrat prophanus.Ponit altare ſacrilegus,&c. Sed hoc decretum per Stephanum papam aliosq; catholicos eſt retractatum. Idem PP.corpora Apoſtolorum Petri & Pauli, rogatu deuotæ matronæ Lucinæ, leuauit de cathecumbis. (Nota)

Floruit Dionyſius Alexandrinus, Anno 255.

LVCIVS.

21 Circiter annum 258. Romanus natione:Is ad paſsionem pergens,omnem poteſtatẽ Eccleſiæ,reliquit Archidiacono ſuo Stephano ſucceſſori ſuo, coronam martyrij promeruit à Valeriano. Vacat ſedes dic.25.alij 30.

Is PP.Epiſcopum 30.annis minorem repudiauit.

Sacrilegiũ interdictũ. Idem Lucius PP.ſacrilegos bona Eccleſiæ expoliantes, excommunicauit:Sabellicus & Volaterranus iſtud decretum Bonifacio V.adſcribunt. Quid verò excucullatus Lutherus de Eccleſiaſticis bonis ſenſerit, non tantùm ille ſuis expreſsit in apoſtaticis libris: Verùm etiam bellè inſtruxit fiſcales magnatũ:nec ipſæ fabricæ paſsim obmuteſcunt,quas ita exutas videmus,omniq; ornatu ſqualidas,vt nemo hæreat,quin vngues harpyiarũ in extremis ſacrilegijs experiatur.

Nulla salus monachis, non est vittata sacerdos
Tuta, nil tutum seruat vbique furor.
Sacri raptantur calices, vestesq; sacratæ,
Disiectæq; iacent sub pede relliquiæ.
Dinastata iacent etiam tinctoria sacra.
Angelicus panis non habet ille locum.
Diuorum delubra cadunt vastantibus armis.
Infelix plebes nil sinit esse sacrum, &c.

Possem ego infinita propemodum recensere exempla, quibus sole clarius esset videre, quàm malè semper cesserit sacrilegis, vtpote quòd non modò sacrilegia eorum substantias, sicut virga Aaronis virgas maleficorum Pharaonis, deuorauerint, hoc est, sacrilegi semper deinde cœperint esse pauperes & infortunati: sed & quia corpore sunt hic temporaliter, & alio in seculo æternaliter puniti sacrilegi. Exod. 7. Quod si in inferno cruciatur, qui sua non dedit, qua pœna puniendus est, qui aliena tollit? Plato in libro de legibus, hæc tria inter summa bona vulgi opinione posuit: rectè valere, bona fama præditum esse, diuitias citra fraudem possidere. Verùm vt tẽpori parcam (quoniam de ijs nomenclaturas facere, intempestiuum esse existimamus, versatur enim ipsa actio in capitis leporini cute) suffecerit vnum vel alterum recensere exemplum, vt ex vetustioribus recentiora cognoscamus exempla. Nonne Manasses, ac filius eius Amon, in Iudea sceptriferi, quia Hierosolymorum templum spoliarunt, opibus regnoq; 4. Reg. 21. priuati sunt? Nonne quia Nabuchednezer Chaldæorum rex, quan- 2. Parali. 33. do deuictis per eum Ioachim & Sedechia Hierosolymitarum regi- 4. Reg. 24. bus templum spoliauit, ingenium sensumque communem amit- Dan. 1. & 4. tens, delirauit? Nonne Balthasar quoque rex, quia vasis templi Daniel. 5. quæ Nabopollassar proauus eius abstulerat, in conuiuijs vsus est, vitam etiam & regnum perdidit? Nonne Heliodorus templum Hiero 2. Mach. 3. solymis despoliaturus, subito concidit in terram, & multa caligine obrutus, è templo in sella gestatoria eiectus est? Nonne Antiochum, templum Hierosolymis expoliare tentantem, apprehendit dolor durus viscerum, & amara internorum tormenta, ita vt de corpore impij vermes scaturirẽt, ac viuẽtes in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius & fœtore exercitus grauaretur? vt interim omittam Acharum, Iosue 6. 7. Ioam, 4. Reg. 10. & inter gentiles, Cambysam, Dionysium, Herostraton, Flegeon? Sed inquis, Quare singularis enormitas huius furti & sacrilegij tam dirum facinus ante faciem Domini? Audi breuibus remotionem: Primò inhibitum est istud sacrilegium, quia templum singulare Dei domicilium dehonestatur sacrilegio: fitq; ex eo quasi spelunca latronum, id quod Dominus ca-

Matth. 21. Marci 11. Luc. Ioan.

uere iussit. Secundò. Quia violatur & diripitur, quod singulariter Deo datũ est & consecratũ, nec nisi in diuini cultus & pauperũ vsum vertendum. Tertiò. Quia diminuitur ex hoc in terra diuinus cultus, quòd vbi prius est multifariam Deus laudatus, ibi deinde laudatur satanæ figmentum. Id quod totũ ex Aggæo & Hieremia intelligi potest. Vt interim multa consultò prætercam. Vidimus certè in spoliatis Ecclesiarum bonis exempla similia, maximè in nostra Germania, ac nisi plena essent inuidiæ, plurima referre possem. Legimus Fridericum tertium furtis suspendium sanciuisse. Quid verò leges sine moribus vanæ proficiunt? Deus ipse vindex erit. Quare omittamus hæc quæ nostræ palestræ non sunt.

Aggæi 1. Hierem. 7.

22

STEPHANVS I.

Circiter annum 2[illegible].

Natione Romanus, patre Iulio. Cum iam de imperio Romano actum videretur, Pontifex eligitur, eo potissimum tempore, quo Posthumus in Gallia tyrannidem occupat, cum maximo reipub. emolumento. Nam annis decem ingenti moderatione vsus, pulsis hostibus, prouinciam in pristinam formam redegit. Huic deinde militari tumultu apud Moguntiacum interfecto, Victorinus successit, vir quidem in re militari strenuus: sed dum nimiæ libidinis esset, & aliena matrimonia corrumperet, Agrippinæ occiditur.

Ex Platina.

STEPHANVS autem ad ordinandam Ecclesiam conuersus, instituit, Ne sacerdotes & leuitæ vestibus sacris alibi, quàm in Ecclesia, & peragendis sacris vterentur: ne si secus facerent, pœnam Balthasar regis Babylonis subirent, qui vasa sacra prophanis manibus attigerat. De rebaptizandis autem his, qui ad fidem redijssent, eadem sensit quæ Cornelius Pontifex: neque vllo modo his communicandum esse, qui rebaptizarent. Vnde Dionysius, qui antea hac de re cum Carthaginensibus & orientalibus senserat, mutata sententia, ad Stephanum scribens, cum bono esse animo iubet, cum Ecclesiæ tam Asianæ q̃ Aphricanæ, mutata opinione in sententiam Romanæ sedis iam venissent.

Vsus sacrarum vestium.

STEPHANVS autem cum opere & verbis multos gentiles ad fidem Christi conuertisset, conquisitus à Gallieno, vt quidam volunt: vel ab his, qui ex Deciano edicto Christianos persequebantur, vnà cum plerisq; suorum ad martyrium rapitur. Capite enim mulctatus in Calisti cœmiterio via Appia sepelitur, quarto Nonas Augusti, cum iam ex ordinibus sacris bis mense Decembri propositis, presbyteros sex, diaconos quinque, episcopos tres creasset. Sedit annis septem, mensibus quinque, diebus duobus.

SIXTUS 2. 23

Græcus natione, patria Atheniensis, ex philosopho Christi discipulus factus est, durante adhuc Deciana & Valeriana persecutione. Hic sanctus Pontifex accusatus, quod Christi fidem contra imperatorum decreta prædicaret, captus ad Martis templum ducitur, vt aut Marti sacrificet, aut si id facere noluerit, pœnam capitis subeat, quod & factum est. Eodem verò die vna cum Sixto diaconi sex palmam martyrij promeruerunt: Agapitus, Felicissimus, Ianuarius, Magnus, Innocentius, Stephanus, sexto eidus Augusti. SIXTI corpus in cœmiterio Calisti via Appia sepultũ. Reliqui verò martyres conditi in cœmiterio Prætextati in agro Verano via Tiburtina. Idem SIXTUS in pontificatu suo, sacrorum ordinum potestatẽ bis fecit mense Decembri, vnde & presbyteros 4. diaconos 7. episcopos duos creauit. Sedit annos duos, menses decem, dies tres & viginti. Vacat sedes die. 35. Circiter annum. 68.

Eadem tẽpestate, circiter annum Christi, 256. Exorta doctrina est apud Ptolemaidẽ, quę olim Barce vocabatur, Pẽtapoleos ciuitatem, plena blasphemijs in Deum Patrem, & in Christum, quẽ summum Dei Filium esse negabat hæresiarcha Sabellius, primogenitumque omnis creaturæ, simul etiam Spiritus sancti intellectum auferens. Sabelliani hæretici. Eufeb. lib. 7 cap. 4.

Claruit temporibus Sixti PP. S. Laurentius, Hispanus natione, dignitate Leuita S. R. Ecclesiæ a Sixto ordinatus. Fuit granum frumenti verum, incendijs gloriose triumphans. Sic è catasta iudicem compellans, tortis miles conuerte partem corporis satis crematam iugiter, & fac periculũ quid tuus vulcanus ardens egerit, præfectus inuerti iubet: Tunc ille, coctum est deuora, & experimentum cape, sit crudum an assum suauius. S. Laurentij meminit D. Augustinus super Ioannẽ tract. 27. & Ambrosius officio. lib. 2. cap. 28. Extat etiam Christiani poetæ Prudentij luculentissimum poema de S. Laurentio &c. Horum omnium scripta, sanè multa & digna lectu, animus erat in hoc volumen inserere, nisi veriti fuissemus prolixitatis tædio lectorem affectum iri. S. Laurẽtius.

DIONYSIUS. 24

Monachus seu heremita, claruit temporibus Galieni: Sedit ann. 6. adijciunt alij mens. 2. dies 4. Cornelius Cornipolitanus in sua chronographica tabula, illum dicit martyrem. Vacat sedes die. 6. alij 8.

Is PP. presbyteris Ecclesias diuisit, & cœmiteria parochiasq; & diœcæses constituit. Parochia distincta.

Dionysij PP. tempore, congregatum est prouinciale concilium in Antiochia, cuius meminit Eusebius, lib. 7. cap. 23. Aggregatũ contra Pau-

Paulum Samoſetanum, cuius heretici dogma ſuperius expreſſimus.
Floruit Gregorius Neocæſar: anno 270.

25 FELIX I.

Circiter annum: 72. Romanus natione: Sedit annos quatuor, ſub Claudio & Valeria-no: Vide Euſebium 7. cap. 30. vacat ſedes di. 5.

Feſti dies instituti. IS FELIX PP. conſulens gloriæ martyrum, ſtatuit in eorum memoriam annua ſacra fieri. Sunt qui illud decretum Anacleto adſcribunt. Iam emergit, feriæ ſanctorum cur inſtitutæ ſint: Quibus paucis reſponderim. Sciendum itaq; quinq; ſuperelſe cauſas. Prima, eſt ipſa diuinæ maieſtatis collaudatio, quia enim in ipſis ſanctorum triumphantium ferijs eorum fortitudinem & ſplendorem ad memoriam reducimus, eoſq; propterea veneramur, abeſſe nequit, quin præcipue veneremur in eis ipſum Deum Opt. Max. adeoq; eius vnicum filium IESVM CHRISTVM. Altera ſanctorum inſtitutionis (Ferię ſanctorum cur institutæ.) feriarum cauſa eſt, viciſsitudinaria recompenſatio, vt videlicet in ijs (1. Corin. 13. Roman. 12.) ferijs eorum ſummam beatitudinem recolentes, illis cum ſpirituali exultatione congratulemur, prout fraterna charitas, quæ nunquam moritur, poſtulat. Tertia cauſa, eſt cõfirmatio noſtrę ſpei & fidei, qua (Colloſſ. 3.) credimus & ſperamus nos qui verè credimus in Chriſtũ, ſtatim poſt hanc temporariam mortem venire ad locum cæleſtis & æternæ beatitudinis, in quo Chriſtus cum ſanctis ſuis (noſtris confratribus) tripudiat. Quarta cauſa, eſt imitatio ſanctorum, & ad eorum virtutes & actiones pias accenſio. Ad quam ſanctorum ſequelam nos cohor-(Hebræo. 13.)tatur Paulus, dicens. Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis loquuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem. Vltima eſt cauſa, ſanctorum in eorum ferijs (Iob. 5.) imploratio: Iſtud confirmante ſcriptura, vbi ſic ſcriptũ legimus. Ad aliquẽ ſanctorũ cõuertere, ſcilicet in aduerſitate tua. Quid autẽ eſt ea conuerſio, niſi inuocatio & imploratio? At gannit apoſtaticus: Hæc ipſa & imploratio & interceſsio intelligitur de ſanctis in terra viuenti-(Obiectionis remotio)bus, qui recte poſſunt à nobis, vt apud Deum intercedant, implorari. Quibus reſpondent catholici, poſſe quidẽm vtroſq; & in terra cæloq; ſanctos implorari, & eos pro nobis intercedere: rectius tamen & efficacius eos, qui ſunt in cælo vere ſancti & beati. Nam quę, obſecro (1. Corin. 13.) cauſa eſt, quod vnus ab altero imploratur? Nonne charitas? Vtique iam vero conſtat, teſte Paulo, charitatem non excidere. Hodie certe (ô dedecus) feſtiui dies ludis, choreis, amoribus, compotationibus, aleis, pactionibus, atq; nundinis conſumuntur: plurimi fabulantur in foro, aut potant in popina. Quanq̃ hi verecundius faciant ijs, qui toto anno (maxime Dominicis diebus) nugãtur, deambulantes in templis,

plis,Cum tamen non ea de causa instituti sint,dies enim illi precibus ac diuinarum literarũ studijs dandi,imprimis sacerdotibus:hanc aũt sacerdotalẽ loquacitatem garrulã,quę fit in choro,inhibuit conciliũ Basiliẽse, sessione 21.&c.Cõstituti sunt inquã dies abs patribus in Ecclesia,quibus ab omnibus externis cerdonicis negotijs,atq; corporeis actibus abstinere iubemur,quò liberius seruire valeamus,vacemus orationibus & contẽplationibus,& quæcũq; eiusmodi sunt,quæ tunc ob æternę salutis cõmodum fiũt:iuxta illud quod scriptũ est Zachor eth ha Sabbath lecadso.Sed ille distortor ęquitatis,labefactor omnis ordinis & pulchritudinis,autor omniũ malorũ,diaboli satelles nouitius herésiarcha,quicquid Spiritus sanctus ædificat,assiduè demoliri nitẽs,etiam hanc arcẽ propè diruit.Adeò maxima pars recentiorum pseudoangelicorũ,& cęterorũ peruersorũ hominũ colluuies,sacrum hoc dierũ festorum ociũ,nõ ad orandũ,nõ ad Dei verbũ audiẽdum, non ad cætera quorum causa à S.R.E. instituta sunt,impendit: Sed ad omnifariã bonorum morũ ac Ecclesiasticæ doctrinæ corruptelã, in choreis,vt repetam,in comœdijs,in histrionibus, in cantilenis, in ludis,in compotationibus,in pompis, in spectaculis, & quibuscunq; mũdanis,carnalibus,spiritui sanctitatiq; cõtrarijs operibus,cõsumit. Huc quadrat illud Antisthenis,qui rogatus quid festum esset? dixit, ingurgitationis occasio.Quibus enim diebus plus peccatur luxu, temulẽtia,libidine,alea,rixis,pugnis,homicidijs,q̃ festis diebus? Nõne ergo meritò dãnandi sumus,qui hoc ritu Christi & sanctorũ eius solẽnitates celebramus? Sed hec ꝓlixius q̃ putarã,qui plura de hac re desiderat legat catechismũ D.Friderici Nauseę, è quo sacrosancto pœnu pauciora excerpsimus: trãseamus ad Felicẽ huius nominis primum, Exod.20.

Sedente in cathedra Petri FELICE S.R.E. Põtifice,Manes Persa,à quo Manichæi dicti,in Vineæ Zebaoth contumeliã,nouã introduxit archisectã,qua vix vlla perniciosior, vt D. Epiphanius & Augustinus cẽsent,secta vsquã comperta videtur:quę refossis Marcionistarum sepulchris tetro fœtore,maximã Christiani orbis partẽ nostra tẽpestate infecit,atq; corrupit.Manichæi, ea quæ de Christi pueritia scripta sunt aspernantur:Sanctus Mathæus & Lucas, vterq; pueritiam Christi duobus absoluunt capitibus.S.Marcus,& Ioannes (qui fuit prodromus Christi) eam rem non attigere,vnde Manichæi illis parum tribuunt,hos magni fecerunt,atq; vt paucis absoluam: Vetus testamentũ respuunt,Nouũ ex parte recipiunt.Eodẽ modo à pseudocatholicis explodũt libri Machabeorũ:Iacobi epistola, quasi stramẽtitia,ridet.Quare aũt hosce libros cachinno excipiũt? audi breuibus Achillicũ argumẽtum aduersariorũ nostrorũ.Quia(blaterant) à nobis Manichæa labes. Asylũ hæreticorum vestatum.

nobis dissentiunt,& quando Lutherus Germanicus noster Elias, huiusmodi libros ridet,& αὐτὸς ἔφα, ergo necesse est vt credatur esse verum,&c. Eadem Manichæa hæresis, externas res, tanq̃ ociosas & noxias, diabolo autori tribuit. Eadem lepra, reijcit ciuilem potestatem, Idem Manichæi, seipsos paracletos prædicarunt. In hanc Manichæorum peruersam hæresim, nostra ætate prolapsus est Thomas Monetarius, cum consectarijs asseclis. Sunt & inter recentiores Germanicos Apostaticos, Qui dicunt Christũ ex Maria nihil recepisse, sed per eam tanq̃ sol per vitrum,& tanq̃ per canalem aqua, in mundum venisse,&c. Idem Manes, antesignanus Manichæorum, arbitrij libertatem in totum tollens & auferens, non aliundè sumpsit, quàm ex astrologorum de fato falsa opinione atq; doctrina. Manichæi non vescuntur carnibus, tanq̃ de mortuis vel occisis fugerit diuina substantia, etiam oua respuentes, quasi & ipsa cum franguntur expirent, nec lacticinijs vtuntur,& prorsus abstemij, dicentes fel esse principium tenebrarum, animas auditorum suorum in electos reuolui arbitrantur, Cæteras autem animas & in pecora redire putant. Agriculturã tanq̃ plurimum homicidiorum ream dementes accusant, suisq; auditoribus ideo arbitrantur ignosci, quia prębent inde alimenta electis suis, vt diuina illa substantia in eorum ventre purgata impetret eis veniam. Itaq; ipsi electi nec in agris operantes, nec poma carpentes, nec saltem folia vlla vellentes, expectant hæc afferri vsibus suis ab auditoribus suis, viuentes de tot ac tantis secundum suam vanitatem homicidijs alienis. Nuptias condemnant, Christumq; animas, non corpora liberasse, fingunt. Baptismum aquæ nihil salutis afferre perhibent,&c. Multasq; alias eorum vanitates erroresq;, D. Augustinus, libro de hæresibus, describit. Emersit hæresis Manichæa Aureliani temporibus, circiter annum 276. Hanc labem, Cabades filius Perozi regis Persarum, persecutus est, vna cum Episcopo eorum Indagaro,&c. Manichæorum dogmata ex parte resuscitarunt nostris temporibus recentiores excucullati: Affirmantes, quòd ea Dei imago, quã D. Paulus virum appellat, sit incarnatum verbum, ipseq; adeo Iesus Christus, Filius Dei & Mariæ. Et quemlibet hominem, dum Christum induat, eandem Dei imaginem fieri: scilicet eandem (sicut ipse Osiander exponit, in suo libro, quem de imagine Dei inscripsit) specie, non numero. Item, Affirmant recentiores nostri Apostatici Manichæi & Antitassameni: Quòd concupiscentia & reliqui defectus, vt ignoratio & contemptus Dei, &c. sint originale peccatum, etiam in sanctis & baptizatis infantibus, vide Lutherũ in assertionibus contra Leonem,& passim. Melanthona in apologia confessionis Augustanæ,

ſtanæ.Et alio in loco(Lutherus in arti.per Theologos Pariſiēſes dānatis.Et Caluinus in inſtitutionum ſuarum lib. cap. 3. Philippus in locis)affirmant recentiores illi Manichæi,Omne peccatum eſſe per ſe & ſuapte natura mortale,per ſe nullum veniale.Affirmant etiam, Quòd omnia tam mala,quàm bona eueniāt ex abſoluta neceſsitate, adeoq; quòd Deus ſit non ſolū cauſa peccati permiſsiuè,ſed effectiuè etiā,idē ſtabiliuit Germanicus Elias(vt vocāt)M.Lutherus,in reſol. art.36.& in aſſertionibus:& Philippus Melanthō in annota.ad Ro. Affirmant etiam duo illi recentiores Manichæi Lutheranæ hæreſeos anteſignani:Quòd adulterium Dauidis, ſæuitia Manlij, & proditio Iudæ æquè ſint opus Dei,atque ipſa Pauli conuerſio. Melanthon in annota.ſuis in epiſtolam Pauli ad Roman. Lutherus in lib.de ſeruo arbitrio,&c.Sed nimium eſſet ſingula perſequi,tranſeamus ad reliqua.

EVTYCHIANVS I. 26

Tuſcus natione,vir ſanctitate plenus, proprijs manibus miſericors veſpillo 342.martyres ſepeliuit:Valeriani temporibus floruit: variant hic authores de illius regimine. Platina ponit an. 1.menſ. 1. di.1.Volaterranus autem an.8.menſ.10. Vacat ſedes di.8. Circiter annum 275. Euſeb. li.7. cap.7.

Extant decreta eius apud Gratianum 20.q.2.c. ſtatuimus.
Floruit Baſilius magnus,circiter annum 280.

GAIVS. 27

Dalmata natione: Sedit temporibus Diocletiani imperatoris, annos 11.menſ.4.Huius ſanctiſsimi PP.mentionem facit Euſebius, lib.7.cap.27. Vacat ſedes di.11. Circiter annum 284.

Is Gaius PP.Amiciendi vſum in Eccleſia inſtituit. Alij IGINIO Pontifici aſsignant,cum quibus me conſentire & annuere minus pœnitet,nam ſic fieri potuit,vt quod Iginius inchoauerat,Gaius ritè perfecerit,vide Polydor.lib.4.cap.7.

S.Simplicius,Fauſtinus,Beatrix,Romano nati ſanguine, adeoq; ſtēmate ſenatorio,martyrizati ſunt ſub Diocletiano,circa annū Domini 287.quorum corpora thecis reconduntur in Fuldēſi cœnobio. S.Simplici9.

S.MAVRITIVS cū tota legione Thebæorū,apud Rhodanum flumen à perſecutoribus cæſus,occubuit 10.calend.Octob.circa annos Domini 286.Sunt qui ſcribant iſtud perpetratum fuiſſe facinus in ſanctos Dei,ſedente in cathedra beato Marcello 1. S.Mauritius.

S.Criſpinus & Criſpinianus fratres, paſsi ſunt in Sueſsionenſi ciuitate Galliæ,ſub Maximiano Imperatore,agente Rictionario præſide, 8. calend. Octobreis. S.Criſpinus.

S.Demetrius apud Theſſalonicam coronam martyrij promeruit, S.Demetrius.

M paſſus

passus secundum Vsuardum 7.calend.Nouemb.secũdum Adonem verò 8. eidus Octobris.

Primus Felicianus. S.Primus & Felicianus martyres,paßi sunt in ciuitate Numentana,circa annum Domini 286. 5. eidus Iunij, &c.

28 S. MARCELLINVS.

Romanus natione, patre Proiecto,Diocletiani Dalmatæ obscuro loco nati, & Maximiani temporibus,claruit. Sedit an.9.mens. 2.di.16. Alij ponunt annos 14. menses 4. Is metu supplicij Christon negauit, in hoc Petrum clauigerum prędecessorem suum imitans, idolis in tẽplo Isidis & Vestæ sacrificauit:postea verò in Sinuessa vbi congregatis 180 Episcopis, errorem suum detexit, pœnitentiam egit,ad Ecclesiam redijt, clara voce ad patres in concessu clamans, Peccaui coram vobis,& non possum esse in ordine sacerdotum,quoniam auarus me corrupit auro: à nullo hominũ damnabilis se damnauit. Tandem martyrio coronatus cum Claudio,Cyrino & Anthonio Christifidelibus. Vacat sedes di.25.

Creauit presbyteros 4. diaconos 2. episcopos 5.

Cardinales. Idem PP.titulos 25. in vrbe constituit quasi diocæses,ad commoditatem baptismi & opportunitatem eorum, qui ad fidem ex gentibus quotidie veniebant,consultum iri & eo modo sepulturis martyrum videbat. Alij istud statutum Marcello 1. adscribunt.

Ancyranum concilium post tempora Marcellini, circiter annum 308.celebratum. Continet canones generales 24. Fuit prouinciale concilium, sed receptum in 6. synodo generali Constantinopoli in Trullo celebrata. (Ancyra ciuitas Galatiæ)

Sub Marcellino tantã Christiani persecutionem passi sunt,quantam aliàs nunquam, Platina teste. Vide Ecclesiasticam historiam, lib.8.cap.2.& 3.

29 MARCELLVS I.

Romanus natione, patre Benedicto,ex regione viæ latæ à Constantio & Galerio vsque ad Maxentium peruenit. Maxentius verò Marcellum captum impellere minis conatus est, vt & episcopatu se abdicaret,& Christianum nomen deponeret:quem vbi contemnere & deridere sua præcepta vidit, in cacabulum ad custodienda animalia publica (vt quidam volunt) statim inclusit: quo in loco nec orationes vnquam, nec ieiunia (teste Platina)prætermisit. Parochias item non secus, ac si liber esset, epistolis gubernabat. Mense autem nono captiuitatis suæ à clericis noctu è cacabulo liberatus est, qua ex re vehementius percitus ira Maxentius,

tius,sanctissimum virum in cacabulum redegit:vbi cum fœdè & incommodè habitaret,pedore & situ mortuus est,circiter annum 309. At verò Lucina,matrona Romana Christianissima,sanctissimi viri corpus via Salaria in cœmiterio Priscillæ (quam sanctissimus vir conuerterat) condidit, decimo septimo calendas Februarij. Postea autem re Christiana crescente, cacabuli domus in Ecclesiam erigitur beati Marcelli nomine, quæ etiam ætate nostra inuisitur. Marcellus autem annis quinque sedens, mensibus sex, diebus vno & viginti, ex sacris ordinibus mense Decembri habitis, presbyteros sex & viginti,diaconos duos, episcopos vnum & viginti creauit.

Ex Marcellino & Marcello quidam vnum duntaxat faciunt, ne hic quoque aliquid,piè lector,offendaris.

S.Lucia virgo Syracusana & martyr efflauit animam, transfixo gutture, circiter annum 310. cuius meminit Hermannus contractus. S. Luciæ

EVSEBIVS. 30

Græcus natione,temporibus Constantini.Sedit an.2.mens.6.di. 25. vacat sedes di.7.

Qualis esse debeat mensa episcoporum,præscripsit. Oportet episcopũ moderatis epulis contentum esse, suosq; conuiuas,pransitantes seu cœnitantes,ad comedendum & bibendum non vrgere, quin potius sobrietatis præbeat exemplum. Remoueantur ab eius conuiuio cuncta turpitudinis argumenta, non ludicra spectacula, non fatuorum stultiloquia,non scurrilium admittantur præstigia. Adsint peregrini, & pauperes & debiles, qui de mensa sacerdotali Christon benedicentes, benedictionem percipiant. Recitetur sacra lectio, subsequatur viuæ vocis exhortatio, vt non tantùm corporali cibo, imò verbi spiritualis alimento conuiuantes se refectos gratulentur,vt in omnibus honorificetur Deus per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum. Episcopale prandium.

Circa tempora EVSEBII PP. Crux Domini nostri IESV CHRISTI 5.nonas Maij inuenta est,& festum de ea celebrãdum, non sine rationabilibus causis, institutum. Est enim crux Christi multipliciter figurata in Lege, videlicet in ligno vitæ in paradiso, Geneseos 1. capite, quia in ligno crucis pependit Christus qui est vita æterna, Ioan.14. In baculo Iacob, quo transiuit Iordanem, Genesis 33. dicens, In baculo meo transiui Iordanem istum,quia per virtutem crucis & memoriam passionis Christi, transimus omnem amaritudinem huius mundi: etiam lignum missum in Marath, aquas dulcorauit amaras, Exodi 15. In virga aurea quæ Inuentionis crucis festũ.

Hester 1. humana natura introduxit ad Assuerum regem, Hester 4. Deum scilicet, sine cuius extensione ad eius conspectum nullus hominum potest ingredi. In virga Moysi, Exodi 14. cuius virtute Pharao cum exercitu in mari Erithreo submersus est. Item, in virga Dauid, qua percussit superbum Goliath, 1. Reg. 17. Hæc crux baculus Dei est, dicente Esaia cap. 30. A voce Domini pauebit Assur, qui diabolus est. Hæc virga Moysi, quæ serpentes deuorauit, Exod. 7. Iam verò quis ignorat virtutem crucis dæmones subuertere? Hinc D. Chrysostomus ait, Vbicunque dæmones signum crucis viderint territi fugiunt, timentes baculum quo plagam acceperunt. Et Origenes. Tanta est virtus crucis quòd si in mente fideliter habeatur, nulla libido, nulla peccati macula poterit præualere, sed continuo ad memoriam eius totius peccati & mortis fugit exercitus, nullus dæmonum prope stare poterit, videns gladium in quo deiectus est. Et ergo Ecclesia canit, Vexilla regis prodeunt fulget crucis mysterium. Et Paulus ad Collossenses secundo capite, inquit, Spolians principatus & potestates traduxit illos confidenter, palam triumphans in semetipso, sub cuius vexillo quique strenui milites brauium crucis apprehenderunt.

Virtus crucis.

Quis non rapitur ad spem salutis, dum eius in cruce considerat corporis dispositionem, videlicet caput inclinatum ad osculandum, brachia extensa ad amplexandū, manus apertas ad largiendū, latus apertum ad diligendū, pedes affixos ad nobiscum commanendū, totiusq; corporis extensionē, ad se totum nobis impendendū? Sic extendente Moyse manus in modum crucis, Israël Amalech superat. In hoc signo crucis, vicit Constantinus Magnus Mapentium, quod tam Hieronymus, quàm Ambrosius libro 9. cap. Eiusdem, veridicum esse autumant. Hæc crux iacentium erectio, stantium firmamentum, baculus debilium, pastorum virga, conuertentium manuductio. Hæc sanitatem restituit, benedictionem impendit, discernit à perfidis, liberat à periculis, hostes expellit, victores constituit. Crux mysterium fidei, clauis scientiæ, forma iustitiæ, magnificentia regum, gloria sacerdotum, inopum sustentatio, pauperum consolatio, cæcorum dux, claudorum baculus, spes desperatorum, & secundum Innocentium 3. resurrectio mortuorum. Quæ omnia nobis ostendit & inculcat lignea illa structura S. crucis, vbi enim Christi signum & forma, ibi ipsius recordatio.

Exod. 17.

Eutropius lib 11. chronicarum.

31 MELCHIADES, alij, MILTIADES.

Circiter annum 314.

Apher natione & martyr: Sedit annos 3. adijciunt alij annum 1. menses 7. dies 9.

Is san-

Is sanctus PP. ieiuniũ prohibuit die Dominico & Iouis, quia sa cri dies ethnicis. Quód veró Dominico die ieiunandũ non sit, docet Augustinus factum & institutum contra impium dogma Manichęi, qui Dominicũ diem suis sectatoribus ieiunandum præscripserit. Hęc D. Augustinus, epistol. 86. ad Casulanum non ita longè à fine. Quare Dominico die ieiunare prohibitum.

Sub Miltiade PP. cõfluxit concilium Neocæsariense, cuius meminit Gratianus dist. 16. Est veró ciuitas Neocæsariensis clara nũc Trapezus, imperij Turcici sedes, ante captam Constantinopolim, in prouincia Capadociæ seu Ponto. Hanc patriam habuit Georgius Trapezuntius, magnus in omnibus illustribus doctrinis homo: qui ad extremam senectutem omnium & Græcorum & Latinarum literarum oblitus est: Trapezunti & Pharnaciæ imminent Tibareni, & Chaldæi & Sanni, & minor Harmenia, & Appaitæ, qui prius Cercitæ dicebantur, &c. ad institutum. Neocæsaria ciuitas. Strabo li. 11. P. Mela li. 1.

Quatuor coronati Romę passi sunt sub Diocletiano imperatore, & tempore Melchiadis PP. cuius etiam tempore floruit Sanctus Sebastianus. 4. coronati. S. Sebastia.

SYLVESTER I. 32

Romanus natione, patre Ruffino, Constantini temporibus fuit, anno ab vrbe condita millesimo nonagesimo primo: Domini veró anno 339. Sub hoc tandem principe Christiani à tyrannis antea oppresi, nonnihil respirarunt. Nam corporis ac animi dotibus cum optimo quoque principe comparari Constantinus potuit: militaris enim gloriæ appetentissimus fuit, in bello fortunatus. Pacem petentibus libenter dedit: liberalibus studijs, vbi per ocium licebat, delectabatur: liberalitate & gratia omnium beneuolentiam sibi comparabat. Multas leges rogauit ex æquo & bono, superfluas abscidit, seueras nimium emendauit. Vrbem in Byzantij ruinis de nomine suo condens, eam Romæ magnitudine ædificiorum parem facere conatus, secundam Romam vocauit, vt literæ sub equestri eius statua indicabant. Is igitur tantus princeps omnia circumspiciens, omnia considerans, vbi honestatem Christianæ religionis intellexit, qua seruare parsimoniam, paupertate gaudere, mansuetudinem colere, paci studere, simplicitate & constantia vti iubemur, eam ita cõplexus est, vt iturus ad bellũ, non alio q̃ crucis signo vteretur. Quod sereno cęlo dũ in Maxentiũ tyrannũ copias mouet, & viderat & adorauerat, astantesq; angelos audierat dicẽtes: Constantine ἐν τῷ τῷ νίκα, quod etiã fecit, ac tyrãnos omnes à ceruicibus populi Romani Christianorumq; omnium depulit, maximè veró Liciniũ, qui Christianos & domo & militia pulsos, aut religione, aut carcere Constantinus Magnus.

(vt dixi) ad mortem vsq; macerabat, aut leonibus obijciebat, aut suspensos tanq̃ porcos membratim lacerans dissipabat. Tantum itaque principem ac tam humanum SYLVESTER nactus, relicto Soracte monte, quo à tyrannis sæuientibus relegatus fuerat, vel (vt quidam volunt) secesserat, Romam veniens, Constantinum erga Christianos bene animatum, promptiorem ad optimè de Ecclesia Dei promerendum reddidit. Nam & pontificibus diadema aureum (vt Platina scribit) distinctum gēmis concedebat: quod quidem SYLVESTER aspernatus, tanq̃ religioso capiti minime conueniens, phrygia mitra & candida tantummodo contentus fuit. Permotus autem Constantinus sanctitate Syluestri subsidio charitatiuo honorificentius illum donauit, Palatium suum & circumiacentia subijciens. Hinc iam apparet, Bona temporalia S. R. E. vnde venerint. Illa autem rerum terrenarum (inquit FICINVS) dominatio & administratio, pontificibus accessoria est tanq̃ accidens, non inquantum vicarij Dei, sed in quantum Constantini Cæsaris hæredes sunt, hæc Ficinus. Constãtini mentionē facit D. Ambrosius, hic, vt est de obitu Theodosij Imperatoris, præsente Honorio asserit Constantino baptismatis gratiam in vltimis diebus contigisse. Et quod primus Imperatorum crediderit, post se hæreditatem fidei principibus derelinquens. A Constantino autem vsq; ad Theodosij tempus, Imperatores quinque fuerunt: à tempore verò Constantini vsq; ad id tempus quo VALLA vixit, ferè 70. interuenerunt: Notiorem ergo existimo historiam S. Ambrosij, quàm Vallæ, &c.

Bona tēporalia Ecclesiæ vnde.

Donatio Syluestriana.

Hanc Donationē Syluestrianā auxit CAROLVS MAGNVS, adijciens Corsicam insulam, & quicquid inter Lucam & Parmam interiacet. Accessit his, Mechtildis comitissæ ditio, quæ moriens, ex testamento legauit S. R. E. quicquid à Pisia amne, & S. Quirico agri Senensis, vsque ad Ceperanum inter Apenninum & mare interiacet. De restitutione alpium Cocciarum S. R. E. per Aribertum facta, vide P. Diaconum lib. 6. cap. 10. Quam eandem donationem Luithprandus confirmauit. Iam & Beneuentanus tandem ducatus accessit. Et postremò vtraq; Sicilia, vltrò accessit ad ius S. R. E. sicut & nostra ætate, feudum à Philippo (Caroli 5. filio) Christianissimo rege, recognoscitur. Hac nostra tempestate Pontificiæ ditionis est, Picenus ager, hodie vulgo Marchia Anconitana dicta. Vmbria Hetruriæ contermina, hodie ducatus Spoletanus, vmbria dicta quod hymbribus superfuerit. Flaminia, Aemilia, Latium, cum multo maxima Tusciæ parte. HAEC autem hæreditas à maioribus S. R. E. Pontificibus relicta, in pios vsus distribuenda est, aliàs nullum adminiculum

lum præstant diuitiæ ad vitam æternam, inquit D. Ambrosius offi-cio.lib.2.cap.4. Cæterùm diuitiæ si non magni æstimantur, nihil re pugnant Christi doctrinæ, aut summæ in eadem perfectioni. Conci-lium Romanum sub SYLVESTRO habitum, Canone 4. Reddi-tus S. R. E. in quatuor partes diuidit. Quarum Prima, Cedit Ponti-fici ad sui sustentationem: Episcopus enim ob iura hospitalitatis tem-poralia possidet. Et alio in loco Paulus. Hospitalitatem, inquit, nolite obliuisci: per hanc enim placuerũt quidam angelis hospitio receptis. Sed hospitalitatem hic non intellige conuiuia & commessationes (a-pud quas interdum nec lex Orgia, nec Faunia, nec Licinia locum ha bent) seu gastrimargiam, sed philoxeniam requirit Dominus. Hospi talitas est, cum vltrò & miti animo inducti, nullo nostro commodo illecti, hospites pauperes (non gelasinos, non συνδαίτους seu γελωτοποιοὺς) recipimus, Græcis ξενία dicta. Hospitalitatis meminit D. Augustinus contra hæres.5. dicens. Disce Christiane, sine discretione exhibere hospitalitatem, ne fortè cui domum clauseris, cui humanitatem nega ueris, ipse sit Christus. Et idem ibidem. Obsecutus Loth angelis tanq̃ peregrinis, consuetudine hospitalitatis liberatus à periculo ciuitatis, & temporale euasit incendium, & æternum consecutus est præmium. Ille homo dicitur esse humanus, qui exhibet se esse hominem, & ma-ximè hospitio suscipit hominem. Atq; vt paucis dicam: Tanta est a-pud Deum hospitalitatis gratia, vt ne potus quidem aquæ frigidæ à præmijs remunerationis immunis sit: cum scriptum sit, Quicquid fe-ceritis minimo in nomine meo, hoc mihi factum fuerit, quoniam in paupere Christus est, sicut ipse ait, Hospes fui & non me recepistis.

Facultates S. R. E. vt di stribuendæ.

1.

Hebræo. 13.

Hospitali-tas quid.

Id est, scitos moriones.

Humanus quis.

Matth. 25.

ALTERA PARS: Presbyteris, diaconis, & omni clero, debe-tur. Aequum est enim boui trituranti pabulum præbeatur, ob neces sitatem scilicet rerum ingruentium, & incumbentium onerum. Ne-scitis (inquit Paulus) quoniam qui in sacrario operantur, de sacrario cibum habent? Et qui altario deseruiunt, de altario participãt? Atque iterum. Et qui altari assistunt immolatorum participes sunt? Ita & Dominus ordinauit his qui Euangelion annunciant, de Euangelio viuere. Quis militat sine stipendijs vnquam? quis plantat vineam, & de fructibus eius non edit? quis pascit gregẽ, & de lacte gregis non vescitur? Præterea, vt sacra Geneseos refert historia. Ioseph principa tum Aegypti consecutus, subiecit totam terram regionis illius Pha-raoni, pro venditione frumenti facta eius incolis: præter terram sacer dotũ, quæ à rege tradita fuerat eis. Quibus & statuta cibaria ex hor-reis publicis præbebantur, & idcirco non sunt compulsi vendere pos sessiones suas. Ecce sacerdotibus Aegyptijs idolorum cultui manci

2.

1. Corint. 9.

Genes. 47.

patis,& terra à rege tradita fuit:& alimenta quotidiana regia erant authoritate ipsis constituta. Quoniam naturalis lex dictabat etiam eis qui verum ignorabāt Deum:sacerdotibus & ministris sacrorum esse subministrandam moderatam refectionem.Nōne igitur & veri Dei sacerdotibus,officium Ecclesiasticum exoluentibus atque altaris ministerium:etiam debetur eodem iure subsidium victus? Rursum, in libro Numeri,Legitur Dominus dixisse ad Aharon.Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum. Omnia quæ sanctificantur à filijs Israhel,tibi tradidi & filijs tuis,pro officio sacerdotali legitima sempiterna. Quibus verbis significat Dominus se tradidisse oblationes filiorum Israël,ipsi Aharō & filijs eius propter officium sacerdotale, quod exhibebatur ab eis tabernaculo Domini. Atqui nouæ legis sacerdotes, longe dignius & excellentius officium exhibent altari & templo Domini,quàm fecerint veteris legis sacerdotes. Pro illo igitur officio sacerdotali, æquissimo iure subministranda sunt & ipsis necessaria vitæ temporalis subsidia. Non abs re igitur seruator noster de decimis sanctiones approbauit,voluit enim,vt qui Euangelion annūtiarent,ex Euangelio viuerent:Sed vt Christus decimas non repudiauit,specialiter enim vsibus sacerdotum deputauit, Malach.3.Sic nec ex decimis opes priuatim congeri voluit, cum auaritia idolorum seruitus sit.De decimis dandis, extat decretum Rothomagensis concilij. Item,decretum Moguntini concilij. Qualiter distribuendæ oblationes fidelium,vide decret.concil.Bracarensis can. 39.&c.De Rutenorum decimis commentaria ædidit clarissimus vir Sigismundus Liberus,Baro in Neyperg, & Guetenhag: Fisci Austriaci præfectus,in hæc verba prorumpens. Vuolodimerus mysterijs viuifici lauacri initiatus, decimas vnà cum Leone Metropolita, de omnibus rebus dandas instituit propter pauperes sepeliendos: iuuandos etiam eos,qui numerosam haberent sobolem, quibusue bona igni absumpta essent, ac subleuandam denique miserorum omnium inopiam,monasteriorum pauperumque ecclesias,& in primis propter defunctorum & viuorum refrigerium,&c. Verùm hæc prolixius fortassis prosequimur,quàm methodi ratio ferat.

Numeri 18.

Decimę.

Decimę Rutenorū propter quid institutæ.

3. TERTIA PARS cedat templorum & Ecclesiarū reparationi.

QVARTAM PARTEM habeant pauperes,infirmi, peregrini,& captiui:cuius meminit D. Ambrosius.Vasa sacra(ait)in redemptionem captiuorum possident Ecclesiam.Et Cyrillus nihil thesaurorum Ecclesiæ reseruauit,sed pauperibus distribuit omneis. Paulinus cum omnia pauperibus erogasset,seipsum deniq; vendidit,vt viduæ cuiusdam pauperculæ filium captiuum,à barbaris hostibus redimeret,ma-

ret, matriq; suæ baculū senectutis redderet. Magna vis eleemosynæ. ἔλαιον,
Siquidem nutritores suos multa cū fiducia in regnū cælorū introdu Græcis o-
cit. Extēde igitur manus tuas (Beatißime pater, qui S. R. Ecclesiæ pre leum: ἔλεος
esse & prodesse cupis) non tantùm in cælū, sed etiam in manus paupe misericor
rum: Si manum in pauperis manus tetenderis, ipsum cęli verticē at- dia.
tigisti, nam qui illic sedet, eleemosynam accipit. Nihil ita gratum est Apostrophe. ad Paulum 4. PP.
Deo quàm eleemosyna. Quare sacerdotes antiquo ritu inūgebantur
oleo, vt & sacerdotium à misericordia inchoaret. Reges etiam vnge-
bātur oleo. Omniū misereri debes, cū posśis omnia. Hoc ipsum enim
misereri dico, proprium est principatui. Cogita, obsecro, quòd mun-
dus per misericordiam constitutus sit, & imitare Dominum. Miseri-
cordia hominis in proximū suum, Domini autem in omnes homines
extenditur. Quamuis dominus sis plurimæ terræ, & infinitos ruris
cubitos posśideas, mortuus ad tres aut quatuor redigeris. Nihil iu-
uant opes diuitem moriētem, quas secum auferre nequit: & hoc dun-
taxat accepit lucri, quòd cum viueret beati titulum apud adulatores
habuerit. Misertus non es, misericordiam non consequeris: non ape-
ruisti domum, excluderis regno: non dedisti panem esurienti, non ac-
cipies vitam æternam: cum scriptum sit, Sicut vultis vt faciant vo- Lucæ. 6.
bis homines, vos etiam eis similiter facite. Et Apostolus. Qui bene fa
cit ex Deo est. Dum nauigas secundis ventis, manum porrige naufra
go, & dū bene habitus ac diues es, male affectum iuuato. Opes nō ab
sumuntur beneficentia: Dando enim accipitur, & spargendo colligi-
tur; Et si creatorem irritat qui in pauperem fuerit contumeliosus,
ergo ille qui colit opus, honorat opificem. Si per inopiā (inquit) Chry
sostomus) nihil tibi sit quod offeras ægroto, teipsum ei exhibe, &
verborum cōsolationem offer. Sic enim etiam audies olim, infirmus
eram, & visitastis me. En caro tua, en frater tuus, habes materiam
exercendæ pietatis, nihil est quod te excusare poterit. Sed qui-
bus dandum sit, audi D. Hieronymum cum seruatore docentem
& dicentem. Vade, vende omnia tua, & da pauperibus, Pau- Pauper quis
per non vtique, qui mendicitate & squalore coopertus est, & ta-
men non recedit à vitijs, sed qui bonus est. &c. Turpe non est
esse pauperem, sed non æquo animo ferre paupertatem: ad propo-
situm. Misericordes in pauperes extiterunt (beatißime Paule)
Gregorius, Iudocus, Sixtus, & omnis sanctorum Pontificum al-
bus, insistas tu illorum vestigijs, imò etiam Christi. Non ordinauit
Deus his qui Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præsunt, de huius Eccle-
siæ bonis quærere delitias aut ornatum, sed viuere, ait Paulus 1.
Corint. 9. Sint alimenta corporis hæc bona, non irritamenta gulæ,
aut

aut incentiua libidinis, sint quibus tegamur, non quibus ornemur, &c. Valeant igitur recentiores impudentes cataphronetæ & Momi, Nycticoraces lucifugæ, infelices Verpi Veneris sandalium calumniantes: valeant, inquam, scripturarum deprauatores & raptores, qui S. R. E. suę olim matri, dente plus quàm Theonino detrahunt, & furiose in illius donationem inuolant. Ad reliqua Syluestriana instituta progrediamur.

Hoc est, contemptores.

Feriarũ institutio.

Idem PP. Syluester, vanorum deorum memoriam abhorrens, dies hebdomadæ qui antea nominibus, Solis, Lunæ, Martis, Mercurij, Iouis, Veneris, & Saturni dicebantur, ad numerum feriarum digessit: Feriarum meminit Betleemites (Hedibiæ q. 4.) in hæc verba prorumpens. Vna sabbati dies Domina intelligenda est: quia omnis hebdomada in sabbatum, & in primam & secundam, & tertiam, & quartam, & quintam, & sextàm sabbati diuiditur, quam ethnici idolorum elementorum nominibus appellabant, hæc ille. Aliàs Feriæ sunt dies festi, à feriendis victimis (vt dicit Pompeius) dictæ.

Quo tempore SYLVESTER eius nominis primus, Apostolicam tenuit Sedem, Arrianistæ (Trinitarij hæretici) stygijs sese extulere vndis, circiter annum Christi 324. Barptolomæus Carranza, scribit hanc hæresim tempore Iulij 1. inualuisse. Diuersas substantias Patris & Filij & Spiritus sancti asserunt, minorē Filium Patre, Spiritum quoq; sanctum minorē Patre & Filio, ad suā perniciē finxerunt. Filium Dei docuerunt iuxta perfectißimam naturam fuisse creaturam Arrianistæ: Et perfecto nullum aliud est verbum, ex quo pestilentiores hæreses sunt exortæ, quàm ex verbo, SVM. Hinc enim Arrij vox illa erat, quando non erat, inde Sabellij error, inde Macedonij in Spiritum sanctū blasphemia, per quos pestifera illa bestia, quæ per Arrium primum quasi de inferis caput extulit, triformis apparuit, vt aliorum multorum hæreticorum insaniam prętercam, qui per solum verbum SVM, fuere seducti. Id verum esse comperiet, qui antiquorum historias euoluere voluerit. Is Arrius in Alexandria (teste D. Hieronymo) scintilla fuit, sed non in herbis necata hæresis, mirum in modum proserpsit: non solùm Orientis sed & Occidentis pariter turbans Ecclesias: Durauit plus 100. annis. Tandem hæreseos prodromus Arrius, diuino supplicio Bisantij crepuit, (nullum enim flagitium Deus sinit impunitum) cuius intestina, credo in portentum, defluxerunt in latrinam, vt significaretur sæculis præcipitantibus Mahometistas lunigeros (Arrij proluuiem fœdißimam) ibi regnaturos esse. De Arrij obitu, Ambrosius de fide lib. 1. cap. 9. sic scribit. Crepuit enim Arrius, sicut de Iuda Petrus Apostolus dixit.

Arriana fax & triformis bestia pestifera.

Verbũ est, plurimos seducit.

Euseb. li. 10. cap. 12. Eccl. histor.

Quia

Quia possedit agrum de mercede iniquitatis. Non est fortuita mors Actor. 1.
vbi in sacrilegio pari pœnę parile processit exemplum, vt idem sub-
irent supplicium qui eundem Dominum negauerũt, & qui eundem
Dominum prodiderunt, hactenus Ambrosius. Placet referre de Ar-
rianistis historiolam, nostris recentioribus Arrianis in confusionem:
Deuterius episcopus Arrianorum, baptizans quendã Bisantij nomi-
ne Barbam, dum contra regulam fidei minorem Patre Filiũ & Spiri
tum sanctũ asserens, diceret, Baptizo te Barbas in nomine Patris per
Filiũ in Spiritu sancto, subito aqua disparuit, &c̃. Arrianam hæresim Recẽtiores
nostris tẽporibus resuscitauit Frãciscus Stãcarus, cõtra Andreã Mus- Arrianistæ.
culũ Francfordiẽsem (cis viadrũ) concionatorem, scribens Christum
iustificasse genus humanum iuxta solam humanam naturam, &c̃.
Reliquit hæresiarcha Arrius se EVNOMIANVM corpore & ani-
ma verè lęprosum, dicebat: Per omnia dissimilem Filiũ Patri. Idem Arrij tradux
Eunomianus affirmat: Quòd sola incredulitas sit peccatum, & nul-
lum esse aliud peccatum prętcrea: hunc Eunomiani articulum resus- Recẽtiores
citarunt nostra tempestate Lutherus (in libro de libertate Christia- Eunomiani
na) & Melanthon, in annotat. in Ioannem cap. 16. &c̃. contra Euno-
mianũ scripsit Basilius & Gregorius Nazianzenus. HVNC Euno-
mianũ subsequuti Macedoniani hęretici, Arrianizarũt similem qui-
dem Filium Patri per omnia, sanctum verò Spiritum cum Patre & Macedoniani.
Filio nihil habere commune, & per hoc negabãt Spiritum sanctum
esse Deum. Ruff. 1. cap. 25. &c̃.

Sub SYLVESTRO I. Pontifice Romano, Nicænum conci- Concilium
lium (Episcoporum 318.) congregatum est, in quo Arriana mon- Nicænum & principale.
struosissima hydra, anathemate percussa est. Quantæ verò authori-
tatis fuerit hæc sancta synodus, testantur scripta Gratiani (distinctio-
ne 15.) cuius dogmata quasi Euangelica recepta sunt: Item, Theo- C. de sum.
dosij primi, & Valentiniani principum commendationes. tri. lib. 1. paragrapho 1.

Concilium prouinciale Elibertinũ Hispaniæ circa Syluestri I. PP.
& Nicæni concilij tempora celebratum, cui interfuerũt 19. episcopi.

Eodem tempore, concilium prouinciale Arelatense 1. & 2. in Gal-
lijs celebratum. Item, Carthagenense 1.

Idem SYLVESTER PP. rogatu Constantini, diuo Petro Apo- F. Vincula
stolo constituit celebritatem, quæ ad vincula nuncupatur. Petri.

Floruit circa hæc tempora, Athanasius Alexandrinus, anno 334.

Claruit L. Firmianus, anno 320.

Emicuit Methodius, Tyri episcopus, anno 330.

S. Maximini potẽtissima vetustissimaq; Benedictinæ professionis Abbatia
Monachorũ Abbatia, extra vrbis Treuericę nigrã vel Martiã portã Treuerica S. Maximini.

in ipso

catione, vt personam Trinitatis diuinæ significet. Hæc de Flaccio, P. Melanthon, in sua epistola ad Bar bensem concionatorem M. Vuarnerum.

LIBERIVS.

Romanus natione, temporibus Constantij, filij Constãtini magni relegatus est in exilium istud procurante Constantio, quoniam hære si Arrianæ nullo modo consentire voluit: Sedit ann. 6. mens. 3. 35.

Sub illo, irrupit in vineam Zebaoth, Aetius hæresiarcha. Dicebat nullum peccatum quantumlibet graue imputari homini haben ti fidem, Recruduit illa hæresis nostra tẽpestate, à Luthero excuculla to euocata è stygijs vndis, contra id quod scriptum est Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum cælorum. Et 1. Ioan. 2. Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare. Et alio in loco Dominus. Mandatũ nouum do vobis, vt diligatis vos inuicem, sicut ego dilexi vos. Et Paulus Roman. 8. Si compatimur, & conglorificemur. Item Christus Luc. 9. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucẽ suã quo tidie, & sequatur me. Adhæc Paulus, 2. Timoth. 2. Si commortui sumus conuiuemus. Et Roman. 8. Si spiritu facta carnis mortificaueri tis, viuetis. Et idem. Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Et ad Philippenses tertio capite: Nostra conuersatio est in cælis. Pręterea ad Ephesios 2. capite. Conse dere (inquit Paulus) fecit nos in cælestibus, &c. Ex his facile colligi tur nulli hominum sufficere solam fidem, nisi ipsemet per Spiritum sanctum renascatur, ambulet in præceptis Dei: Operetur, patiatur, crucem post Christon portet, Moriatur peccatis, Resurgat, ascendat in cælum: sedeat ad dexteram.

Aetiani Solifidenses hæretici.

Ioan. 3.

Obijcit Solifidensis.

Fides sine dilectione informis est, & inanis.

Lutherus Germanicus Elias, in præfat. cõmenta. ad Galat. sic ait. Iustitia fidei est, nihil prorsus agere: sed solum scire, & credere, quo'd Christus abierit ad Patrem, & non videatur amplius. Item super illo: Ego per legem legi mortuus sum. Ex his satis (inquit) intelligi potest, hic nihil aliud oportere agi quàm audire sic gesta esse, & indubitata fide apprehendere, eaq; verè est formata fides. Item super illo: Et nos in Christum Iesum credimus. Hic (inquit) nihil te moueat impia glossa sophistarum, qui dicunt fidem tum demum iustificare, si accesserit charitas & bona opera. Hæc ergo quando Lutherus testatur, & αὐτὸς ἔφα, necesse est, vt credatur esse verum, Solam fidem charitate cassam, iustificare.

Respondet Catholicus.

Fides dilectione formata est Christiana.

Primum Luthericum cauillum conculcatur.1.Ioan.2.vbi Ioãnes loquitur.Filioli nemo vos seducat:Qui facit iustitiam iustus est,sicut & ille iustus est.Altero cauillo reluctatur Paulus,ad Romanos 2.capite.Non auditores,inquit,legis iusti sunt apud Deum , sed factores legis iustificabuntur.Vltimum Lutheri cauillum lacerat Paulus, ad Galat.5.cap.dicens.In Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium:Sed fides, quæ per charitatem operatur.

Hæc ergo quando Paulus (vas electionis & fortis fidei agonista) testatur,& αὐτοὶ ἴσα, necesse est, vt credatur Apostolum Christi vera dixisse.Quis igitur,non censeat,lõgè iustius & securius credendũ esse Paulo Christi Apostolo, quàm Luthero hæretico, manifesto Ecclesiæ desertori & hosti? An potest quisquam tam cæcus & vecors esse, vt existimet,aut dicere ausit, plus credendum hic esse Luthero veræ fidei Blasphematori,sine omni & scriptura & ratione , inaniter stulta præcipitatione garrienti,& contra totius Ecclesiæ communem sensum & sententiã,fidei detrahenti:quàm ipsi Paulo summæ veritatis Apostolo,& Ecclesiæ Christi,quam non vane columnam & basim veritatis vocat Apostolus,Christi vas electum? Cæterùm dogma de sola fide, tam aperte confutatum est iam pridem à plærisque alijs huiusmodi sectarum aduersarijs, adeo validè ac copiose omnia eorum effugia occluduntur & confutantur , vt fortius aut certius de falsitate sua,& de crimine falsi,quo B.Pauli & verba & sensum corrũpunt ac deprauãt,cõuinci non possint, Progrediamur ergo vlterius.

Conciliabulum hæreticorum. Hac tempastate concilium prophanum in Nicæa Thraciæ coijt: Inchoatum ab hæreticis contra S. Athanasium.

Concilium Laodicense in fine LIBERII PP.celebratum,circiter annum Domini 364.habent alij 354.

36 FELIX 2.

Anno 359. alij 370. Romanus natione,à Constantio martyrio coronatus , verè felix & nomine & corona:Sedit an.1. mens.3.

Epistola S. Athanasij ad Felicem PP. Extat Epistola, quam Sanctus Athanasius & vniuersi Aegyptiorum Thebaidorum & Lybiorum episcopi, in sancta Alexandrina Synodo congregati, scripserunt ad Felicem 2.PP. quam libuit adijcere.Ideo (scripserunt)pater beatisime. Quia semper antecessores nostri & nos, à vestra Apostolica sancta sede auxilium hausimus, & nostri vos habere curam nouimus , præfatam Apostolicam &

sum-

summã experimus iuxta canonum decreta, sedem, vt inde auxiliũ ca piamus, vnde prędecessores nostri ordinationes & dogmata atq; sub leuationes receperunt. Ad eam quoq; quasi ad matrem recurrimus, vt eius vberibus nutriamur. Quoniam non leuibus nos inimici nostri implicuerunt, & quotidie facere moliuntur affectionibus, & apprehendere ac feris nos constringere minantur, nisi eorum consentiamus erroribus. Quod nequaq̃ vobis inconsultis agere præsumimus, Canonibus quippe iubentibus, abs Ro. Pontifice nos de maioribus causis nihil debere decernere. Et infra. Nõ despexit Deus preces cum lachrymis sibi oblatas seruorum suorum. Sed ob id vos prædecessoresq; vestros Apostolicos videlicet pręsules, in summitatis arce constituit, omniumque Ecclesiarum curam habere præcepit, vt nobis succurratis, nosq; tuẽtes, cui omne episcoporum iudicium est cõmissum, liberare ab hostibus nostris non negligatis. Nam scimus in Nicæa magna synodo 318. episcoporum, ab omnibus concorditer esse roboratum, Non debere absq; R. Pontificis sententia concilia celebrari, nec episcopos damnari. ITE nũc Apostatici, & cum Luthero vestro Sedem Apostolicam diutius criminamini, atq; horrendo furore dicite, Ipsam Sedem bestiæ negamus, queadmodum Lutherus in libro de captiuitate Babylonica turiliter blaterat: Qui liber, omnium quos cõscripsit excucullatus, est perniciosissimus, & maxime exitialis, flammisq; & sulphure dignus: quòd in eo, omniũ prauorum dogmatum sit teterrima colluuies, & tot fermè errata quot sententiæ. Debacchatur siquidem in eo in omnem ordinem Ecclesiasticum tartarea rabie, & in sanctissima Ecclesię sacramenta, sacrosanctasq; cõstitutiones summorũ pontificũ & generalium cõciliorum: nõ ratione aut authoritate graui fultus, sed sola furia sathanica armatus: vt mirum profectò videri debeat: post æditionem illius libri quempiam voluisse Luthero adhærere, & in eius verba iurare. Ita totus ibi in confusissima confusione sua arreptitius est, & planè insanit, &c. Nolo nunc plura referre, ne longius digrediar à proposito. *Qualis sit liber Lutheri de captiuitate Babylonica inscriptus*

S. Ioannes & Paulus martyres, domestici Constantiæ filiæ Constantini magni, Romæ passi sunt 7. calend. Iulij, Anno Domini 363. *S. Ioannes & Paulus.*

S. Gordianus martyr, passus est circiter annum Domini 360. 6. idus May.

DAMASVS. 37

Hispanus natione, patre Antonio, Iuliani temporibus fuit: Vir multæ memoriæ, ingentis facundiæ, in amicos liberalis, prouincialibus iustissimus. Sedit annos (vt Platina tradit) 19. menses 3. *Circiter annum 370.*

 dies

dies 11. Is Damasus PP. vbi ex sacris ordinibus quinquies habitis, presbyteros vnum & 30. diaconos 11. episcopos 62. creasset, moritur ac sepelitur via Ardeatina cum matre & sorore in basilica à se condita tertio eidus Decembris: Vacat sedes di. 21.

Damaso cohabitauit D. Hieronymus in adolescentia sua, veluti notarius.

Idem PP. primus, Hieronymi scriptis authoritatē dedit, cū prius 70. interpretum scripta tantummodo in pretio essent.

Idem sanctus pontifex, adulterij infamatus, de obiectis sibi criminibus publico concilio causam dixit sese purgans, & Concordius atq; Calistus diaconi falsi accusatores damnati ac reiecti ab Ecclesia, &c.

Circa hæc tempora concilium Constantinopoli habitum 150. Patrum, cōtra Macedonium, cuius supra meminimus: celebratum temporibus Gratiani & Theodosij, & Cyrilli Hierosolymitani: Est vnū ex 4. principalibus concilijs, & quidem proximum post Nicænum. Damasi autoritatem sequuta est prima illa Constantinopolitana Synodus.

Concilium principale.

Sub eodem Damaso, celebratum concilium Valentinum, triginta episcoporum.

Aquileia.

Celebratū etiam hac tēpestate Concilium Aquileiēse. Aquileia Latina olim colonia, euersa denuo, nec alio hodie insignis magis, quàm tēplo, religione & memoria sanctorū hominū, tum & salubribus pia culis vndiq; mortalibus illuc concursantibus, & Patriarchatus titulo celebris.

Cantus Ecclesiasticus.

Idē S. confessor DAMASVS multa laude dignus, adiutus peritorum virorum studijs, choros cantātium ordinauit in Ecclesia. Cantus Ecclesiastici antiquitas ostenditur Philonis & Plinij testimonio, vide Eccle. histo. lib. 2. cap. 17. Derisores ac impugnatores impugnat & prostrauit Campensis Eccle. Hierarch. lib. 1. cap. 6.

Extat epistola Damasi ad Orientis episcopos de damnatione hæreticorum.

Apollinaristæ hæretici.

Hac tempestate, circiter annum 378, regnante Valentiniano, Apollinaris Laodicenus (à quo Apollinaristæ) irrepsit in orbem. Dogmatizat iste hæreticus: Christon corpus tantùm sine anima suscepisse. Multa nugatur de resurrectione & lege Mosaica. Christi diuinitatis & carnis naturam vnam esse docuit. Theodorus Antiochenæ Ecclesiæ presbyter, vir morum honestate conspicuus, scientia clarus, & lingua disertus, aduersus Apollinaristas & Anomeos 15. de incarnatione Domini composuit libros. De hac hæresi, vide Hist. Trip. 9. cap. 3.

Florue-

Floruerunt.

Gregorius Nazianzenus, anno 384.

Gregorius Nissenus, anno 380.

Ioannes Ephraimus Syrus, anno 382.

Hilarius Pictaui. anno 371.

Eutropius, anno 370

S. Mariæ ad Martyres, Benedictini instituti magnificũ cænobium infra Treuerim, conuersum & inchoatum est, anno 380.

SYRICIVS. 38

Romanus natione, Episcopale ministerium super vniuersalem Ecclesiam, temporibus Valentiniani & Valẽtis Augustorum, suscepit. Sedit annos 15. menses 11. dies 25. vacat sedes di. 20 Circiter annum 389.

Is PP. Digamo sacros ordines interdixit: cuius meminit Augustinus de bono coniugali, cap. 18. Polydor. de inuentor. rerum, cap. 8. Digami à sacerdotio exclusi.

Idem PP. normam Ecclesiasticam per 16. capita dedit Himerio Episcopo Tarraconensi.

Hoc tempore è Vulcani olla sese extulit Iouinianus hæresiarcha, circiter annum 388. Is omnia peccata paria esse dixit. Virginitatem Mariæ destruxit, dicens eam pariendo fuisse corruptam. Virginitatem etiam sanctimonialium & continentiã sexus virilis in sanctis eligentibus cælibẽ vitam, coniugiorũ castorum atq; fidelium meritis adæquabat, ita vt quædam virgines sacræ, prouectę iam ætatis, in vrbe Roma, vbi hæc docebat, eo audito nupsisse dicantur, &c. vt plures Iouinianos errores omittam. Iouiniani hæretici. Augusti. de peccatorum meritis, & remissio. lib. 3 cap. 7.

Circiter annum Domini 398. Vigilantistæ hagiomachi hæretici emersẽre: Mouebant bellum diuis mundo mortuis, superest & hac nostra tempestate, factura. Vigilantiistæ hæretici.

Sub Syricio celebratum est cõcilium Telense, in quo Iouinianistarum hæresis anathemate percussa est.

Eodem PP. in cathedra Petri sedente, habitum est concilium Carthaginense 2. tractans de cælibatu sacerdotum & episcoporum.

Hac tempestate, concilium Taurinatense celebratum, tempore Syricij PP. & B. Ambrosij episcopi Mediolanensis.

S. Georgius megalomartyr, cuius manufortissimus Deus Lernæam hydram, draconem Lybicum vere contudit, capitis abscissione martyrium consummauit circa annos Domini 391. calend. May. Hunc Græci appellant Trophæophorum. S. Georgius

Apparitio S. Michaëlis archangeli, anno Domini 390. Altera apparitio facta est anno 707. tempore Childeberti regis Frãcorum, & Iustiniani Imperatoris. S. Michaelis apparitio

S. Alexius. S. Alexius, Euphemiani nobilissimi Romani filius, extremum diem placidissimè clausit 16. calend. Augusti, circiter annum Domini 388.

39

ANASTASIVS I.

Romanus natione, temporibus Archadij. Sedit annos 3. dies 10. Vacat sedes dies 21.

Sub hoc Pontifice Romano, celebrata est synodus Alexandrina, propter scripta Origenis. Credidit autem Origenes (vt plano sermone pauca referam) animas in cælis fuisse angelos: postquam peccauerunt, deiectas in istum mundum indiuersa corpora, tanquam in carceres, pro delictu qualitate: in quibus si noluerint ad meliora conuerti, in alio mundo dæmones fieri: Dæmones quoque si voluerint ad meliora conuerti, in alio mundo vel mundis per supplicia atque tormẽta in corporibus erudiri, & rursus ad angelicam peruenire dignitatem. Nos quoque si negligẽtius nõ egerimus, in corporibus angelos futuros ait. Animam etiam angelum & dæmonem (quos vnius asserit naturæ, sed diuersarum voluntatum) pro magnitudine negligentiæ & stultitię iumentum posse fieri: & pro dolore pœnarum & ignis ardore magis ac magis eligere vt brutum animal sit, & in aquis habitet ac fluctibus, ac corpus assumere huius vel illius pecoris. Epiphanius in Epistola ad Ioannem Hierosolymitanum episcopum (quam S. Hieronymus è Græco in Latinum transtulit) Origenem hæc sensisse liberè fatetur. Insuper etiam addit: Discipulos suos docuisse, ne quis oret in cælum ascendere: ne peius iterum peccans quàm ante peccauerat, rursus pręcipitetur in mundum. Propter has namque animarum circulationes diuersos sibi inuicem succedere mundos sensit & scripsit: hæc D. Augustinus lib. 11. de ciuitate Dei, cap. 23. Atque vt paucis dicam. Finxit Origenes ante hunc mundum fuisse plures mũdos. Idem diabolorum & damnatorum pœnas cessaturas esse finxit. Errorem hunc Origenianum pessimum Augustinus varijs locis confutat, videlicet, lib. 12. cap. 13. lib. 19. cap. 20. in Epistola ad sanctum Hieronymum, de origine animæ. Sacri etiam canones errorem Origenis inter hæreses damnant. 24. q. 3. c. pe. Sed obijcit Apostaticus. Cur ergo Origenem Bucchingere in superioribus tuis scriptis, & reliquos Patres, tanquam veridicos citasti, quum constet aliquos aberrasse à scopo? Neque istud ipse negauerim. Errauerunt interdum Patres, atque ob id errare permissi sunt, vt homines eos fuisse cognosceremus. Sed quid, si permissi fuerint aliquoties errare, num propterea cæteris, qui rectè dixerunt, nihil authoritatis erit relictum? Absit. Errarunt aliquando Prophetæ, errarunt & Apostoli, neque tamen de cæteris quæ docuerunt,

[Margin notes: Errores Origenis. — Quare patres errare permissi. — Errant Prophetæ & Apostoli.]

docuerunt,quicquam dubitamus. Nathan (vt nō ignorat Vitilitigator)propheta fuit,is tamē consultus à Dauid rege, super opere quod rex animo meditabatur,nū esset ipsum completurus,respondit. Omne,quod est in corde tuo,vade fac,quia Dominus tecum est: An non omnibus perspicuum est,eum Dauida nihilominus errasse? Similiter & alios prophetas aliquando fecisse,scripturæ testantur. Quid igitur? Num propter hos lapsus,nulla cæteris quæ dixerint,fides adhibebitur? absit. Sed diuinæ pietatis dispensatione factū est, vt ad hunc modum, tam nos q̃ illi,se cognoscerent homines esse,& à Deo, quicquid rectè dixerint,accepisse:à seipso verò,quicquid aberrauerint. 2.Reg. 7.

Petrus quoq; quum(accepta prius à Deo patre reuelatione) Christō confiteretur esse Filium Dei,verissima dixit. At pauló post, quum eundem à morte studuit auersari,dicens. Absit hoc à te Domine,non mediocriter aberrauit. Quid ergo? Num ob id priorem cōfessionem eius reijciemus? Nequaq̃. Sic pariter & de sacris Ecclesiæ doctoribus contigit,haud absq; diuina dispensatione,nempe vt suis ingenijs relicti,nonnunquam in errores inciderint,quum tamē certum sit, quod in cæteris,splendore diuini spiritus illustrati,nō nisi saluberrima dogmata, ad maximū Ecclesię commodum prodiderunt. Quis ergo negarit hominum errores aliquando cedisse in Ecclesiæ profectum? vide Augustinum(in lib. de vera religione, cap. 6.)& fateberis me vera dixisse. Ecclesia catholica(inquit)per totum orbem validè lateq; diffusa,omnibus errantibus vtitur ad profectus suos, & ad eorum correctionem,quum euigilare voluerint. Vtitur enim gentibus ad materiam operationis suæ,hæreticis ad probationem doctrinæ suæ,schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, Iudæis ad comparationem pulchritudinis suæ. Alios ergo mutat,alios excludit, alios relinquit, alios antecedit. Omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat potestatem,siue illi informandi sint adhuc, siue reformandi, siue recolligendi,siue admittendi,&c. Sed obiectabit adhuc excucullatus. Si potuerunt ergo cæcutire,& errore teneri Patres, quomodo vobis (inquit)erit exploratum,quando verum dixerint? Id nimirum fiet mutua vel scripturarum ad ipsum,qui errauit,vel cæterorum Ecclesiasticorum,vel Apostolicarum traditionum, vel generalium conciliorum,vel Ecclesiæ catholicæ consuetudinum,vel demum horum omnium in simul facta collatione: Nā hęc se ita mutuo fulciūt. Origenes inquit Melanthon,(in quodam opusculo,de Ecclesiæ authoritate,intitulatus)citans Apostolorum & veterum Ecclesiarum exempla & sententias,est testis vtilis posteritati de aliquot articulis, de Trinitate,de duabus naturis in Christo, de baptismo infantum, de peccato Math. 16. Altera obiectio,& eiusdē remotio

Originali, de vsu cœnæ (vt ipsi vocant) Domini, & de alijs quibusdã, &c. Emergit igitur minime explodẽdum esse tam egregium virum de S. R. E. benemeritũ: An nõ hoc bene mereri est, sanctã Triadẽ, Christi naturam, regenerationem que fit in baptismo, peccatum Originale, vsum sacræ synaxeos, inculcare? Errauit ergo vt homo, pertinaciter falsæ opinioni insistens (quod hæreticorũ est proprium) minime.

Error hominis est, pertinacia hæretici.

Idem Anastasius 1. Ne debiles membris aut manci in sacerdotum numero reciperentur, constituit. Quod ex Moseos legibus esse dixerim, qui mancos procul à sacerdotio esse voluit.

Quomodo non initiari liceat.

Idem PP. stare erecto animo, dum legitur in Ecclesia Euangelion, iussit. Quis iam negarit Euangelion virtutem Dei nunciantem? In eo (inquit Hieron. in Ezech. cap. 1.) nihil est, quod non luceat, & splendore suo illuminet, vt etiam quæ parua putantur & vilia spiritus sancti fulgeãt maiestate. Quis ergo apostaticorum, istum exhibitum honorem infringere poterit.

1. Corin. 1.

INNOCENTIVS I.

40 Albanensis natione, sedit annos 15. mens. 2. Vacat sedes di. 12.

Hac tempestate, extulerunt caput in orbem Christianum, hæreses Prædestinatorum & Pelagianistarum. Prędestinati hęretici, ij nec bona nec mala opera curarunt. Hos sequutus Pelagius (in Britãnia hydra proserpsit) Nouati & Luciferi Euangelion è Cymmerijs tenebris & è stygia palude, reuocauit: Docuit non ex misericordia Dei propter Christon sine nostro merito nos iustificari & seruari, sed ex operibus proprijs & virtutibus naturalibus veram ac solidã coram Deo iustitiam parari: & remissionem peccatorum contingere, non ex fide Christi, sed nostris conatibus. De Pelagianistis loquitur D. Augustinus de peccatorum meritis, lib. 1. cap. 9. Pelagiani (inquit nolunt credere per Baptismum solui peccatum originale, quod in nascentibus nullum omnino esse credũt. Aduersus Pelagium sectæ prodromum, grauissimè scripsit Augustinus (vt partim ostẽdimus) impugnauitq; fortiter eius dogma hereticum. Publicè tandẽ hæresiota reuocauit in concilio Mileuitano præsente Augustino. Scribunt quidam, in heresim Pelagianã Iustinũ Imperatorem incidisse, & ideo iusto Dei iudicio perdito cum amentia vitam finiuisse. Hunc errorem Pelagianum resuscitauit nostra tempestate Vlricus Zuinglius, teste Luthero in vltima confessione sua de Eucharistia aduersus Suermeros: Affirmauit autem, quod Numas, Scipio & similes viri ethnici, Deo ad vitam æternam accepti fuerit propter egregias illorum & naturales virtutes. Asserit inquam, quod peccatum originale sit morbus duntaxat, non verè, aut propriè peccatum.

Prædestinati. Pelagianistæ.

Recentiores Pelagianistæ.

Vlricus Zuinglius in lib. de baptismo

Idem

Idem INNOCENTIVS PP. Pacis osculum confectis mysterijs, instituit. Osculum autem in vtriusq; sacræ paginæ libris significat vnionem, dicente scriptura, Canticorum 1. Osculetur me osculo oris sui. De osculo charitatis, legimus Geneseos 27. capite, Quando Isaac dixit filio suo: Accede ad me, & da mihi osculum fili mi. De pacis vero osculo, loquitur Paulus ad Romanos scribens, capite 16. Salutate (ait) vos inuicem in osculo sancto, id quod antiquum est. Satis enim constat Hebræos sic consueuisse in osculum excipere hospites, atque hoc pacto salutare adeuntes se. Ad hunc modum Iaacob vt vidit puellam Rachel, ore est prius osculatus quàm illi indicaret se eius esse amitinum. Et Laban pater ipsius Rachel vt nouit Iacob filium Rebeccæ sororis suæ, complexus est eum ruens in osculum. De osculandi ritu. Tertullia. lib. ad vxorem altero. Est etiam osculum reuerẽtiæ, dicente IESV CHRISTO ad Simonem: Osculum mihi non dedisti. Hæc autem ex quo intraui non cessauit osculari pedes meos. Ad significandum ergo triplicem pacem temporalem, spiritualem, & æternalem, & ad designandum vnionem diuinitatis ad animam, diuinitatis ad carnem, carnis ad animam, vel vnionẽ qua vnita est Christo, humana natura, sancta Ecclesia & fidelis anima, Osculum præbet minister & sacerdos, non osculans osculo adulatorio, quo osculabatur populum Absalon. Non osculo simulatorio, quo Ioab osculabatur Amasam. Nõ osculo nephario, quo Iudas osculabatur IESVM. Nec etiam osculo impudico, quo mulier osculabatur iuuenem irretitum. Sed osculo sancto, inquam, quod fit in charitatis & pacis fomentum, de quo Paulus. 1. Thessaloni. vlt. &c.

Osculũ quid significet. Lucæ. 7. 2. Reg. 15. 2. Reg. 20. Matth. 26. Prouerb. 7.

Idem Pontifex Romanus, Episcopo Rothomagensi normam ac regulam viuendi, misit.

Hoc tempore S. Hieronymus, Hungarus natione, patria Stridonensis, Romæ græcis latinisq; literis egregiè institutus, sanctioris vitæ causa in Iudæam se contulit, vbi & hebraicam linguam didicit: ita triplici lingua eruditus, de rebus diuinis scribendi onus suscepit, in quo omnes neruos ætatis, industriæ, doctrinæq; suæ contendit: cuius scripta vt sancta, breui post tempore Ecclesia recepit, receptaq; approbauit. Eadem tempestate etiam mellifluus AVGVSTINVS floruit, &c.

S. Hierony. S. Augusti.

Extat epistola concilij Carthaginensis ad INNOCENTIVM PP. quibus idem pontifex Romanus amanter in Epistola 25. rescripsit, eos confirmans.

Sub hoc Innocentio PP. concilium Meleuitanum contra Pelagium, huic interfuit Anselmus R. E. Legatus.

Concilium Meleuitanũ

S. Ger-

S.Germanus. S.Germanus episcopus Antisiodorensis, ex humanis ereptus pridie calend. Augusti, circiter annum Domini 422.

S.Simplicianus. S.Simplicianus episcopus & confessor, carnis ergastulum dereliquit, anno Domini 415. eidibus Augusti, vir diebus & virtutibus maturus, sepultus Mediolani.

Roma capta à Gothis.

41 ZOZIMVS aliis ZOSIMVS.

Græcus natione, regnante Honorio & Theodosio iuniore. Sedit annum 1. menses 2. dies 11. vacat sedes die. 11.

Is PP. Clericos à tabernis exclusit.

Ceræ paschales. Idem Zozimus PP. vt Dominicæ resurrectionis sabbato per singula templa cerei paschales candelæ consecrarentur, author fuit. Nec sine grandi mysterio in cõsecratione baptismatis cęreus adhibetur, vt significetur hoc verè agi in baptismate, quod præfiguratũ est in transitu maris erithrei per columnam nubis, quę transeuntibus interdiu velamento fuit, & noctu syderei splendoris vicem suppleuit: de qua dixit Apostolus, 1. Corint. 10. Vide canones concilij Toletani 4. can. 8. Nec reticendum hic: Lychnum cærei bededicti, Christi animam, cęram corpus, lumen diuinitatem significare. Benedicitur autem cæreus ipse, propter gloriam resurrectionis eius, quem & Pater benedixit super omnia benedictus. Atq; tum imprimitur cæreo thus in modum crucis, per quod significatur, Christon in cruce fuisse sacrificium vespertinum, de quo Dauid, cuius passio & oratio pro nobis vt fumus thuris, ascendit ad Patrem in odorem suauitatis. &c.

Exod. 13. Psalm. 140. Ephes. 5.

Idem PP. circiter annum 424. episcopo Salonitano quid agere debeat, iniunxit.

S. Albanus. Sub Zozimo PP. anno 425. S. Albanus episcopus, strenuus athleta Christi, martyrizatus est, vndecimo calend. Iulij, temporibus iunioris Theodosij Augusti.

42 BONIFACIVS I.

Circiter annum 425. Romanus natione, sedit an. 3. mens. 8. di. 7. vacat sedes di. 9.

Ætas sacerdotalis 30. anni. Is PP. masculum non attingentem 30. annos à sacerdotio (quod & Fabiano adscribit) exclusit. Quia, credo, ea fuit apud Hebræos (teste Hieronymo, in proemio in Ezechielẽ) ętas sacerdotalis ministerij, inquit Polydo. de inuento. rerũ lib. 4. cap. 8. At ego, propter exẽplum Domini Saluatoris institutum fuisse opinor, qui & in ea ætate prædicare cœpit. Statutum illud subsequentibus temporibus in Viennensi concilio ad annos 25. mitigatum est.

Sub Bonifacio 1. concilium Carthaginẽse 7. per 38. episcopos celebratum.

Hac

Hac tempestate D.Hieronymus in Bethleem vitæ cursu felicissi mè peracto,ad immortalitatis lauream est euocatus, ætatis suæ anno 91. Quantum hic vita & doctrina iuuerit Ecclesiam Dei,alijs iudicandum relinquo.Siquidem claruit miraculis, & eius scripta omnibus catholicis sunt in precio.Eundem sanctum virum non exiguos lapsus commisisse pumilis Brettanus blaterat.Eidem S. Hieronymo detrahit nigellus excucullatus,in suis commentarijs in epistol. Pauli ad Galatas:Sed quos non traducunt apostatici?

CAELESTINVS I. 43

Romanus natione,alij Campanum ipsum fuisse affirmant: temporibus Theodosij iunioris. Sedit annos 8. menses 10.dies 17. vacat sedes di.21.

Is,Psalmos Antiphonis interstrinxit.

Idem PP.Introitus,Gradus,Tractus, Offertoria, Cõmuniones & orationes MISSAE inseruit.Quæ omnia,pinguiori Minerua in nostro Tyrocinio precipitato opusculo tradidimus, supersedendum ergo esse censeo. Missa augmentatus.

Sub hoc Pontifice Romano & Theodosio iuniore Roma. Impe. Concilium Ephesinum,circiter annum 424.cõgregatum est:Vnum ex 4.principalibus,Nestorium absorbuit.Synodus illa Ephesina Celestini Papæ sequuta est authoritatem.Pighius lib.4 cap.14. Cõsil. Ephesinum principale 3.

Hac tempestate moritur B.Augustinus,qui Arrianorum impietatem,Pelagianorum dementem impudentiam, Manichæorum lasciuientem religionem,Donatistarum sathanicum furorem, virili ausu contudit atque infregit.

Idem PP.Cælestinus,hoc tempore Nouatianos vi VRBE expulit.

Idem CAELESTINVS PP. per Germanum Antisiodorensem episcopum,quem in Britanniam misit,hæreticis inde fugatis, insulares ad catholicam fidem redegit:Schotisque subinde fidei doctrinam optantibus,Palladium episcopum dedit,ac demum eius studio magna pars Occidentis(vt Platina tradit) ad fidem conuersa est.

Hac tempestate,S.Patritius Hiberniam,hodie Irlandiam, ad fidem Christi conuertit, circiter annum 433. Hybernia insula est, à Septentrione Hyperboreo alluitur oceano, ab occasu occidentali, à Meridie Vergiuo,ab ortu Hybernico. De Hybernia Mela scripsit. Supra Britanniam IVVERNA est, penè par spacio, sed vtrinque æqualis, tractu littorum oblonga, cæli ad maturanda semina iniqui: Verùm adeo luxuriosa herbis non lætis modo,sed etiam dulcibus, vt se exigua parte diei pecora impleant,& nisi pabulo Ibernia ad fidem conuersa. P.Mela.li.3.

prohi-

prohibeantur,diutius pasta dissiliant. Paret hodie Anglorum regi Philippo inuictissimo: Archiepiscopum habent Armacanensem, Robertum Venantium Scotum,sacrarum literarum doctissimum, &c.

Nestoriani hæretici. Sub Cælestino,è stygia palude caput in orbem extulit Nestorius hæresiarcha,qui negabat in Christo vnitum esse verbum humanæ naturæ substantiali vnione,sed tantùm adesse verbum,& inhabitare in humana natura,velut hospitem in domicilio,aliam personam carnis,aliam diuinitatis,statuens. Idem,Beatam virginem Mariam non Dei sed hominis tantùm asseruit matrem:contra id quod dictum est ab angelo,Lucæ 2. Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum,vocabitur Filius Dei. Ad Nestorianorum vesanam hæresim explodendam, Synodus Ephesina(cuius supra meminimus)celeberrima,vnanimi sententia(in concessu ac cætu 200. Patrum)decreuit:Quòd diua Virgo deinceps Theotocos,hoc est, Dei genitrix siue deipara mater appellaretur. Quam quidem sententiam corroborauit deinde & approbauit quinta synodus,habita temporibus Vigilij PP. Anno salutis 550. Constantinopoli,contra repullulantem ipsius Nestorij hæresim,maximeq; contra Theodorum & eius adstipulatores,qui affirmabant diuam Virginem dũtaxat hominem,non etiam Deum & hominem, peperisse. Nestorianæ hæreseos alumnus fuit Sergius,Mahometanę sectæ primarius prodromus. Hunc errorem Nestorianum, nostra ætate resuscitauit Osiander, Lutheri progenies,in libro cõfessionis suę. Nestorizans,quòd Christus iustificet genus humanum secundum solam diuinam naturam. Sunt præterea inter recentiores hæresiotas, qui cum Melchiore Hoffmanno,Deum ex sanguine D. Virginis natum negant. &c.

Genna. soc. lib.7.cap.,1.

Recẽtiores Nestoriani. Osiandristæ

Hoffmãnici

44

SIXTVS 3.

Romanus natione,patre Sixto, Valentiniani (vt Platina tradit) temporibus pontificatum inijt: Accersitus in iudicium à Basso quodam,in 57. episcoporum præsentia,ita causam dixit, vt ab omnibus vno consensu absolutus fuerit. Damnatus Bassus calũniator iniquus, annuente Valentiniano,& Placidia eius matre, in exilium mittitur, ita tamen,vt vltimo die viaticum ei ob pietatem Ecclesiæ non negatum fuerit eius bona non fisco, sed Ecclesiæ ascripta.

Qui innoxio insidiatur sibi inscius malũ fabricat.

Aiunt Bassum post exilium non multum vixisse: tertio enim mense diem extremum obijt: cuius corpus SIXTVS episcopus linteaminibus inuolutum,& aromatibus conspersum, proprijs manibus ad sanctum Petrum sepeliuit in loculis parentum. Aedificauit autem Sixtus basilicam B. Mariæ virginis,quæ ab antiquis, Liberij cognominabatur,iuxta macellum Libiæ. Accepit deinde nomen ad Præse-

Maria maior tẽplum.

pe:

pe:Postremò verò sancta Maria maior vocata est. Sixtum autem huius templi autorem fuisse, titulus ipse in frontispicio primi fornicis declarat his verbis. Xyxtus episcopus plebi Dei. Per X enim in principio & y scribitur Græca orthographia: Licet nostra ætas consuetudini seruiens, Sixtum scribat per S & iota. Sixtus autem cum omnia quæ habuerat, aut in ædificijs & ornamentis Ecclesiarum, aut pauperibus erogasset, creatis presbyteris octo & viginti, diaconis duodecim, episcopis duobus & quinquaginta, moritur, ac sepelitur in crypta viæ Tiburtinæ apud corpus beati Laurentij. Sedit autem annis octo, diebus 19. Xyxtus.

Circiter hæc tempora, concilium Rheginense episcopôn 13. celebratum. Item, Agathense concilium in ciuitate Agatha in Gallijs habitum, episcoporum 35. contra clericorum acediam.

S. Hilarius Episcopus Arelatensis floruit Anno Domini 420. Alij 456. VENETIA (temporibus Attylæ) extructa est, magnificentia, opibus, religione excellentissima. Hæc optimis moribus, & virtutibus ac disciplinis prædita. In ea Senatus amplissimus, Respublica florentissima, patres conscripti, & senatores, maiestate quadam augusta, & venerabili, qui cum omnibus gẽtibus & populis amicitiam, pacem, atq; concordiam perpetuò seruare nouerunt. Quid enim per Deum immortalem vrbibus pace melius iucundiusue? Præterea hic artes omnes liberales, Philosophia, Theologia, Leges, cæteraq; artes, & disciplinæ vigent. Sed quid potissimum de nauium maximarum in Arsenali copia? facilè est Venetis 600. armatas galeas inde producere in mare, bidui duntaxat spacio, o classem insignem & terribilem. Quid de mercatura (pace cæterarum vrbium & ciuitatum dixerim) cum quibus vrbs Venetiarum non contendere tantummodo, sed illas etiam longè superare potest? Quę maria Venetiani mercatores non nauigant, quas terras ij non permeãt, quæ loca tam abdita atque remotissima, ad quæ non accedãt atq; penetrent? Quæ per singulos annos suas armatas galeas vel naueis onerarias pro mercibus aduehendis vel alijs deferẽdis necessitatibus transmittit, sex in Alexandriam, duas in Damascum, duas in Barutum, duas in Barbariam, duas in Cõstantinopolim, duas in Ioppense (olim Iapha) portum: duas in Angliam, &c. Quid igitur illa nobilius? Quæ omnium iudicio atq; consensu meritò dicitur Maris regina, orbis consilium: regum, principum, & omnium gentium, profugium. Libertatis patrona, iustitiæ parens, religionis mater, fidei columen, Italiæ splendor. In qua omnis illa Spartanorum, Atheniensium & Romanorum sepulta potentia & gloria reuiuiscit. Quid illa clarius

S. Hilarius. Venetiæ descriptio.

O

rius atq; præstantius? quę nulli subdita neq; obnoxia, sed sibi cum latissimis terminis subditas habet regiones & ciuitates. Paduam videlicet magnam, non tam nobilissimo Pado (fluuio Phaetonteo qui eam prẹterfluit) q̃ Arciepiscopali sede, & antiqua ac famosa vniuersitate claram. VINCENTIAM dehinc, Veronam, Brixiam atq; Pergamum vrbes, tum populosas, tum opulentas, tum plurimis comitatibus terrisq; finitimis viniferis, fructiferis, gleba, piscuosisq; aquis superbas. Quis lacum Benacum (Gardæ lacus longus 14. miliar. Germani. in latitudine 1. miliare Germanicum excedit) magnum & nobilem vidit & nõ obstupuit? vtpote qui vndiq; fortissimis & amenissimis castris, castellis, & oppidis, & hijs multis circũseptus refulget, prę sertĩ firmissimo castro Pisthera munitus, & insula tutissima pulcherrimaq; Sermione, vbi veterũ adhuc latibula & cõfugia subterranea videtur. In pontũ autem fretũq; eius rimaturus Domini amplitudinẽ, si euecharis, o quantũ mirabere? o quorsum fereris? nã Histriã mox attingit & Dalmatiam sua potestas, atq; Schlauoniam. Inde in Græciam vsque se porrigens, Candiam, Cyprumq; regales insulas possidet, vt interim consulto præteream, Parentinam ciuitatẽ, Durazum, Zarã, Corfunam, & Naxum insulam? Hęc (qua nihil illustrius) amplissima ciuitas legibus suis viuit, moderaturq;. Ducẽ habet Marcũ Antonium (miro populi applausu, anno Domini Saluatoris 1553. exoptatum) ex Treuisanorum familia. Hic portus tutissimus, confugium & receptaculum est omnium mercatorum, diuitum ac pauperum, scola & magistra omnium virtutum, exẽplar & lumẽ bonorum morum, decus & ornamentũ totius Dalmatiæ, Illyrici, Adriatici, Aegeiq; maris. Quid de magnificentia & humanitate dicam? quia quanto plura de his proferrem, eo maiora mihi proferenda essent: Crederem equidem mihi potius diem quàm materiam defuturum. Sed nolo in re aliena longior esse, ad propositum regredior, quod meo magis alludit instituto. Nec me latet quàm fuerim in huius vrbis descriptione prolixus, Verùm quoniam totius Adriatici maris caput est, libuit illam accuratissimè depingere.

45 LEO I.

Tuscus natione, patre Quintiano, eo tempore fuit, quo Attyla à pugna Catelaunica rediens, in Pãnonias cõparatis magnis copijs, Italiã hostili manu ingressus, ac primo Aquileiã in limitibus prouinciæ positam, triennio obsedit. Verũ cum iam desperatis rebus in eo esset, vt statiua moueret, vidissetque ciconias ex vrbe in agros pullos suos deferentes, auspicio motus, adhibitis machinis, miseram ciuitatem acriter oppugnatam, tandem capit, diripit & incendit:

nec vlli generi hominū parcit, flagellum Dei se vocitans. Inde Hunni veluti ruptis claustris per totam Venetiam sese effundentes, vrbes omnes occupant, Mediolanum ac Ticinū diripiūt. Iturus deinde Romā infestis signis, cū eo loci consedisset, vbi Mintius Padū influit, amnem traiecturus, vir sanctissimus LEO pontifex calamitatē Italiæ & vrbis Romæ miseratus, adhortante etiam Valentiniano, ei fuit obuiam, persuadetq; Alarici exēplo, qui statim Dei iudicio post captam vrbē mortuus est, ne vltra progrediatur. Monitis pōtificis optimi obtēperans Attyla, quod dū simul loquerētur, cernere duos viros supra caput suū strictos tenētes gladios, ac mortem minitātes, nisi pareret, victus est. Idem Leo Gēsericum mitigauit. Quid obsecrò vnquā crudelius natura creauit Attyla Hunnorū rege? attamē tyrānus ille Leonis victus sanctitate, Romanis pacem reddidit, & ex atrocissimo humaniq; cruoris hoste appetentissimo, vnius hominis precibus mitissimus est factus: trucem barbari regis animum terruit, ac fregit, quem Romanæ vires nec frangere nec terrere potuerant. Nec minus valuit nomen probitatis Benedicti abbatis apud Totilām Gothorum regem præferocem. Diuus item Gregorius potuit Gothos ipsos, iam Arrianos factos, bonis monitis ab errore reuocare: potuit & idem Anglos sic emollire: Parcat pius lector meę exemplorum inductioni. Quid enim magis mouet cum rudium tum prudentium animos quàm exempla?

Leonis PP. sanctitas tanta fuit, vt in concilio Chalcedonensi summa patrum omnium concordia, ter sanctus acclamatus sit: Creauit ex institutione sacrorum 81. presbyteros. diaconos 31. episcopos 86. Sedit annos 21. mē. 1. di. 13. resolutus 4. eidus Apri. sedes vacat di. 8 [illegible]

Hic sanctus pōtifex, Acephalorū hæresim multis epistolis ad Christifideles scriptis, acerrimè confutauit. Ideo vocati acephali, quia sine capite, hoc est, qui ducem quem sequantur non habēt. Hi concilium Chalcedonense improbantes, proprietatem duarum substantiarū in Christo negant, vnā tantùm in eiusdē persona naturam prędicantes: Quid hoc aliud quàm negare Christon in duabus substantijs esse adorandum? Quàm negare inquam in eo duas naturas, sed vnicam ex deitate & humanitate mixtam? Acephali secta[m], circiter annum 450.

Idem Leo PP, supplicationes siue rogationes primus confirmauit: quas Latini Graiam sequuti vocem, Letancias dixere. Cuius instituti meminit D. Hieronymus super Zachariam dicens. Holda interpretatur deprecatio Domini, quod græcè significantius dicitur λιτανείας, valetq; apud Latinos tantum quantum supplicatio, hæc ille. Inter λιτανείας autem & ἐξομολογήσεως hoc differt, quòd exomologeses pro sola peccatorum confessione agantur. Letaniæ verò indicuntur propter Litaniæ rogationales qui seruādæ

O ij rogandum

rogandum Deum, & impetrādum in aliquo misericordiam eius. Olim letaniæ istæ valde religiose agebantur: ita vt non solum ab esu carnium, sed & ab omni commessatione penitus abstineretur, & populus cum clero, vestibus preciosis depositis, in sacco & cinere procederet, pedibus discalceatus, in commune dicentes Kyrieeleyson. Et cum contritione cordis Deū exorantes, pro peccatis, pro pace, pro peste, pro cōseruatione frugū, & pro cęteris necessitatibus, suspicientes in cœlū, vnde quicquid est boni, à patre luminum descēdit, & vocatis & imploratis gloriosissima Dei matre, & omnibus sanctis in precum suffragiū. Sic legimus anno 30. imperij Theodosij, terręmotus magnos fuisse Cōstantinopoli, per 4. menses, sed letanijs peractis, promiscuū vulgus comitante episcopo Proculo, cessauit quassatio. Ecclesiæ letaniæ fundantur, Luc. 18. a. Thessalonic. 5. Vim letanię Deo esse gratam, ostendit Tertullianus in Apolog. cap. 39.

Eutychiani hæretici. Hac tempestate, circiter annū 453. Eutychiani prodierunt, quorum antesignanus Eutyches Constantinopolitanus: Asserebant, Christon post humanam assūptionem, non duabus naturis constitisse, sed sola diuina fuisse contentum. Eandem hæresim resuscitauit hisce deploratissimis nostris temporibus Caspar Schuenckfeldius, in libello Latino de duobus statibus Christi: Affirmans, quod posteaq̄ Christus ascendit in cælum, humana eius natura sit conuersa in diuinam. Idem senserunt Dimeritæ hæretici. &c. Idem Eutyches, dixit, Corpora nostra post resurrectionem vento aëreq; esse subtiliora, & sicut iubar solis videri potest, & palpari non potest. Sic nostra corpora visibilia esse, sed impalpabilia: illud in adiutorium sui erroris assumēs, quod ait Apostolus, 1. Corin. 15. Caro & sanguis regnū Dei non possidebunt, nō intelligens quia caro in scripturis varias habet significationes.

Suenckueldicus error.

Dimeritæ.

Aliquādo enim carnis nomine ipsa cōditio humana designatur, sicut scriptū est: Hoc nunc ex ossibus meis, & caro de carne mea. Aliquādo fragilitas eiusdē carnis, sicut per Psalmistā dicitur: Et recordatus est quia caro sunt. Aliquādo, ꝓpago cognationis, sicut ait Apostolus Galat. 1. Continuo nō acquieui carni & sanguini. Et Dominus, Mat. 16. Caro & sanguis nō reuelauit tibi. Aliquādo carnis nomine peccatum designatur, sicut ait Dominus ad Noë, Gene. 6. Nō permanebit spiritus meus in homine in ęternum, quia caro est, id est peccator. Et Apostolus ad Roma. Vos aūt non estis in carne, sed in spiritu. Nisi enim in carne essent, epistolas eis non mitteret corporaliter. Sed in carne non esse dicuntur, quia carnalibus peccatis nō succumbebant. In eo ergo quod ait Apostolus, 1. Cor. 15. Caro & sanguis regnum Dei non possidebūt, non naturā humanā negauit esse resurrecturā (quādo &

Genes. 1.

Psalm. 77.

Christus

Christus ostendit fixuram clauium Thomæ)sed peccata eiusdem carnis regnum Dei possidere non posse confirmauit.Quod secutus Apostolus exposuit:dicens:Neq; corruptio incorruptelam possidebit.Resurgent igitur corpora nostra immortalia & incorruptibilia, non tamen inuisibilia & impalpabilia,istud confirmante Hiobo, qui ait: Credo quod redemptor meus viuit,& in nouissimo die de terra surrecturus sum,& rursum circundabor pelle mea , & in carne mea videbo Deum.His contra Eutychen dictis,ad alia progrediamur. Ibidem

Concilia.

CHALCEDONENSE, vnum ex 4. celebratum præsentibus 630.Patribus,Leonis 1.& Martiani Imperatoris,contra Acephalos, & Eutychianos hæreticos.

ARAVSICANVM, de libero arbitrio tractat.

VASENSE, Episcopôn 18.

CARPENTORACTENSE.

TVRONENSE prouinciale.

ARELATENSE,episcoporum 34.Strabo Arelatē,iuxta Rhodanum sitam amplissimo emporio insignem esse scribit.Hodie Honorato & Hilario sanctissimis præsulibus suis,clara est, &c. Arelati oppidum.

S. Virgines 11000.coronam martyrij promeruerūt apud Coloniam Agrippinam 12.calen.Nouembris,circiter annū Christi 450. 11000. Virgines.

Septem dormientes in Epheso expergefacti, anno Domini 448. Septem dormientes.

Trāslatio,corporis S. Martini facta est anno 14. Leonis 1.PP.anno videlicet 64.ab obitu ipsius sancti viri. Fuit is sanctus Martinus Sabariæ Pannoniorum oppido ad fluuium Raab (non adeo procul ab Austria)oriundus,sed intra Italiam Ticini alitus parētibus secundum sæculi dignitatem non infimis,gentilibus tamen:Pater eius miles primum,post tribunus militum fuit.Ipse armatam militiam in adolescentia secutus , inter scalares alas sub rege Constantio , deinde sub Iuliano Cæsare militauit:non tamen spontè , quia à primis ferè annis diuinam potius seruitutem sacra illustris pueri inspirauit infantia : Electus est in episcopum Turonensem circiter annum 450. Obdormiuit feliciter in Domino, anno ætatis suæ 81.sui episcopatus 36.Gregorius in libro historiatum,scribit ipsum tātùm præfuisse annis 26.mens.4.di.17.Post Christum verò natum 486. tertio eidus Nouembris,Archadio & Honorio Imper.De miraculis quę sanctus Martinus in vita sua & post mortem operatus est , iusta conscripta sunt volumina:Videat candidus lector,quæ S.Paulinus Nolanus episcopus scripserit.Videat item,volumina 4.quæ S. Gregorius episcopus Turonensis 16.post B.Martinum,tradidit. S.Martinus episcopus.

46 HILARIVS.

Sardus natione, ex patre Crispino: sedit an. 6. mens. 3. die. 10. vacat sedes die. 10.

Sub hoc celebratum concilium Romanum 50. ferè episcopôn. Item, Tarraconense, anno sexto Theodorici regis Hispaniarum.

Idem PP. Pontificatum noluit esse hæreditarium. Neq; enim votis pontificiam dignitatem quærendam esse censemus, Verè pôtifex, qui bonis moribus, meritis & omnium suffragijs prælucet: Verè nobilis, quem virtus nobilitat, iuxta illud.

Nobilis quis

Sed licet auratos tibi purpura vestiat artus,
Sit bene compositis littera picta notis:
Et quamuis cultu possis non vilis haberi,
Haud tamen id satis est, in meliora feras.
Non ebore & gemmis, non auro vera paratur
Nobilitas, aliquid maius habere decet.
Nam virtutis opes tantùm ornamenta putantur,
Quas fortuna sua, datq; rapitq; manu.
Hæc igitur nequeunt generosum reddere quenquam,
Causam in se virtus nobilitatis habet.
Nobilis est, solus, virtute insignis & arte,
Virtus nobilibus clarior vna viris.

Episcopatus Viennensis.

Hac tempestate in Viêna Austriaca episcopatus erigitur, primum locum in episcopatu sortitus est S. Mamertinus.

Corpus S. Marci Euangelistæ, de vrbe Alexandria (cuius ciuitatis meminit Egesippus lib. 10. Diodorus lib. 17. Plinius lib. 5. celeberrimum hodie omnium propè Europæ nationum emporium, Indicas merces Arabico sinu & Nili fossis varijs excipiens, & in omnes mediterranei maris oras distribuens) ad ciuitatem Venetiarum translatum est, circiter annum 465. Sabellicus, Ennead. 8. li. 9. reijcit illud ad tempora Paschalis. 1.

Alexandria Ægypti oppidum.

47 SIMPLICIVS.

Circiter annum 471.

Tiburtinus natione, ex patre Castino: sedit ann. 15. mens. 1. die. 7. vacat sedes die. 26.

5. Ecclesiæ in vrbe Roma

Is PP. Vrbem in 5. Ecclesias distribuit: Quarum prima, Petri. Altera, D. Pauli. Tertia, Laurentij. Penultima, Ioannis Laterani, nunc in vrbe prima. Quinta, Mariæ maioris.

Idem Simplicius PP. neminem hominum ad sacerdotium cogendum esse censuit.

A laicis Ecclesiasticum beneficium recognosci noluit.

48 FELIX 3.

Romanus patria, ex patre Felice, attauus S. Gregorij, posteaq; præ-

fuit

fuit vsq; ad tempora Theodorici regis, è viuis excessit. Sedit ann. 8. mens. 11. di. 17. vacat sedes die. 6. Vide Euagriū 3. ca. 16.

Templa dedicare episcopos, diemq; illum dedicationis anniuersariam esse iussit: & illud ex imitatione Hebræorum, qui cum quoque diem (testatur Iosippus) festum agebant, Polydor. de inuentoribus rerum, lib. 6. cap. 8.

Idem PP. accusato inducias ad respondendum indulsit.

Tempore Felicis, cōcilium Taraconense prouinciale celebratum est. Habet nostra tempestate Taraconensis Hispania, à Septentrione oceanum Cantabricum, ab occasu occiduum habet, Lusitaniam Bæticamq; à meridie mare Ibericum, siue nostrum: ab ortu Pyrenæos montes ac Galliam: Hanc secat amnis Iberus. Taraconensis Hispania

GELASIVS.

49 Apher natione, ex patre Valerio, vir sanctus atq; plurimæ sapientiæ, cōsilio sagax, pacis amator, delinquentibus clemens, castus, pudicus, eleemosynis largus: temporibus Zenonis Augusti, ad quem PP. confugit Ioannes Alexandrinus episcopus. Sedit an. 4. Cornipolitanus, habet annos 6. menses 8. di. 18. vacat sedes di. 7.

Is PP. collectas & gradualia (vt Volaterranus vult) instituit: Alij, precationes istas intensas & energiticas, Cœlestino 1. adscribit. De efficacia orationis, quis, ad quem, quid, vbi, quomodo, & quando oratio fieri debeat, in nuper diuulgato Tyrocinio meo satis superque ostensum est, prudens ergo prætereo. Sed interim non reticendum semper collectas in numero impari fieri debere, vnica vel tres, quia vel propter vnitatis sacramentum vel mysterium indiuiduæ triadis, Quinq; adhæc vel septem propter quinque partitam Domini passionem, vel spiritum gratiæ septiformis. Binarius autem numerus ab vnitate recedit, & ab eo cæteri diuisibiles numeri sortiūtur originem. Collectæ.

Idem PP. Canonem & Præfationes sacræ synaxeos, cāticis miscuit. Canō adauctus.

Hac tempestate sæuus Vuandalorum rex Honorius, Arrianorum applausu & fauore, in fideles gladio flammaq; sæuiendo fatigatus, 4965. homines Christianos relegans, ecclesias & bona Arrianis tribuit. Possent nostrates similia facinora vel etiam digitis demonstrare, sed quādo inuidiosa sunt, iudicium permitto lectoris arbitrio. Persecutio.

Illis temporibus Epaunense concilium prouinciale celebratum est, cui interfuerunt 70. episcopi.

S. Remigius episcopus Remensis, tempore Clodouei 4. regis Gallorum, circiter annum 490. in Gallijs claruit, vide Robertum Gaguinum lib. 1. de gestis Francorum. S. Remigius.

Seccingēse cœnobium 8. canonissarum, fundatum est anno 495. Seccingēse cœnob.

à S.Fridelino Scotorum regis filio.

50 ANASTASIVS 2.

Circiter annum 498 Romanus natione, ex patre Fortunato, temporibus Anastasij Imperatoris: Sedit an.1.mens.11.di.24.vacat sedes di.6.

Hunc Anastasium 2.quidam Acacio (qui viscerum egestu pœnas luit) fauisse blaterant. Anastasium falsò infamatum à Gratiano, conuincit Pighius.

51 SYMMACHVS.

Sardus natione, ex patre Fortunato: Sedit an.15.mens. 7. di. 28. Ordinauit presbyteros 92.diaconos 16. episcopos 117. Sepultus in basilica beati Petri 14.calend.Augusti. Cessauit episcopatus dies 7.

Hymnus angelicus. Omni die Dominico, & natalitijs martyrum, hymnum GLORIA IN EXCELSIS, dici ordinauit.

Idem Symmachus PP.multos captiuos redemit: Eugenium fidelem Carthaginensem episcopum cum multis coepiscopis Africanis à Tarasmundo Vuandalorum rege in insulam Sardiniam (à Sardo Herculis filio dicta, vt libro duodecimo Sil.& Soli.scribunt. De ea Sardinia. Plinius cap.7.tertij libri. Olim Ichnusa & Sandaliotis, à forma humani vestigij dicta.) proscriptum, piè fouit.

Idem PP. ordinationes 4.in Vrbe, instituit.

Is ipse Symmachus bona Ecclesiæ non alienanda esse, nisi pia & magna exigente causa, statuit.

Clericis consanguineas mulieres matris familiàs admisit.

S.Leonhardus. S.Leonhardus confessor, hoc tempore claruit in Aquitania, quieuit 8.eidus Nouembris, circiter annum Domini 500.

Concilia.

ILERDENSE 8.episcopôn, anno Theodorici regis 15.

VALENTINVM prouinciale 6.episcop.celebratum in Valentia Hispaniæ: Valentia tribus mil. pas. à mari remota, cuius meminit Plinius & Ptolomeus. Valentia.

52 HORMISDA.

Campanus natione, ex patre Iusto, de ciuitate Frusinone, temporibus Anastasij Imperatoris, circiter annum 514.

Is PP. regibus charus, hæresiotis exosus, in Ecclesiam magnificus fuit. Sedit annos 9.dies 17.vacat sedes di.6.

Nuptias confirmauit, id quod potestatis erat.

Clerum composuit, id quod officij.

Græcos (quod fuit mansuetudinis) reconciliauit.

Manichæos oppressit, quod fuit authoritatis.

Con-

Concilia.

Aurelianense, huic synodo se submisit Clodoueus rex Franciæ.

Gerundense,

Cæsaraugustanum, episcoporum 12. &c.

Hac tempestate, claruit Boëtius Seuerinus, natione Romanus, orator celeberrimus. Boëtius.

IOANNES I.

53 Tuscus natione, ex patre Constantio. Is S. Pontifex, à Iustino Constantinopoli honoratus, cæcum illuminauit: Multis tandem vigilijs insumptis, Theodorici regis Gothorum (27. die Maij) iussu, in carceres coniectus, ergastuli pædore, fameque consumptus. Rauennæ martyrum numero adscriptus est. Theodorici sæuitiam vltio (testãte Platina) diuina paulò post est secuta. Sedit annos 2. mens. 8. dies 17. vacat sedes di. 18. Anno 525.

S. Fortunatus episcopus Tudertinus, claruit circa tempora Iustini Imperatoris, quieuit vir sanctus in Domino pridie eidus Octobris, sepultus in basilica Tudertina.

FELIX 4.

54 Patriam habuit Samum insulam, cuius meminit Plinius 31. cap. quinti libri, Mela lib. 2. Strabo, lib. 10. &c.

Ex patre Constantio: temporibus Iustiniani, circiter annum 525. Sedit ann. 4. menses 2. dies 13. vacat sedes die. 3. Samus insula, quæ nunc cephallenia

Constantinopolitanum patriarcham damnauit.

Clerum, à promiscuo vulgo in templo discreuit; Cornipolitanus illud statutum, Bonifacio 2. adscribit.

Idem PP. dedicationes altarium instituit.

Idem, diuis medicis, Cosmo & Damiano, tẽplum Romæ extruxit.

Tempore Felicis PP. eiecti hæretici, Blond. lib. 3.

BONIFACIVS 2.

55 Romanus patria, ex patre Sigebuldo, temporibus Athalarici hæretici regis, & Iustiniani Impe. circiter annum 529. Sedit an. 2. di. 16. vacat sedes menses 2.

Extat epistola precum Eulalij episcopi Carthaginensis & Iustiniani, pro reconciliatione suæ Ecclesiæ, in qua se submittit Romano pontifici, asserens esse veram salutem in Ecclesia Romana, & veram fidem, & non extra illam: & anathematizat omnes hæreticos qui oppositum tenent, & statutis Roma. pontificis contradicunt.

IOANNES 2.

56 Romanus patria, ante pontificatum Mercurius dictus, ex patre Circiter annum 531. Proiecto,

Proiecto, de Cælio monte: temporibus Iustiniani. Sedit ann. 2. mens. 4. di. 6. vacat sedes dies 6.

Sub illo Pontifice, Iustinianus Imperator fidem suam misit in scripto sub chyrographo proprio ad sedem Apostolicam, per episcopos Apitium & Demetrium, cum ingentibus donis auri, argenti & gemmarum.

Hac tempestate concilium Toletanum 2. celebratum, anno 5. Amalrici regis.

S. Benedictus. S. Benedictus Nursinus, abbas Cassinensis: & huius sancti viri soror S. Scolastica, circiter annum 535. claruerunt. Porrò si cui libet plura de S. Benedicto nosse, is legat D. Gregorij dialogū lib. 2. à principio. Item, Volaterranum lib. 21. Alij reijciunt hos sanctos, ad tempora Ioannis 1.

57 AGAPETVS.

Romanus patria, patre Gordiano presbytero Ecclesiæ sanctorum Ioannis & Pauli, pontifex creatus à Theodato, statim ad Iustinianum mittitur, ei infensum quòd Amalasiuntā Athalarici matrem (vt Platina tradit) in insulam lacus Volsiniensium relegauerat interficique iusserat. Erat enim hæc fœmina ita græcis & latinis literis imbuta, vt cum quouis docto disputando congredi auderet. Præterea verò ita linguas barbarorum omnium callebat, vt sine interprete cū his omnibus loqueretur, qui tum Romanum inuaserant imperium. Huius autem mulieris interitum Iustinianus ita ægre tulit, vt bellum Theodato se illaturum minaretur. Agapetus itaq; eò missus, ac benignè & honorificè susceptus, cum pacem impetrasset ab Imperatore, tētatur vt Eutichianam opinionem confirmaret. Verùm cum Iustinianus ab ea re hominem sanctissimum abhorrere cerneret, precibus minas addit. Tum vas catholicum, Euangelij tuba, & præco iustitiæ AGAPETVS. Ego (inquit) ad Iustinianum Christianissimum principem venire optaui, sed Diocletianum inueni, quem Christianorū hostem fuisse constat. Hac mascula loquendi libertate & Dei nutu Iustinianus permotus, & fidem catholicam amplexus est, & pulso Anthemio Constantinopolitano episcopo, qui Eutichianam hæresim tuebatur, Mennam catholicum in eius locum sufficit Agapeto consecrāte, qui haud ita multo post Constantinopoli moritur, cuius corpus loculis plumbeis clusum Romam defertur, ac in basilica Petri sepelitur. Sedit autem mensibus vndecim, diebus vndeuiginti.

Dominicas processiones instituit.

Circa hæc tempora, pastores quædam verba Canonis sancti proferentes super panem, miserè interierunt.

Monasterium in Valle Gregoriana prope Vogesi montana, ordi- nis S. Benedicti, fundatum est circiter annum 534. Dotatum à Chil- derico, anno 660. Abbatia in Valle Gregoriana.

SYLVERIVS. 58

Campanus, ex patre Hormisda episcopo Romano, ex matrimo- nio tamen natus: Sedit an. 1. mens. 5. di. 11. Hunc Syluerium, Belisa- rius Theodoræ Augustæ gratia exuliās, ad insulam Potentiā detrusit, in qua & exulans obijt, steterat enim contra Eutichianos hæreticos, vide Eutropium lib. 16. & Sabellicū Ennead. 8. li. 5. vacat sedes di. 6. Circiter annum 535.

VIGILIVS. 59

Romanus patria, ex patre Ioanne consule: Is Constantinopolim Theodoræ imperatricis iussu tractus, in quinta principe synodo con- tra Theodorū Constantinopolitanū patriarcham, Eutichianæ hære- seos sectatorem dissentiens, flagris expirās, sanctus adnumeratus est. Eutropius (lib. 16.) S. VIGILIVM exulasse dicit. Sedit an. 17. mēs. 6. di. 26. vacat sedes di. 15. Concilia.

Aurelianense. 2. & 3.

Auernense.

Constantinopolitanum 5. alij ad tempus Agapeti reijciunt.

PELAGIVS I. 60

Romanus patria, temporibus Iustiniani, circiter annum 552. Sedit annos 11. mens. 10. di. 28.

Septem horas canonicas cōfirmauit, velut præsentaneū remediū humanę imbecillitati futurū, quo sicuti iustus septies in die, Prouerb. 24. fortè per inconsideratiā cadit, ita per orādi curā, toties resurgat cō- ualeatq;. Cū septimo enī circuitu clangerēt buccinis sacerdotes, postq̄ in aures multitudinis vox sonitus increpuit, muri illico corruerūt, Io- sue 6. Vel vt apertius dicā, Laudes matutinales, secūdū sanctos docto- res, summo diluculo cōplemus, quia tūc resurrexit Dominus. Postea Primā, quia tūc traditus est Pilato. Deinde Tertiā, quia tūc clamaue- rūt Iudęi, crucifigatur. Adhęc Sextā, quia tūc cruci affixus est. Postea Nonā, quia tūc expirauit. Penultimum locū sortiūtur Vesperæ, quia tunc depositus fuit de cruce. Tandem & vltimo Completorium, tunc enim est sepultus Dominus. Matutinas verò nocturnales cantat Ec- clesia, ad designandum vigiliam Domini, & diligentiam Iudæorum in eius custodia, &c. Vel vt meminerimus septem mundi ætatum, quibus semper Deus in laude fuit, est ac erit. Prima ætas ab Adam vsque ad Noe, per nocturnale officium. Secunda, à Noe vsq; ad A- braham, per matutinale tempus. Tertia, ab Abraham vsq; Moysen, per Primam. Quarta, à Moyse vsq; Dauida regem, per tertiam.

Polydo lib. 6. de inuēto. rerū. cap. 2. sit ludi iatur à Pelagio a- dicitur.

Horæ canonicæ quādo à quo, & qua re institutæ.

Quinta, à Dauide vsq; ad Christon, per sextam. Sexta, à Christo vsq; ad huius seculi finem, quando rediturus est ad iudicium, per nonam. Septima ætas requiei animarum ab exitu corporũ vsq; ad diem examinis, per vesperam recolitur. Per Completorium verò recolimus repletum numerum & consummatum gaudium sanctorum, quod complebitur in die magnæ festiuitatis, quando benedicti percipient regnum Dei. VEL ideo complentur horæ 7. vt meminerimus nos ad Deum laudandum esse obligatos omnibus ætatibus nostris, quæ septem sunt, quas vel singulas repræsentant horæ singulæ, videlicet: Infantia, pueritia, adolescentia, iuuentus, virilitas, Senium, decrepita ætas. VEL, vt per 7. Dei laudes vincamus septem malignos spiritus, qui cæteris dicuntur à Domino nequiores, Math. 12. Luc. 11.

Mortuorũ memoria. Idem PP. Pelagius, mortuorum memorias Missæ (inquit Bartholomeus Caranza) adiecit: Placet hic Patrum orthodoxorum, de hac materia quid senserint, dicta inserere, apostaticis (qui nihil non excipiunt cachinno) in derisum & confusionem. Docet Dionysius capite Ecclesiasticæ hierarchiæ 7. Mortuorum memoriam ab Apostolis ad posteros manasse. Nec dissimiliter Chrysostomus, homilia 69. in hęc verba scribit. Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs, defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum lucrum contingere, vtilitatem multam, hæc ille. Eadem inculcat D. Cyprianus, dicens. Sacrificia pro eis (Celerina, & Laurentio, & Ignatio) semper, vt meministis, offerimus, quoties martyrum passiones & dies, anniuersaria commemoratione celebramus. Et Ambrosius in oratione super obitu fratris, inquit, Tibi nunc omnipotens Deus innoxiam commendo animam (Satyri fratris mei iam vita defuncti) tibi hostiam meam offero, cape propitius, ac serenius fraternum munus sacrificium sacerdotis; hæc mei iam liba præmitto. De memoria mortuorum, scribit D. Augustinus libro confessionum 9. capite 13. hisce verbis. Nanque illa (Monica) imminente die resolutionis suæ, non cogitauit suum corpus sumptuosè contegi, sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desiderauit, cui nullius diei prętermissione seruierat, vnde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis. Et idem Augustinus epistol. 64. ad Aurelium, inquit. Oblationes pro spiritibus dormientium ipsos verè aliquid adiuuare credendum est. Et alio in loco Ambrosius (in oratione funebri super obitu Valenti. Imp. inquit. Beati ambo (Gratianus & Valentinianus) si quid orationes meæ valebunt. Nulla dies vos silentio præteribit. Nulla inhonoratos vos mea transibit oratio. Nulla nox non donatos

aliqua

aliqua precum mearum contextione transcurret. Omnibus vos oblationibus frequẽtabo. Similia insinuat Chrysostomus, quem vnum perpetuo aurei oris cognomento eloquentia honestauit. Opitulemur igitur (ait) defunctis fratribus, memoriam pro ipsis faciamus. Nam si Iobi illius liberos patris victima purgauit, quid dubites è nobis quoque, si pro dormientibus offeramus, solatij quiddam illis accessurum, gratificari Deus propter alios alijs solet, hactenus ille in 1. Corinth. 15. Homilia 41. Athanasius, in quæstionibus suis theologicis, quæstione 34. inquit. Num sentiunt aliqua beneficia etiam peccatorum animæ, cum super illis fiunt conuentus, & per actiones bonorum operum, & oblationum? Si non aliquo beneficio participarent ex illo, non vtique in cura & exequijs fieret cõmemoratio. At sicut vitis florescit extra in agro, & odorem eius sentit in vase vinum reclusum, sicq; conflorescit & ipsum: Ita intelligimus peccatorum animas, participare aliqua beneficentia, ab exangui immolatione & gratificatione, pro ipsis facta: sicut solus ordinat & præcipit, qui viuorum & mortuorum potestatem gerit, Deus noster. Hic habet lector catholicus, etiam Athanasij tempore, mortuorum exequias & memoriam fuisse: Habet etiam, quod eius tempore pro fidelibus animabus peractæ sunt oblationes, & bona opera. Habet deinde, quod illius etiam tempore, pro fidelibus animabus exangue sit sacrificium immolatum, & ita celebratas pro defunctis esse Missas. Vocamus autem exangue sacrificium, corpus & sanguinem Domini nostri IESV CHRISTI: Exangue autem ideo, quòd incruento modo offeratur, & non cruento per sanguinis effusionem. Non autem, vt somniauit Oecolampadius, alias Husʒschein, quòd sanguinem non habeat. Exangue sacrificium

AB APOSTOLIS igitur & sanctis patribus hæc institutio (vt rumpantur ilia obtrectatoribus) manauit, vt inter Sacra, defunctorum ageretur memoria. Cæterùm animabus, quę vel in cælo beatæ sunt, vel in gehenna damnatæ, nihil accedere lucri potest, quo fit vt PVRGATORIVM esse locum existimemus, vbi consistentes ad tempus animæ, deuotis interea viuorum precationibus refocillantur, & releuantur eleemosynis: & quoniam scriptura sacra, conclaue quoddam est omnium veritatum, quę Christianis necessarię sunt, nemini potest ambiguum esse, quin purgatorij veritas in ipsa contineatur, & quin ex ipsa quoque probari possit. Hæc quidem à me fusius ac loquacius dicta sunt, verùm in tantum necessaria, vt verear ne multis hæc etiam tam multa sufficiant. Fateor ingenuè, ad docendum sunt perpauca, sed ad rationem & viam indicandam, non inerti

P nec

nec indocto arbitror fore satis: transeamus ad reliqua Pelagij PP. instituta.

Idem PP. hæreticos seculari potestate coercendos indulsit: Hunc articulum supra discussimus.

Idem, Quadragesimali tempore, hora nona sacerdotes sacrificare iussit.

Concilia

Turonicum 2.
Parisiense 1.
Aurelianense quintũ & quartum anno Christi 557. Totilæ regis temporibus.

Circiter hæc tempora, templum Sophiæ & sanctæ Heirenæ, & Apostolorum, & sancti Motij, & Archangeli, Dei amicus princeps Iustinianus ædificauit. Eutropius lib. 11. Euagrius lib. 4. cap. 31.

Narses ROMAM occupauit, Blondus 3. Polydor. libro 6. capite 9.

61 IOANNES 3.

Romanus patria, de patre Anastasio illustri, temporibus Iustini iunioris Imperatoris. Sedit annos 12. vacat sedes menses 10. dies 3.

Restaurauit cæmiteria martyrum.

Armenia Christũ recepit. Sub hoc tempus Armenia Christum recepit: Distinguitur nostra tempestate Armenia, in minorem & maiorem. Minor Armenia à septentrione & occasu habet Cappadociam, ab ortu Armeniam maiorem, distinctam ab ea Euphrate flumine: à meridie Ciliciam. Armenia maior terminatur à Septentrione Colchide, Iberia ac Albania: ab occasu minore Armenia ac Euphrate, parte etiam Cappadociæ, ab Oriente mari Caspio & Media, à meridie Mesopotamia, atque Assyria. In montibus Armeniæ post diluuium Arca Noë consedisse dicitur Geneseos, capite octauo. Quidam etiam addunt in Gordiæis montibus. Euphrates in ea oritur, & Araxes, & Tygris, fluuij celeberrimi, paret hodie regi Persarum potentissimo.

Monothelitæ hæretici. Sub Ioanne tertio Monothelitarum hæresis proserpsit in orbem: Duas voluntates, diuinam & humanam, in Christo esse negarunt: Irrupit lernæum malum temporibus Iustini huius nominis 2. Imperatoris circiter annum Christi 566. vide Volaterranũ libro 17. Antropol. Item. P. Diaconum de rebus gestis Longobardorum, libro 6. capi. 2.

S. Leo-

S.Leodegarius episcopus, passus tempore Childerici regis Gallia- S.Leodegarius.
rum, circiter annum Domini 580. Childerici meminit Sabellicus
Ennead. 8. lib. 5.

BENEDICTVS I. 62

Romanus patria, vir sanctissimus, tempore Mauritij Imperatoris, circiter annum 576. Benedicti 1. meminit Paul. diaco. lib. 2. cap. 8. Sedit an. 4. mens. 1. di. 28. vacat sedes mens. 2. di. 10.

Romae hoc tempore desitum Latinè loqui. Sabelli. Ennead. 8. lib. 5.

Sub Benedicto 1. Mauritius Imperator Persas deuicit, Euagrius Persae.
lib. 5. cap. 19. PERSAE, potentissimi, & frequentissimae Asiae Domini: quorum aliquando Susa, hi semper ad Erithreum mare habitarunt, vnde & sinus Persicus dictus: suprà omnem verò vrbium elegantiam Persepolis effulsit, à Macedonibus consensu Alexandri Macedonis direpta: meminere Curtius & Arrianus: arcem eius descripsit diligentissime lib. 17. Diodorus. Nostra tempestate praeclarissimas vrbeis, Babylonem Assyriae regiam, & Taurisium, Tammas Persarum sceptrifer, possidet: Quarum prima Caliphae sacrorũ principis sedes est, qui à cunctis Mahometani nominis regibus excolitur: Posterior verò Persarum regia: Ambae occupatae à Tsuleimanno Turcarum Principe, sed virtute Persarum recuperatae. Persis verò terminatur à septentrione Media, ab occasu Susis, ab ortu Carmanijs duabus, à meridie sinu Persico. &c. 63

PELAGIVS 2.

Romanus patria, tempore Mauritij imperatoris, circiter annum 580. cuius meminit P. diaconus, li. 3. cap. 10. Sedit ann. 10. mens. 11. di. 2. vacat sedes mens. 6. di. 20.

Is Pelagius 2. basilicam S. Laurẽtij martyris extruxit: hodie quinta principalis Ecclesia in VRBE extra muros in via Tyburtina, quę in agrum Veianum tendit.

Concilia.

Hispalense.

Toletanum. 3.

Matisconense 1. & 2.

Iuuanianense monialium extra muros Salisburgensis ciuitatis, Iuuanianense coenobium.
fundatum est circiter annum 583.

Sub hoc pontifice, Maurimonasterium antiquitus Cella Leobar- Maurimonasterij abbatia.
di, coenobium Benedictini instituti iuxta montana Vogesi, inaugura-

 tum

tum est anno Domini 583. sub illustrissimo Francorum in Austrasia rege Childeberto: Præest hodie cœnobitis N. celebris admodum & excellens scilicet.

64 GREGORIVS I.

Romanus patria, patre Gordiano, viro senatorio: vno omniũ consensu, inuitus etiã, põtifex creatur, anno Domini 619. Monachus naq; erat, ac Leuita. Is autẽ cum principis cõsensus requireretur (vt antea dixi) nũcios cũ literis miserat, qui Mauritium obsecrarẽt, ne pateretur electionẽ cleri & populi Romani in ea re valere. Interceptæ sunt literæ à præfecto vrbis, ac discerptæ, scriptæque aliæ, quibus rogabatur, vt quem populus ac clerus in pontificem legisset, eũdem Imperator confirmaret, quo nihil ei nunciari iucundius ac gratius potuit, cum secum familiariter, dum Constantinopoli erat Gregorius, vixisset, filiumq; eius è fonte baptismatis leuasset. Remittit itaq; Mauritius nuncios, ac quidem properè, qui Gregorium confirmarent, cogerentq; hominem sanctissimum, pontificatus gubernacula in tanta perturbatione rerum suscipere. Is itaque non sibijpsi, sed vtilitati hominum, ac honori diuinó consulens, quem certè ob religionem & pietatem rebus omnibus semper antetulerat, spretis opibus, posthabitis voluptatibus, atq; omni ambitione & potentia. Gubernacula reipublicæ Christianæ suscipiens, ita vixit, vt vsque ad tempora nostra neminem ex successoribus parem habuerit, nedum superiorem vel sanctitate vitæ, vel diligentia in rebus agendis, vel doctrina & scriptis. Sedit annos 13. menses 6. di. 10. Et secundo anno Phocæ Imperatoris qui erat à natiuitate Domini sexcentesimus quintus, mortuus est 4. eidus Martij. Vacat sedes mens. 5. di. 19.

Idem strenuus fidei propugnator Gregorius multos libros composuit, videlicet, librum de Sacramentis, Antiphonarium tam diurnum quàm nocturnum. Commentarios in Ezechielem, homilias 22. in quadragita Euangelia. In Hiobum libros 35. Edidit & libros quatuor in dialogo, & librum quem Pastoralem appellauit, ad Ioannem episcopum Rauennatem, de ratione gubernandæ Ecclesiæ.

PP. Seruus Seruorum. Idem PP. se Seruum seruorum Dei scripsit: Quando & vniuersitatis conditorem seruilem accepisse formam Philippẽses 2. vt nos sanguine suo liberos redderet, legimus. O antistitem admirãdum, & ab Ecclesia meritò magnum cognominatum, qui vtrãq; vitam ita complexus est, vt nunquam à diuinarum rerum contemplatione negocium, aut à negocio contemplatio læderetur. P. Diaconus lib. 4. cap. 9.

Idem PP. ne quid ornatus & concentus inter sacrificandum deesset, instituit.

Eius

Eius quoq; inuētum est, vt nouies Kyrie eleyson caneretur, quod interpretatur Domine miserere. Vnde Iesaias capite 33. Domine miserere & exaudi. Dicitur autem nouies, sunt enim nouem genera peccatorum: Serpēs, & est peccatum originale. Mulier, & est delectatio, peccatū veniale. Vir id est ratio, cōsentit mortaliter. Est præterea peccatum cogitationis, locutionis, perpetrationis. Est adhæc peccatū fragilitatis per impotentiam. Simplicitatis per ignorantiā. Malignitatis per inuidentiā: Hoc est, peccatum in Patrem, in Filiū, in Spiritū sanctum. Et ideo canit Ecclesia ter ad Patrem Kyrie eleyson, ter ad Filium Christe eleyson, ter ad Spiritum sanctum Kyrie eleyson, Pater enim & Spiritus sanctus sunt eiusdem naturæ tantùm. Ad Filiū verò sub alio, quia Filius etsi sit eiusdem naturæ cum illis, est tamen etiam alterius, vt geminæ gigas substantiæ, &c.

Kyrie eleyson adijcitur sacro.

Idem PP. in Canonem redegit sacrosanctum. Diesque nostros in tua pace disponas.

Præterea verò Supplicationes (ex institutione Mamertis episcopi Viennensis in Gallijs, anno 480) maiores, quas Græci letanias vocant, primus instituit. Placet obiter hic de aquarum diluuio in Italia, & sæua tempestate & pestilentia illius temporis, & de letania instituta, quædam ex Paulo diacono inserere. Fuit eo tempore aquæ diluuium in finibus Venetiarum & Liguriæ, cæterisque regionibus Italiæ, quale maximū post Noe tempora creditur non fuisse. Factæ sunt, inquit, lacunæ possessionum, seu villarum, hominumque pariter & pecudū magnus interitus. Destructa sunt itinera, dissipatæ viæ, tantumq; Atesis fluuius excreuit vt circa basilicā beati Zenonis martyris, quæ extra Veronensis vrbis muros sita est, vsque ad supremas fenestras aqua pertingeret, licet (sicut B. Gregorius, qui postea Papa fuit, scripsit) in eandem basilicam aqua minimè introierit. Vrbis quoque Veronensis muri ex parte alia eadem sunt inundatione subruti. Facta est autem dicta inundatio kalendis Nouemb. Sed tantæ coruscationes & tonitrua tunc fuerant, quantæ vix æstiuo tempore fieri solent. Post duos quoq; menses eadem vrbs Veronēsis magna ex parte incendio concremata est: In hac diluuij effusione in tantū apud vrbem Romam Tyberis fluuius excreuit, vt aquæ eius supra muros Vrbis influerent, & maximas in ea regiones occuparent. Tunc per alueum eiusdem fluuij cum multa serpentium multitudine, draco etiam miræ magnitudinis per vrbem transiens vsque ad mare descendit. Subsecuta statim est hanc inundationem grauissima pestilentia, quam inguinariam appellant, quæ tanta clade populum deuastauit, vt de inæstimabili multitudine vix pauci remanerent.

Letania maior fit in sabbato 4. temporum.

Primumque Pelagium Papam virum venerabilē perculit, & sine mora extinxit. Deinde pastore interempto sese per populos extendit. In hac tanta calamitate B. GREGORIVS qui tunc leuita erat, à cunctis generaliter PP. electus est. Qui dum septiformem letaniam ordinasset, intra vnius horæ spatium, dum populi Deum precarentur, octoginta ex eis subito ad terram corruentes spiritum exhalauerunt. Septiformis autem letania ideo dicta est, quod totius vrbis populus à B. Gregorio in septem partes Deum deprecaturus diuisus est.

Letania septiformis. In primo namque choro fuit omnis clerus. In secundo, omnes abbates cum suis monachis. In tertio, omnes Abbatissæ cum congregationibus suis. In quarto, omnes infantes. In quinto, omnes viri laici. In sexto omnes viduæ, & in septimo omnes mulieres coniugatæ. Tandem Deus Opt. Max. precibus Christianorum mitigatus, remisit iram, & cessauit plaga.

Traditiones Ecclesiasticæ sunt obseruandæ, vt à maioribus sunt traditæ, & de his dubitare insania est insolentissimæ.

Humanæ traditiones.

Iam emergit quæstio.5. letaniæ, & reliquæ traditiones à pontificibus institutæ, an sint obseruādæ. Obijciūt acutuli magistelli cultum illum externum Aegyptia hieroglypha esse, & meras pontificum inuentiones, cum scriptura minime congruentes, & propterea Deo non acceptas: abolendas ergo hasce traditiunculas suadent. Adducentes istud Paulinum, cum ait. Rogo vos fratres, vt obseruetis eos qui dissensiones & offendicula præter doctrinā, quam vos didicistis faciunt, declinate ab illis. RESPONDET CATHOLICVS. Imò & hominum, si nihil diuinæ potentiæ derogant. Sua sit authoritas (scribit Melanthon) traditionibus, sed penes Christum eorum iudicium esto &c. Nec nos Christum excludimus, neque enim astruimus in eis salutis anchoram figendam esse, verùm haud quāquam affirmamus eas inutiles, quæ fidem nostram promouent. De traditionibus ecclesiasticis videat pius lector, Basilium lib. de Spiritu sancto, cap. 27. Augustinum ad Casulanum Epistol. 86. & ad Ianuarium lib. 1. cap. 1. inquit. Si quid per orbem frequentat Ecclesia, an ita sit faciēdum disputare, insolentissimæ insaniæ est: vide eundem Augustinum ad Pollentium lib. 1. cap. 14. & epistol. 163. ad Eleusium, & eundem Augusti. de moribus Ecclesiæ, lib. 1. cap. 29. & in libro de vtilitate credendi, cap. 17. Gregorium magnum ad Leandrum. Epistolam Athanasij ad Epictetum Corinthium. Irenæum lib. 4. cap. 43. 45. Origenem Math. 24. Hieronymum ad Lunicium Bithicum. Te pacatum reddat (inquit Basilius in homilia cōtra Sabellianos & Arrium) traditio. Dominus ita do-

Obijcitur.

Roman. 16.

Remotio.

ita docuit, Apostoli prædicauerunt, patres obseruauerunt, cōfirmauerunt martyres. Sufficiat dicere: ὡς ἐδιδάχθης. Et Athanasius (ad Epictetum Episcopum Corinthiorum) scribit. Τοῦτο μόνον ἀποκρίνασθαι πρὸς τὰ τοιαῦτα καὶ λέγειν ἀρκεῖ, ὅτι οὐκ ἔστι ταῦτα τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, οὐδὲ ταῦτα πατέρες ἐφρόνησαν: Hoc est, Hoc solummodo respondere ad talia, & dicere sufficit, quod ista non sunt catholicæ Ecclesiæ, neq; ista Patres nostri senserunt. Et iterum alio in loco Basilius (in sua ad Antiochenam Ecclesiam epistola) inquit, fidem verò nos neq; ab alijs scriptam nobis recentiorem suscipimus, neque ipsi mentis nostræ germina tradere audemus, ne humana commenta existimentur esse verba religionis. Sed quæ à sanctis Patribus edocti sumus, ea interrogantibus nos annunciamus, &c. Traditiones hominum nec reijciebat, neq; infirmabat Christus, sed querebat & reprehēdebat, quod homines illis magis tribuerēt, q̄ præceptis ipsius Dei. Has Paulus inculcās, 2. Thessa. 3. inquit, κρατεῖτε τὰς παραδόσεις, hoc est, tenete firmiter constitutiones, & paulò post. Παραγγέλλομεν δὲ ὑμῖν ἀδελφοί, ἐν ὀνόματι τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, στέλλεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ παντὸς ἀδελφοῦ ἀτάκτως περιπατοῦντος, καὶ μὴ κατὰ τὴν παράδοσιν ἣν παρέλαβε παρ᾽ ἡμῶν. Ita verbum è verbo licet vertere. Præcipimus autem vobis fratres, per nomen Domini nostri IESV CHRISTI, vt subducatis vos ab omni fratre qui inordinatè se gerit, & non iuxta institutionem quam accepit à nobis: Græcè quidem hoc Pauli testimonium citaui, nō quia ineptiæ me eius linguæ delectent, sed quia possent plerique cauillari secus haberi in fonte Pauli autoris, idcirco ne dubitet lector de fide, produxi eum, vti scripsit. Viden' iam in loco citato traditiones Apostolorum esse obseruādas vt Christi præcepta? Dic mihi, obsecro, vbi in scripturis inueniam Dominicam diem (in quo Deus lucem condidit, à mortuis resurrexit, & Spiritum sanctum in discipulos infudit) obseruari præceptum, quem Ecclesia colendum præcepit? Præcepit autem ne videamur Iudaizāre. Quæro item, cur baptizandos esse infantes statuerit posterior Ecclesia, cum id prima non nisi in tēpore necessitatis mandarit? vbi hoc in sacris literis scriptum? vbi expressum? Illud etiam quæro, cur baptizatos ab hęreticis non rebaptizet Ecclesia? Vbi hoc permittit scriptura expressa? aut ex qua canonica scriptura hoc probare poteris? præsertim cum scriptum sit, Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Quæ cum in Ecclesia tantùm sint, hæretici autem sint extra Ecclesiam, non videntur apud illos esse posse. Dic rursum vbi iussum fuerit in scripturis, diuorum esse venerandas imagines? certè septima synodus (367. Patrum) condemnauit Iconomachos & eiconoclastas, id quod superioribus in locis vberius declarabimus. Dic, quæ scriptura tradat Patrem

Hoc est, sic edoctus sum

Dominicā diem extollit Ignatius ad Magnesianos & Philippens. scribens.

ingenitum dici? Nam Hipponensis hoc ipsum in scripturis nusquam inuenire se potuisse testatur, & tamen ad substantiam fidei pertinet. Paschale festum non alio quàm Dominico die festiuum, quæ scriptura tradit? profecto nusquam in sacris literis istud comperies. Deinde illud etiam inter cætera ex te quæro, Dominicum diem adhuc in latibulis (lapsus sum) Ecclesijs, item Natalem Domini, aliosque, opinor festos dies nonnullos colitis: quæro igitur, per quam scripturam hoc rectè fieri probetis? hos scilicet dies festos esse oportere? An non omnis lux à Deo creata est? Sed & Paulus post suum reditum quędam Corinthijs pollicitus est se dispositurum. Cætera (inquit) quum venero disponam. Quis pontificum cætus tradidit baptizandos perungi Domino dicēte, Baptizari in nomine τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος? Quæ synodus sancta sanciuit feruentem aquam sanguini Dominico permisceri? vbi in Euangelio, & epistolis Pauli, seu reliquis scripturæ locis hoc iuramentum, quod baptizandum facere oportet reperitur? Iam ter immergi hominem, vnde est traditum? Reliqua item quæ fiunt in baptismo, veluti renuntiare satanæ & angelis eius, ex qua scriptura habemus? Eusebius ex Philone ostendit, tam viros ꝗ mulieres in Ecclesia primitiua sua loca determinata habuisse, vt commodè & decenter sacris interessent: quod Apostolicæ institutionis esse vides. 1. Corinth. 14. vnde etiam non
Apostolorũ diataxis. solum apostoli impositionem manuum, quam in Christo sæpius viderunt, olei inunctionem, sed & crucis signaculum, ad orientem de-
Chrysost. in Math. hom. 74. precandi ritum, Ecclesiæ obseruanda tradiderunt. Multas & varias veteris Ecclesiæ cæremonias, vide descriptas apud Epiphanium in fine librorum contra Hære. pag. 243. Non enim omnia à diuina scriptura accipi possunt: Ea propter aliqua in scripturis, aliqua in traditione S. Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit Apostolus, Si-
Hierem. 6. cut tradidi vobis. Has confirmans traditiones Dominus, inquit, State super vias & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris. Et alio in loco scriptura, Deutero. 4. capite. En populus sapiens & intelligens, gens magna, nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris: quę enim est alia gens sic inclyta, vt habeat cæremonias, iustaq; iudicia, & vniuersam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros? Custodi igitur temetipsum & animã tuã solicite. Sic in Thelensi concilio decretum legimus: Ea quæ Patrum constitutione sunt constituta firmiter obseruare debetis. A senioribus inquam,

inquam, qui in primitiua Ecclesia Christo fidelissimi vixerunt, consilium est arripiendum, non à iunioribus, apostaticis ac nouercis, quos nostra secula habent. Et Tertullianus (contra Praxeam) inquit. Contra vniuersas hæreses tam hinc præiudicatum est, id esse verũ, quodcunque primum, id esse adulterum, quodcunq; posterius. Sufficiant (inquit Leo 1. Episto. 46.) limites, quos sanctorum Patrum prouidentissima decreta posuerunt. Et epistola 21. Non licet aliter de diuinis scripturis sapere, quàm beati Apostoli & Patres nostri didicerunt atq; docuerunt. Et idem Leo, Epistola 27. Puritatem fidei eodem quo sancti patres nostri spiritu prædicamus. Item, Epistola 20. ad Martianũ Imperatorem: Eam fidem quam Euangelicis & Apostolicis prædicationibus declaratam, per antiquos Patres nostros (modò nõ sint suspectæ, quod Paulus 1. Timoth. 6. prohibet) accepimus, tenemus. Proclus episcop. Constantinopoli. scribens ad Archimandritas (tempore Theodosij Imperatoris) in Armenia contra Nestorium, circa finem, ait. State, custodientes traditiones quas accepistis, siue à S. & B. Patribus, qui apud Nicæam rectam fidem promulgasse noscuntur, siue à S. & venerandis Basilio Gregorioq;, ac reliquis eadem sentientibus. Hinc veridicum fit quod ille canit, Moribus antiquis res stat Romana virisq;. Eum, (inquit Cicero) nos qui ætate anteit, tanq̃ superiorem colere debemus. In Lælio. Summa. Ecclesia cæremonijs vtitur, non quòd in his externis (si desit spiritus) fiduciam reponi velit, sed vtitur veluti quibusdam visibilibus signis & stimulis religionis non contemnẽdis. Nam & Augustinus (lib. 3. de doctrina Christiana) ait. Qui veneratur vtile signum diuinitus institutum, cuius vim significationemque intelligit, non hoc veneratur quod videtur & transit, sed illud potius quo talia referenda sunt. Proinde iniuriam & Deo & hominibus faciunt, qui cæremonias ex religione auferũt: Deo, quia cultum illi debitum detrahunt. Hominibus, quia præcipua eos parte fructus fraternæ charitatis frustrantur. Tolle itaq; cæremonias seu consuetudines (quas patrum adiutrices, autrices, confirmatrices, fidei obseruatrices, & pedissequas religionis Christianæ dicimus, Nam fidẽ nostram promouent, suntq; doctrinæ & fidei propria exercitia) ab Ecclesia, & apud maximam Christianorũ partem, Dei cultum statim extinguẽs: Ceremoniæ infirmis pædagogi. cuncta conspicies inquã incondita, nec minus tenebricosa, quàm si ex mundo Solem lunamq; sustuleris. Fac ne quisq̃ leuet manus, néue genua flectat, aut ne tundat, aut oret non velato capite, aut non in pedes erectus stet dum legitur Euangelion, aut id genus reliqua prætermittat, videbis infra paucos dies, eam (quam vocamus deuotionem) euanescere penitus. Nam ea quæ adhuc viget in paucorum Christianorum

norum

norum pectoribus, quanquam sit pertenuis illius cultus scintilla, cæremonijs tamen quasi enutritur: & nisi cogerentur ad has Christiani (vide Roffensem, & Pighium lib. 1. cap. 6. qui verba Phischeri citat) propediem aut quam frigidissimus cultus Dei futurus esset. Si ergo, vt iterum dicam, verum est, quod censuit vetustissimus poëta, nempe moribus antiquis rem Romanam stare. Si laudatur sententia Lyrici, eum esse virum bonum, qui consulta patrum, qui leges iuraque seruat, quæ, rogo, insania est, nos antiquitatem, & veteres prothomystas martyres nihil facere, quum literis sacris etiam liqueat, antiquas semitas præ nouis disquirendas esse? Bonum itaque opus est, & pertinet ad amicitiam crucis Christi, Ecclesiæ seruare disciplinas, siue sint ieiunia, siue vigiliæ, siue orationes, siue stationes, & hoc genus alia.

Quàm lubricus verò fuerit excucullatus Lutherus in articulo de traditionibus Ecclesiæ, nec hoc reticendū esse catholico lectori arbitror. Affirmant autem Colluteristæ, quòd in manibus Ecclesiæ aut Papæ prorsus non sit statuere articulos seu Canones fidei, seu bonorum operum, Lutherus contra Ambrosium Catharinum. In contrarium asseritur, quòd ideo positi sint canones patrum, vt dirigant populum. Opus enim esse (scribit Lutherus, in explicatione decē præceptorum) infirmis non secundum hominem veterem iustificatis, vt certis officijs, diebus, modis, vigilijs, ieiunijs, laboribus, orationibus, disciplinis & similibus, quibus perueniant ad perfectionem interioris hominis, hactenus ille. An non hoc est Satyri capripedis in morem calidum & frigidum ex vnico ore efflare? Verùm hæc quando non sunt instituti nostri, non tamen prorsus aliena, abrūpere filum visum est, ista nāq; memini pinguiori minerua alio in loco tradidisse. Ad reliqua diui Gregorij 1. instituta.

Stationes institutæ. Idem S. vir, Stationum magnam partem, maximè autem quæ in Basilica Petri habentur, die natali Iesu Christi, in Epiphania, in Dominica passione, in albis Paschæ, in ascensione, in Pentecoste, natalibus Apostolorum, in tertia Dominica Aduentus: in dedicatione eiusdem basilicæ, die festo sancti Andreæ, in cathedra Petri instituit.

Et ne vlla in re vir sanctissimus deesset Ecclesiæ, synodum habuit apud S. Petrum quatuor & viginti episcoporum, in qua certe multa sustulit, quæ nocitura, multa etiam addidit, quæ profutura fidei nostræ videbantur.

Anglia conuertitur. Misit & viros optimos in Britanniam, Augustinum, Melitum, & Ioannem, cumq; his monachos quosdam probatissimę vitę, quorum monitis & prædicationibus fidei nostræ dogma sagittiferi Angli tum primum integrè receperunt. Habet Albion à septentrione oceanum

Deucali-

Deucalidonium, ab occasu Hybernicū & Vergiuum, à meridie Britannicum, ab ortu Germanicum. In ea neq; montes sunt, neq; paludes, authore Ptolomeo. Hodie in duo regna diuisa est insula, Angliæ, & Scotiæ: quibus populis non admodum conuenit. Anglia hodie eximio ingenio Poli cardinalis claret. Insula triquetra est apud Cæsarē. Insulæ adiacent his Orcades triginta numero, & Thyle septentrionis vltima apud veteres. Ambitus Insulæ quadragesies octies & septuaginta quinque millibus passuum constat, &c.

Extat pulcherrima epistola D. GREGORII PP. quā misit Theudelindæ Longobardorū reginæ, quo præferocem & indomitum viri sui Antharis animum ad religionem & mitiorem cultum redigeret. Erat enim matrona insignis, & fidei Christianæ studiosissima. Nam & basilicam beati Ioannis Baptistæ Modoetiæ ædificauit, quod oppidum decem millibus passuum à Mediolano distat: & eandem Ecclesiam prædijs ac vasis aureis ornauit. Theudelinda.

Gotthi Gregorij opera ad vnionem catholicæ fidei redeuntes, Arrianis valedicunt: de Gothis scripsere Procopius, Ablabius & Iornandes.

Eundem Sanctum Gregorium M. Lutherus excucullatus Saxo, circiter annum Domini 1545. Catholicum R. E. episcopum pronunciauit. Et recentiores nostra tempestate Moscouuitæ Asiatici S. Gregorium, & reliquos noui ac veteris instrumenti enarratores, puta Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, in linguam Illyricam traductos habent, religioseq; custodiunt. Lumina 4. S. R. E.

S. Maximianus episcopus Syracusanus in trinacria, vita & miraculis claruit tempore B. Gregorij PP. Syracusas celebrat Diodorus lib. 16. & Cicero actione 4. contra Verrem. In hac Syracusana insula est fons aquæ dulcis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine, plenissimus piscium: qui fluctu aquæ (testatur Cicero) totus operiretur, nisi munitione ac mole lapidum à mari disiunctus esset: meminit Seneca eius lib. nat. quæstio. 6. S. Maximinus. Syracusæ. Arethusa.

S. Amantius presbyter apud Tyfernam, claruit tempore S. Gregorij PP. quieuit in pace predie nonas Nouembris. Hæc D. Gregorius 3. dialogo. cap. 30. S. Amantius.

S. Menas confessor in Samnij prouincia hisce temporibus floruit, Gregorius 3. dialog. cap. 26. S. Menas.

SABINIANVS. 65

Tuscus patria, circiter annum 603. Succeßit Gregorio, cuius res bene gestas perpetuo auersatus est. Sedit annum 1. mens. 5. dies 9. vacat sedes mens. 10. die. 20.

Is diem

Is diem & horas campanarum pulſu diſtinxit, Platina & Polydorus de inuentor. rer. lib. 6. cap. 12.

66 BONIFACIVS 3.

Romanus patria, circiter annum 605. obtinuit à Phoca Imperatore vt ſedes B. Petri, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum, ita & diceretur & haberetur ab omnibus, quem locum Eccleſia Conſtantinopolitana ſibi vendicare conabatur, fauentibus aulicis principibus, & affirmantibus eo loco primam ſedem eſſe debere vbi Imperij caput eſſet. Quantum temporis ſederit pontifex iſte, diuerſitas eſt inter ſcriptores, Nam ex Platina colligitur quód ſederit menſes nouem, Alij annum vnum, dies 25. Alij veró annum vnum, menſes quinque, dies 28. Alij quód menſe octauo, & die 22. ſui pontificatus obierit.

Romæ ſynodum 72. Epiſcopôn celebrauit, in qua præter alia ſtatuit, ne ante triduum mortuo pontifice, alius creetur.

S. Ioannes ἐλεήμων (alludens nimirum ad ſermonem Chriſti, Lu. 16.) patriarcha Alexandriæ natus, claruit temporibus Phocę Imperatoris, quieuit in Chriſto 3. non. Februarij, circa annum Domini 605. ſcribit huius vitam Leontius Epiſc. in Cypro.

S. Ioánes eleemosynarius.

67 BONIFACIVS 4.

Marſus patria, Sedit ann. 6. menſ. 8. adijciunt alij di. 12. vacat ſedes menſ. 7. di. 25.

Is PP. templum omnium deorum Pantheon à M. Agrippa in honorem Cybeles, matris omnium deorum apud ethnicos, extructum, mutato nomine MARIAE & omnium ſanctorum (nunc veró ſancta Maria rotūda) vocans, excluſo malorum dæmonum cultu, locum expiauit, & Phocæ Imperatoris permiſſu ſacrauit, Blond. lib. 9. circiter annū 614. In hoc tēplo quidam cæcus dictauit Gaude Maria, & lumen recepit. Gregorius deinde 4. fertur fuiſſe author, vt id ſacrum calendis Nouembribus celebraretur, quum fuerit antea tertio eidus May: Vt peractis tum meſſibus & vindemijs, maior eſſet omni populo commoditas feriandi, nec victualium penuria. At obijcis, quur S. R. E. voluit omnes in vniuerſum ſanctos & electos vna die concelebrari, quū prius celebrati ſint ſigillatim per integri anni circulum? Quibus paucis reſpondemus. Primó id factum fuiſſe, propter omiſſorum ſanctorum ſupplecionē. 2. Propter negligentiarū expiationem. Tertió, propter orationum noſtrarum faciliorem impetrationem: Quæ omnia diffuſius explicat R. D. E. F. Nauſea, in libro de catholicis in Eccleſia cæremonijs, ad quem candidum lectorem remitto.

Tēplum Pantheon conſecratur.

Omniū ſanctorū feſta.

S. Vedaſtus epiſcopus Atrebatenſis, pauperes pauper ipſe dilexit, verbo & exemplo è paganiſmo ad Chriſtianiſmum multos vbiqꝫ conuertit

S. Vedaſtus.

vertit cooperante Domino, in pace requieuit 8. eidus Februarij, circiter annum 600. Nostra tempestate Atrebatensi episcopatui præest NICOLAVS PERENOTVS, filius Granuellani Hedui (fuit is Granuellanus omnium laborum, periculorum, atque consiliorum socius Caroli V. velut Eneæ alius Achates) cuius in rebus principalibus obeundis dexteritatem, prudentiam, eruditionē, reliquasque animi sui præcellentes dotes Cæsar Carolus V. sapientissimus, qui suos nouit vt principis est virtus maxima nosse suos, Cæsarea charitate regiaque munificentia complectitur. N. Perenotus Granuellanus.

Anno Domini 612. S. Rupertus Vangionum antistes, Theodonē ducem Bauororū ad fidem Christianam conuertit. BAVARIA Germaniæ prouincia ab Auaribus Hunorum reliquijs, qui Noricis expulsis, in ea terra cōsedere, adiecta B litera appellatur. Hūgariā ab oriente habet, ab occidente Sueuiā, à meridie Italiam, à septentrione Franconiam atque Bohemiam. Danubio insigni fluuio ex Sueuia profluente irrigatur. In quatuor episcopatus Bauaria diuiditur: Saltzburgensem, Patauiensem, Phrisingensem, Rhatisponensem. Monachium ducalis sedes hodie, olim Schiren fuit. Nulla Germaniæ Prouincia pluribus cultioribusque vrbibus illustratur. Hæc terra priusquam in prouinciam redigeretur, à proprio rege ad Arnolphi imperatoris vsque tempora administrata est, cum vt Parthia suum Arsacem & Aegyptus Ptolemæum, ipsa Cacannum nominauit, deinde duces habere cæpit, hodieque tenet, &c. Bauaria conuertitur. Bauariæ limites.

DEVSDEDIT seu THEODATVS. 68

Romanus patria, ex patre Stephano subdiacono, Vir sanctitatis eximiæ, temporibus Heraclij, circiter annum 615. alij 613. Sedit an. 3. (alij an. 4.) di. 23. vacat sedes di. 13.

Sub hoc; celebratum concilium Antissiodorense, Fuit hoc prouinciale concilium: Ca. 38. Sic statutum legimus. Non licet presbytero inter epulas cantare, nec saltare.

Idem PP. puellis prouectæ ætatis suos patrinos prohibuit.

Eiusdem temporibus; Isidorus episcopus Hispalensis, Leandri successor, floruit. Isidorus.

BONIFACIVS 5. 69

Campanus natione, temporibus Heraclij Imperatoris, circiter annum 617. Sedit an. 5. mens. 9. adijciunt alij dies 10. vacat sedes dies 13.

Is delinquentibus templa, aras & asyla misericordiæ constituit. Componitur verò ea vocula, ex α, quod est sine, & σύλω traho, cuius meminit Statius in 12. Thebaid. & Plutarchus in vita Thesei. Asylum constitutum.

Vide Polydor. de inuentor. rer. lib. 3. cap. 12.

S. Gallus. Bonifacij Papæ temporibus, S. Gallus è Schotia profectus, vir tam vitæ sanctimonia, quàm rerum omnium contemptu, & spontaneæ paupertatis voto clarus: annis retro ferè nongentis à Rhetorum oppidulo peruetusto Brigantio digressus, cum in montana abijsset, eremi quærendæ gratia, in loco deserto antea, ferisq; & syluarum asperitate horribili, iequibus iactis fundamentis auspicatissimum initium professionis suæ fecit.

70 HONORIVS.

Campanus natione, ex patre Petronio viro consulari, circiter annum 622. temporibus Heraclij, vir largus erga hulcerosos Lazaritas, Monothelitícæ hæreseos primus dânator. Sedit an. 12. adijciunt alij mens. 11. di. 7. vacat sedes mens. 7. di. 8.

Crucis exaltationis festum. Idem Honorius, festum exaltationis S. crucis instituit, facta est hæc crucis exaltatio 18. calend. Octobris, circiter annum 620.

Hadriani molem æneis tegulis operuit.

Eundem Honorium ob omni hæreseos labe vindicat B. Agathonis epistola catholica, vide Campensem Pighium lib. 4. cap. 8.

Concilia.

Toletanum 4.

Hispalense 2. tempore Sisebuti Hispani regis.

Toletanum 5. & 6.

Bracarense 1. & 2.

Cantabrigia insignis academia sub Honorio erecta est.

Heraclius à Monothelitica hæresi resipiscens, regulam orthodoxæ fidei suscipiens ab Honorio, ad studia Matheseos se conuertit, & Iudæos omnes in suo imperio baptizari curauit.

Abbatia Album castrum. Album castrum seu Vueissenburgum, monasterium instituti Benedictini, primaria ferè Germaniæ abbatia, fundatur anno 623. dotatur verò anno 664. à Dagoberto.

Mahometes Arabs. Alcoranus. Anno mundi 4590. Romæ 1382. Christi 630. quanquam alij aliud in tempus hæc reijciant: Mahometes Arabs pseudopropheta, in orbem proserpsit. Hic legislator Saracenorum, iniquâ & mêdacij plenam, tanq; ex diuino ore prolatam legem composuit, & eam Alcoranum nominauit, videlicet diuinorum mandatorum collectionem. Is Mahomethes supra omnes persecutores Ecclesiam turbauit, Nam eam modò seua tyrannidè, nunc autem per deceptionem in legibus,

in legibus, tum verò per hypocrysini simpliciores subuertendo perculsit, adeo quod iam magnam partem orbis terrarum imperio suo pepererit. Cum Sabellianis negauit Trinitatem: cum Manichæis Binarium in diuinis numerum posuit. Negauit æqualitatem Patris & Filij cum Eunomio. Spiritum sanctum creaturam dixit cum Macedonio: Cum Nicolaitis multitudinem vxorum probat. Annos natus 40. extinctus. Visitur in Arabiæ vrbe Medina Talnabi eius sepulchrum. Nostra tempestate Turcæ in duas precipuè diuisi sunt sectas, quarum altera Leschari per totam Africam, Aegyptum, Syriam, Arabiam atque Turciam extenditur: Altera Imamia, huius sectæ professores, Homarem alterum ex Mahometis discipulis, tanquam grauius & certius leges interpretantem, Halis doctrinæ præferunt. Hæc secta totam occupat Persarum regionem, quam Hismael Harduellis filius, cognomento Sophus, & huius posteri strenuè in hunc vsque diem defendunt.

Lex Mahometi ex sectis multis mendicata.

2. sectæ Turcarum.

SEVERINVS. 71

Romanus patria, patre Labieno, tempore Heraclij: Vir singularis pietatis & religionis, amator pauperum, ab Isatio totius Italię hexarcho in pontificatu confirmatur. Tunc enim non habebatur rata cleri ac populi electio, nisi id Imperatores, aut eorum hexarchi confirmassent. Sedit anno 1, alij ponunt menses 11. dies 4. vacat sedes mens. 4. dies 30.

S. Natalis confessor, Romæ tempore Seuerini PP. claruit, vitæ suæ finem imposuit pridie calend. Nouemb.

S. Natalis.

IOANNES 4. 72

Dalmata natione, patre Venantio. Sedit an. 1. alij 3. alij mens. 9. di. 18. vacat sedes mens. 1. di. 13.

Is Ioannes 4. thesauris Ecclesiæ, multa millia hominum redemit de seruitute per Histriam & Dalmatiam.

THEODORVS I.

Grçcus natione, ex patre Theodoro episc. Hierosolymis oriundo, amator pauperum, largus, benignus super omnes, & multum misericors. Sedit ann. 6. mens. 5. adijciunt alij dies 8. vacat sedes di. 20. 73

MARTINVS I 74

Tudertinus prouincia Tusciæ. Hunc quidam volens confodere extracto gladio cecitate percussus est. Idem S. Pôtifex propter veritatem à Constantino 4. Imperatore (à Paulo hæretico sic persuasus) in exilium (circiter annum 643.) missus est. Sedit ann. 6. adijciunt alij mens. 1. di. 20. vacat sedes di. 28.

PP. Mirac losus.

Concilia.

1. Toletanum 7. episcoporum 38. explicit.
2. Lateranense episcopôn 200. contra Paulum Constantinopolitanæ vrbis episcopum hæreticum.
3. Toletanum 8.
4. Toletanum 9. episcoporum 16.
5. Toletanum 10. anno octauo Reccesiunthis Hispaniarum regis.

S. Iodocus S. Iodocus sub Constãtino filio Eraclij & Eudoxie, circiter annum 643. hæremiticam vitam elegit.

Rhodos à Saracenis capta, Sabellicus Enneade 8. lib. 8.

Rhodos expugnata. RHODVS Cycladum quæ circa Delum in circulo positæ sunt, insularum nobilissima (reliquę Sporades dicuntur, quod vndique per Plin. lib. 4. cap. 12. mare dispersæ sint) noningentorum ac viginti stadiorum ambitu patet, inter Asiaticas insulas tertia, prius Ophiusa, Stadia & Telchis appellata, in mari Carpathio Lycię, vel Cariæ & Aegypto opposita: Colossis olim dicta eadem, ab imagine Solis ærea decies septenum cubitorum alta, ibidem erecta. Quam nullo non die sol aspicit, id quod & de Syracusis Cicero (actione, in Caium Verrem, septima) tradidit. Gymnasium habuit Asiatica eloquẽtia, & Mathematicis studijs clarissimum. Ideo (vt Vitruuius lib. 7. scribit) Aristippus philosophus Socraticus, cum naufragio eiectus in Rhodiensium littus, animad- Plin. li. c. 31. Strabo li. 14. uertisset Geometrica schemata descripta, exclamasse ad comites ita dicitur: Bene speremus, hominum enim vestigia video. &c.

Perhibent spinam esse Rhodi, qua sacratissimum Christi caput pupugerunt impij, dum coronam spineam vertici imposuerunt, quæ singulo anno, in die eo quo Christi passionis memoria in catholica nostra Ecclesia celebratur, vidente populo, floreat, monstratur ea in vase translucido ex vitro, vt admittatur aspectus, nec oculorum acies possit obtundi, ante horam illam qua Christus crucifixus creditur, nulla spina ipsa motionem præfert, non coloris mutatio, non vlla adiectio in ea visitur, proximante tempore rubere incipit, & oculis omnium circumfusis atque cernentibus albus quidem flosculus in verticem paulatim exurgit, qui hora elapsa desinit & euanescit, hęc plus semel, tam mihi quàm Friderico Kẽphio secretario ordinis, retulit Friburgi Brisgoiæ Illustris Princeps Georgius Schillingus ordinis Ioannitarum, vtriusque Germaniæ superattendens. &c. Eadem Rhodiorum insula à Christianis, Turcis expulsis, expugnata est sub Clemẽte quinto, anno millesimo trecẽtesimo nono. Postremo, hæc eadem antiqua Christiani imperij propugnatrix, post longã obsidionem in Tsuleimanni Turcę potestatẽ venit, anno 1523.

1523. 8.calend.Ianuar.De hoc cōflictu habes libros tres elegantissimos Iacobi Fontani Brugensis. Extat epistola Turcæ ad Magistrum Rhodi, quam libuit subijcere, apostaticis nimirū in confusionem qui cursum Cæsaris remorantur.

Solymannus Tsaccus Dei gratia, Rex Regum, dominus dominantium, maximus Imperator, Byzantij & Trapezuntis &c. Reuerendo patri Philippo Vilerio Liladamo, magno magistro Rhodi, equitibusq; suis & vniuerso populo.

COmmouerunt me afflictissimæ gētis meę cōmiseratio, & summa iniuria vestra. Impero igitur vobis per celerē insulę & arcis Rhodiæ deditionem piè vtroq; concessa gratia, securè abeūdi cum omni preciosa supellectile, aut si libet manendi sub īperio meo, in nullo nec tributo quidem minuta libertate & religione vestra. Si sapitis, præferte amicitiam & pacem bello crudelissimo. Nam victos vi manent acerbissima omnia, quæ victi à victoribus pati solent, à quibus non defendent vos arma, domestica externaue auxilia, nec ingentes muri, quos radicitus euertam. Valete bene: Quod tunc demum fiet, si potius quàm vim amicitiam malueritis, quæ neque fraudi, neque dolo vobis erit. Iuro Deūm, celi terręq; autorem, iuro quatuor Euangelicę historiæ Chronographos, vicies quater mille prophetas lapsos è cælo, summumque inter hos nostrum Mahumetem adorandos, item manes aui patrisque, tum hoc sacrum augustumque meum imperiale caput. Ex regia nostra Constantinopoli, &c. ad institutum. Epistola Turcæ ad Magistrum Rhodi.

Episcopatus Argentinensis erigitur.

Sub Martino 1. præfuit & profuit S. Amandus, primus Argentoratensium Alsaticorum episcopus: ob virtutem merito amandus, anno Christi 596. obijt ex febre anno ætatis suæ 90. octauo eidus Februarij: Cuius meminit Robertus Gaguinus lib. 3. de gestis Francorum. S. Amādus, episcopus. 1.

Successores habuit S. Amandus in episcopatu Argentoratensi.

2 Iustum, an. 2.
3 Maximinum, annos 8. sedit in episcopatu.
4 Valentinum, an. 5.
5 Solarium, an. 6.
6 S. Arbogastus, Sigebertum vnicum filium Dagoberti suscitauit, rexit episcopatum an. 27. obijt anno 668.
7 Rotharius.
8 Florentius Scotus, sub Leone 2. PP. obijt circiter annum 676.

Rathildæ filiæ regis Dagoberti visum restituit; rexit episcopatum annos 12.
9. Ansoaldus, an.6.
10. Biulfus, an.8.
11. Magnus, an.6.
12. Aldus, an.21.
13. Garoynus an.7.
14. Landebertus, an.6.
15. Rotharius, an.5.
16. Rodobaldus, an.3.
17. Magnebertus, an.5.
18. Labyolus, ann.7.
19. Gundoaldus, an.4.
20. Gando.
21. Vto, ann.6.
22. Vuiggernus.
23. Vuandelfridus.
24. Heddo, comes de Haßspurg, anno 8. obijt, anno Domini 780.
25. Aulidulphus, an.10.
26. Remigius, Alsaticus patria, an.20. obijt anno Christi 803. 13. calend. Aprilis.
27. Recho, cœnobium Aschole erexit, an. 8.
28. Vto.
29 Erlchardus, an.7.
30 Adelochus, an.10.
31 Bernoldus, præfuit an.7.
32 Vto, an.9.
33 Radoldus, obijt anno 878. præfuit an.7.
34 Grimoldus, an.7.
35 Radoldus 2. an.8. alij 10. moritur 11. calendas Decembris.
36 Regenhardus, an.12. mens.6. dormiuit sexto eidus Maij.
37 Baldramus aliàs Vualdramus, an.18. obijt pridie eidus Aprilis.
38 Otbertus, interemptus est, an.3.
39 Gotfridus, Caroli magni ex sorore nepos, mensibus 2. obijt 4. eidus Nouembris.
40 Richuinus, nobilitate præclarus, an.15. mens.6.
41 Ruthardus, ann.16. obijt anno 950. 17. calend. May.
42 Vto, sedit annis 15. minus tribus diebus.
43 Erckenbaldus, consecrator 17. episcopôn, anno Domini 964. præfuit an.3. obijt 5. eidus Octobris.

44. Bal-

44 Baldus, præfuit ann. 30.
45 Vuilderolfus.
46 Altuicus, ann. 8.
47 Vuernharius 1. præfuit annis 20.
48 Guilielmus 1. sub quo collegium iunioris Petri erectum est, circiter annum 1028. præfuit autem ann. 19.
49 Hetzelo.
50 Vuernharius 2. sub quo collegium S. Arbogasti extra muros Argentinenses erectum est, anno 1065. præfuit annis 14.
51 Theobaldus, an. 5.
52 Ottho, ann. 16.
53 Balduinus, mens. 2.
54 Cuno, an. 23.
55 Bruno, an. 1.
56 Gebhardus, anno 1130. claruit, præfuit annis 19.
57 Burckardus, an. 21.
58 Rudolphus, ann. 20. alij 17. præfuisse scribunt.
59 Conradus.
60 Henricus Billongus, annis 8. alij 16. præfuisse dicunt.
61 Conradus 2. ann. 12.
62 Henricus de Veringen, sedit annis 21. obij 5. eidus Martij, sepultus in capella sancti Andreæ.
63 Bertholdus, filius ducis Sueuiæ de Teck, ann. 15.
64 Henricus de Staheleck, ann. 22.
65 Gvualtherus.
66 Henricus de Gerolzeck, ann. 10.
67 Conradus de claro monte, à lanio occisus, anno 1299. 9. calend. Augusti, præfuit ann. 20. mens. 6.
68 Fridericus de Liechtenberg, ann. 6.
69 Ioannes 1.
70 Bertholdus de Bucheck, Danbacum & Bersam Argẽtinensis diœcæseos, mœnibus cinxit.
71 Ioannes de Liechtenberg.
72 Ioannes de Linie.
73 Lambertus de fonte.
74 Fridericus de Blanckenstein, an. 15.
75 Burckardus de Lutzelstein, an. 2.
76 Gulielmus 2. de Diesch, annos 44. circiter annũ Christi 1439. obijt pridie nonas Octobris, sepultus in oppidulo Molse.
77 Conradus de Busnang.

78 Robertus dux Bauariæ, anno Christi 1449. Sepultus Tabernis Alsaticis.

79 ALBERTVS BAVARVS, anno Domini 1478. à Sixto 4. PP. primos omnium beneficiorum fructus extorsit: migrauit V. Pater & princeps, 2. feria ipso D. Bernardi, circa horam 4. ante meridiem, anno 1506. præfuit an. 27. mens. 9. di. 5.

80 GVLIELMVS ex comitibus Honstein, homo literatus & dicasta, à studio pacis minimè aliènus, litium diremptor egregius erat: Quid enim gloriosius, quàm publicas offensiones moderatis consilijs & prudentia componere, sine cæde & sanguine? Electus est die 9. mensis Octobris, anno Domini 1506. Confirmatus Bononiæ 4. die Decembris à Iulio 2. pontifice Romano: Ordinatus in sacerdotem Tabernis Alsaticis, Dominica Reminiscere eodem anno. Idem vir integer, anno 1507. in festo D. Francisci applausu Argentoratensium introductus est: Quem comitati sunt viri illustres 19. vltimò tandem multis insumptis vigilijs & laboribus pro grege suo, vitam (laudabilis princeps) morte commutat, totius curiæ dolore: Præfuit & profuit an. 35. terrestre domicilium deseruit, ipso Apostolorum Petri & Pauli festo.

81 ERASMVS è familia illustri Baronum de Limpurg, integritate vitæ conspicuus, & præter absolutam eruditionem, exquisitæ diligentiæ: cuius pietas adfert non mediocre momentum ad glorificandum S. R. E. fidem, dum alit ac fouet, qui sterilibus agris non dedignantur inspergere semina doctrinæ catholicæ. Electus autem est, anno redempti orbis 1541. circiter festum D. Laurentij, Nostra tempestate feliciter præsidet. In cuius Principis clementissimi aula, viri insigniter docti plurimũ enitescunt: Quorũ primus CHRISTOPHORVS VVELSINGERVS Cancellarius, Sacratissi. LL. Doctor, & à consilijs, vir integerrimæ vitæ, quem ego (vt fas est) non secus & amo & colo meum parentem, quàm meas delitias, quàm deniq; ipsum meum Apollinẽ. Habet is egregius Doctor lateri proximum GEORGIVM VBELHERVM Secretarium Principis, virum multis egregijs laudibus ornatissimum: vt ex multis paucissimos recenseam, consultoque prætercam reliquos aulæ proceres, qui omnes, moribus ac vitæ probitate, admodum excellent, &c.

75 EVGENIVS I.

Romanus patria, ex patre Ruffiniano, circiter annum 650. Sedit ann. 2. (alij 3.) mens. 8. (alij 9.) dies 24. vacat sedes mens. 1. di. 28.

Carceres claustrales

Is PP. ad delicta clericorum punienda, carceres episcopis admisit. Habẽt adhuc Monasteria & collegia Ecclesiastica suos locos priuatæ

secessiones, hoc est, carceres claustrales, in quos relegantur monachi vel canonici aut vicarij ad pœnitētiam, pro suis criminibus commissis, peragendam. Sed temporibus nostris recentioribus tam rarus est horum carcerum (maximè in collegijs) vsus, vt ferè in ludibrium venerint delinquentibus. O tempora.

Sub eodē Eugenio 1. Cabilonēse conciliū in Gallijs celebratū est.

VITALIANVS, aliàs VITELLIANVS. 76

Campanus, Signensis prouinciæ, ex patre Anastasio, Constante imperante, circiter annum 656. alij ponunt 653. sedit ann. 14. men. 6. vacat sedes mens. 2. di. 13.

Regulam Ecclesiasticam ac rigorem (vt mos erat) omnimodè conseruauit.

Idem insignis templis cantum instrumentalem, figuralem, & organa introduxit. Musicę hucusq; fuit vsus in sacris, non vt inutilis voluptas, tanq̄ ludus quæreretur, sed vt cantu animi redderentur tranquilliores, excitarentur ad cogitandum harmoniam diuinæ gubernationis, flecterentur ad motus aptos doctrinæ cælesti, vt ille canit. Cantus instrumentalis

Musica diuini cecinerunt cantica vates,
Moses cum multis Christicolisq; viris.
Laudibus & sancti prælustria dogmata Pauli
Nos cupiunt summum concelebrare Deum.

Sic Dauid omnibus gētibus pacatis, religionis studia complexus, hymnos trimetros edidit, & cum his pentametros versus plurimos, qui sabbathis festisq; diebus sacris solennibus canerentur: adiecis his decachordem citharam, & nabla 12. vocum cymbala: adhæc ærea, grandia quidem & lata, &c. Sabellic. En. [illegible]

Musica turbatas animas, ægrumq; dolorem
Sola leuat, meritò diuumq; hominumq; voluptas:
Qua sine nil iucundum animus, nec amabile quicquam,
Ad cuius numeros superi vertuntur, & orbis,
Et cælo radiant ignes, quibus emicat ingens
Signifer, & leges præscriptaq; tempora seruant:
Hac Phœbus, Phœbiq; soror, duce & aurea cæli
Astra suos agitant constanti fœdere motus.

[illegible]

Concilia.

Toletanum 11. anno 4. Bambæ regis Hispaniarum.

Bracarense 3.

Constantinopolitanum, contra Sergium.

Rex Persarum cum vxore Cæsarea, & 40000. hominum Cōstantinopolim proficiscentes, baptizantur. Platina.

S. Ger-

S.Gertrudis. S.Gertrudis, filia ducis Brabantiæ agnoscitur.

Beda. V.Beda floruit.

S.Quintinus. S.Quintinus martyr, genere nobilis, ciuis Romanus, apud Ambianum vrbem sub Rictionario præside passus est, temporibus Diocletiani & Maximiani: circiter annum verò Christi 657. Pridie calend. Nouembris sanctæ animæ ergastulum, sedente in cathedra Vitaliano PP. leuatum est, Ambiani sepultus.

Eberschmünster. Sub Vitaliano & Dagoberto rege Francorum, erectum est cœnobium Alsaticum, vulgò Eberschē monster, ditissima abbatia Argentinensis diœcæseos, hac nostra tempestate præsidet feliciter industrius & perspicax D. Mathias Kolerus Sueuus, omnium studiosorum mecœnas.

77 ADEODATVS.

Romanus patria, vir religione & omni comitate præditus, monachismo addictus, temporibus Constantini Pogonati, circiter annum 667. sedit ann. 4. mens. 2. di. 5. vacat sedes mens. 4. di. 15.

78 DONVS.

Romanus patria, ex patre Mauritio, circiter annum 672. Sedit anno 1. (alij an. 2. alij an. 5.) mens. 2. di. 5. vacat sedes mens. 2.

Idem Donus PP. tantum doctrina & sanctitate vitæ adeò floruit, vt Rauennatum Ecclesiam iampridem à Romana segregatam, sedi Apostolicæ obtemperantem reddiderit.

Idem, clerum in varios ordines distinxit.

Atrium Petri marmore strauit.

Templa ædificijs ornauit.

Sergius hæreticus. Sub hoc, conuocata est synodus Constātinopolitana sexta (alij ponunt cœptam sub Agathone, sub Leone verò 2. absolutam) cōtra Sergium & consectarios. Qui impiè docuerunt vnam voluntatem & vnam operationem in dispensatione incarnationis Domini nostri IESV CHRISTI.

Cap. 61. de sortilegis damnandis. Hæc eadem sancta synodus anathemate percussit, vniuersas dæmoniacas operationes. Hic iam ingens quæstio & rixa inter doctos occurrit, quam placet discutere breuibus, quantumuis extra sepes, & est hæc.

An Sagæ sint comburendæ.

Veneficæ mulieres v. cōburendæ. Exurgunt multi boni viri zelo Dei commoti aduersus sagas, qui eas, quum certo constet eas & mente & corpore alicui dæmoni peculiariter se deuouere, à Christi fidelium consortio excludendas, & tanquam zizania à tritico segregandas, igneque comburendas esse,

existimant. Et sanè multis in locis, ignis supplicio afficiũtur. Sũt econtra non parũ multi, qui misericordia moti sagarũ causam agere, easq; tutari conantes, nimium immisericorditer cum sagis agi contẽdunt. Dicunt enim, Sagas in hoc quod dæmoni se obligant, à corpore Christi rescissa quidem membra Christi & Ecclesiæ alumnas fuisse. Iam quoniam Ecclesia nulli pœnitẽti peccatori, etiam maximo, gremium claudit: iniquum esse dicunt miseris mulierculis pœnitentiæ locum negare. Nec obesse, quod dæmoni se dicauerint (si modò pœniteant) quum sæpe multorum aliorum, qui sathanæ se tradẽtes & resipiscentes, suique delicti pœnitentiam agentes, ad Ecclesiæ misericordiam confugerunt, vitæ parcitum sit. Quin & necromanticos (qui & ipsi ex professo cum dæmonibus commercium habent) respicientes, gratanter sine vllo vitæ aut etiam corporis dispendio, ab Ecclesia recipi. Replicant sagarum aduersarij, sagas non ob id comburi quòd dæmoni se deuoueant, sed quia reipublicæ perniciosæ admodum existunt, homines & iumenta lędendo, fascinando, & innumera mala inferendo. Respondent sagarum tutores, hanc notam miseris mulierculis preter meritum inuri, quum certum sit eas huiusmodi facere non posse, & certissimum sit, hæc à diabolo (Deo permittente) hominibus contingere. Instant sagarum aduersarij, dicentes. Etsi nemo dubitet ea dæmonum ope hominibus mala inferre, tamẽ dæmones sagis ceu instrumentis vti, sagas item sibi persuadere se hæc efficere, sicque si non potestate, saltem animo ardẽtissimo, quo perniciem hominum quærunt, meritò extremo supplicio afficiendas esse, quum in magnis & voluisse sat sit. Huiusmodi verò disceptationes de sagarum combustione, aliquando doctos viros inter se disceptare memini.
Iam verò vtri parti nobis assentiendum? Certè, pessimas istas mulieres extinctas potius, quàm viuas esse conducibilius arbitramur, cum propter multas alias, tum potissimum hanc ob causam. Si tanta facilitate ipsis ignosceretur, iam omnes anguli essent referti sagis, daretur ipsis occasio. Et si tantus iam est maleficarum numerus, quantumuis clam, quis non credat plures futuras esse, si tanta indulgentiæ fenestra ipsis largiretur? Et certè nulla de causa non censendum est, moueri tot graues viros, qui sagas igne tam inhumaniter absumendas præcipiunt. Quòd si nulla in ipsis inueniretur mortis causa, tamen vel hæc vnica sufficere mihi videretur, quòd cum dæmonibus rem habent, Exodi 22. sic scriptum legimus, Qui coierit cum iumento morte moriatur. Et Leuitici 20. Qui cum iumento & pecore coierit morte moriatur. Vtrum autem sit grauius delictum cum iumento coire aut cum dæmone, quis

quis non videt? Postremò sagas vltimo supplicio, precipueq; igni ab sumendas esse, vel ex vnico Paulo conuinci potest. Sic enim S. Pau-
1.Corint.6. lus scortatores alloquitur, dicens. An nescitis quod adglutinatur scorto, vnum corpus efficitur cum scorto? Ex istis verbis Pauli facilè colligitur, omnem concumbentem vnum corpus effici, cum eo cum quo concumbit. Maleficæ igitur cum dæmone concumbentes dæmonicæ fiunt, dæmonum autem supplicium à Deo ipsis destinatum ignem esse quis nescit? Sed ne temerè locutus fuisse videar, audiamus de hac disceptatione Doctissimum Tritenhemium, Abbatem Spanhemensem. Is πολυγραφίᾳ, quæstione quinta, postq̄ sagarum maleficia enumerauit, sic infert. Vnde non sunt vspiam tolerandæ, sed potius in omni loco funditus exterminandæ, omniū creatore sic præcipiente, Maleficos non patieris viuere, Exodi 22. hæc ille. Ex hijs clarum factum esse arbitror sagas iustè comburi. Atque vtinam corpora solum igne absumerentur, animæq; Christo miserante, hoc igne purgatæ saluæ fierent. Quod faciat ille, qui potens est omnes seruare à peccato immunes & statuere in conspectū gloriæ suæ incontaminatos: Cui soli seruatori nostro gloria & magnificentia nunc & in omnia secula. AMEN.

79 AGATHO.

Siculus patria, ex monacho pontifex creatur, circiter annum 673. vir adeo mansuetus & benignus, vt vniuersis hilaris & iucūdus comprobaretur, & tantæ sanctitatis, vt leprosum obuium factum osculo suo statim liberauerit. Sedit an. 2. mens. 6. dies 4. vacat sedes an. 1. mens. 5. vide Blondum lib. 9.

Concilium Toletanum 12. circa hæc tempora, anno primo Erinsgi regis.

Pestis vnde nascatur. Pestilentia ingens ROMAE orta: Emanat autem nasciturq; pestilentia frequenter ex immenso frigore, & immenso calore, ex infectione animalium, aquarum, ex corruptione aëris, sæpenumero aliunde, vtpote ab vtero matris vti hæreditario, conditione vel complexione corporis, malo regimine vitæ, dispositione loci & terræ, cæli, fructuum & frumentorum, hocq; genus rerum aliarum.

80 LEO 2.

Siculus patria, ex patre Paulo, vir in humanis & diuinis scripturis sufficiēter instructus, Græca & Latina eruditus lingua, pauperum amator. Sedit mens. 10. di. 17. vacat sedes mens. 11. di. 21.

Pallium. Is Leo 2. Pallia gratis danda censuit. Quòd pallium Archiepiscopis datur, institutum est non nouum iampridem natum, nec sub tempore Paschalis, qui vixit circa annum Domini 822. inducta est Pallij receptio.

receptio. Sed res est, qua vsi fuerunt Romani pontifices etiã dudum ante tẽpora Leonis 2. Quod certè probant ea quæ scripsit Gregorius Magnus ad Maximum episcopum Solonitanum Græcum, Sebastianum, Risinum: De Pallio Anastasio patriarchæ Antiocheno misso, dein ad episcopos Dalmatiæ aduersus Ioannem Rauennæ episcopum, ad Virgilium episcopum Arelatensem Brunichildem reginam Francorum, Leandrum Hispaniarum episcopum, quæ omnia in secundo, quarto & septimo registrorum Gregorij libris inuenies. Et Ioannes quintus pontifex Roman. ante octingentos annos librum scripsit de Pallij dignitate. Ex quibus omnibus manifestum est vsum Pallij rem non esse nouam. Sed nemo hic putet quòd tyrannicã exactionem tueri velim. Semper enim Simonem magum illum Samaritanum, omnesq; simul Giezitas, odi.

Idem PP. Pacem dare post Agnus Dei, statuit. Datur autem quadruplex hominibus pax propter quadruplicem discordiam: Prima erat inter Deum & homines, propter præcepti transgresionem. Secunda, inter angelos & homines, propter Adæ & Heuæ eiectionem, Pax post Agnus Dei. cuius meminit Gregorius, dicens. Quando extranei eramus à Deo, extraneos nos angeli deputabant. Tertia, inter homines & homines, propter diuersarum legum æmulationem. Vltima, inter carnem & spiritum, propter mutuam altercationem, primò enim spiritus corrupit carnem, & nunc caro corrumpit spiritum.

Idem, anathematizauit Macharium Antiochenum episcopum & consectarios, volentibus vnam tantùm in Christo voluntatem fuisse.

BENEDICTVS 2. 81

Romanus patria, vir in rebus diuinis doctissimus, cuius vita concordabat cum nomine. Sedit an. 1. menses 10. Alij ponũt men. 12. vacat sedes mens. 2. di. 15.

Is electionem pontificis liberam à Constantino impetrauit.

IOANNES V. 82

Syrus natione, vir singularis religionis & mansuetudinis, Constantino Pogonato Imperat. circiter annum 685. sedit an. 2. alij ponunt annum vnum. vacat sedes. di. 2.

Idem, summum pontificẽ consecrari ab Ostiensi, Portuensi & Veliterno episcopis, voluit. Consecratores Papæ.

CONON vel ZENO. 83

Thrax natione, vir deuotus, qui nunquam se causis ac actibus secularibus immiscuit. Sedit, imperante Iustiniano, mens. 11. vacat sedes menses 3.

S. Kilianus, cælestis sapientiæ præco, claruit anno 688. S. Kilianus.

Sub eodem PP. Pertharis rex Longobardorum Italiæ præfuit.

84 SERGIVS I.

Antiochenus patria, vir magnæ sanctitatis, circiter annum 681. adijciunt alij annos 8. Sedit ann. 13. ponunt alij annos 14. vacat sedes mense 1. di. 20.

Agnus Dei, Missæ adijcitur. Idem, AGNVS DEI Missæ adiecit. Quod tamen institutum Cornipolitanus Leoni 2. adscribit. Dicitur autem Agnus Dei, magis quàm Iesus vel Christus in sacratißima illa Missa ch.

Primò propter veritatis repræsentationem factam in immolatione agni paschalis. Secundò, propter veritatis prænuntiationem oraculi prophetalis: Emitte agnum dominatorem de petra deserti. Tertiò, propter veri Agni ostensionem digito præcursoris. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Quia igitur Christus in hoc sacrificio immolatur, qui fuit in lege per Agnum figuratus, sub nomine Agni prophetatus, à Baptista demonstrante Agnus appellatus, conuenienter ad horum rememorationem, & fidei testificationem, dirigitur oratio ad Christum sub nomine Agni, sub quo tutupliciter figuratus est, prophetatus ac demonstratus: reliqua vide in meo Tyrocinio nuper diuulgato.

Cedoaldus rex conuertitur. His diebus rex Anglisaxonum Cedoaldus, ad Christum conuersus est, & tendens Romam, à B. Sergio PP. baptizatus, Petrus nominatus est: Is adhuc in albis existens, vitam temporalem finiuit, recepturus à Deo sine fine perpetuam.

85 IOANNES VI.

Circiter annum 690. Græcus natione, sedit an. 3. vacat sedes mense 1. di. 19.

Hac tempestate Saraceni occupata Lybia & Aphrica, transmisso Atlantico freto, omnes Hispanias, præter Astures & Cantabros, occuparunt.

Floruerunt.

Strabo } V. Bedæ fratres.
Haymo }

86 IOANNES 7.

Græcus natione, sedit an. 2. ponunt alij annos 3. mens. 7. dies 8. vacat sedes mens. 3.

Isti duo Ioannes 6. & 7. vitæ integritate conspicui extitere: Quorum vnus martyr. Alter oratorium B. MARIAE construxit.

Cœnobiũ S. Mathiæ Treuericẽ. S. Matthiæ magnificum extra muros Treuerenses cœnobium monachorum Benedictini instituti, inchoatum est circiter annum Christi 700.

Sosi-

SOSIMVS qui & SISINIVS. 87

Syrus natione, sedit di. 20. vacat sedes di. 17.

CONSTANTINVS I. 88

Natione Syrus, circiter annum Christi 700. Sedit ann. 7. adijciunt alij di. 15. vacat sedes mens. 2.

Is PP. statuit ne imperatoris hæretici nomen publicis aut priuatis scriptis reciperetur.

Sub Constantino 1. PP. celebratum est concilium Toletanum 13. anno 4. Eringij regis.

Huic pontifici Romano Iustinianus Imperatorum primus Constantinopolim venienti pedes osculatur. Mos deosculandi pedes pontificum, ne longè exempla petamus, à Christo præceptore nostro cœpit. Is summus sacerdos & pontifex maximus tulit, vt mulier quę erat in ciuitate peccatrix, sicut testis est Lucas, sibi pedes primum flens lachrymis rigaret, capillisq; tergeret, ac deinde deoscularetur, veluti apud Hebræos mos fuerat Christos Domini venerari.

Pedes pontificũ deosculãdi mos vnde manarit.

Philippus Bardesanes 70 imperator, occiso Iustiniano & Tiberio eius filio, in hæresim Homousij lapsus, à Constantino pontifice Romano scismaticus declaratur, Sabellicus 8. lib. 7.

S. Osvualdus claruit, circiter annum 705. temporibus Tiberij 3. S. Osvuald.

Cella Monachorum, hodie Ethonismonasterium, Benedictini instituti, vetustissimum cœnobium ad Nigram syluam prope Kentzingum non procul à Rheno situm, fundatum legitur circiter annum Christi 700. à Vuiggero, vel Vuigerno episcopo Argentoratensi.

Ethonismonasterium.

GREGORIVS 2. 89

Romanus patria, ex patre Marcello, circiter annum Christi 708. vir diuina scriptura eruditus, facundus eloquentia, constans animo, ecclesiasticorum dogmatum defensor, & contrariorũ fortissimus impugnator, imperante Leone iconomacho Imperatore. Sedit ann. 16. mens. 8. di. 20. alij ponunt an. 17. mens. 9. di. 12. vacat sedes di. 15.

Sub Gregorio 2. synodus Augustæ Vindelicorum celebrata est, circiter annum 710. huic interfuit S. Bonifacius.

Idem PP. multos Germanos baptismi causa venientes ROMAM suis manibus baptizauit.

S. Bonifacius Apostolus Germaniæ, hisce temporibus Archiepiscopus Moguntinus, ætatis suæ 60. circiter annum Domini 755. à Frisijs occisus est, Sabellicus En. 8. lib. 7. S. Bonifacius

Is idem Gregorius 2. Leonem 3. Imperator. fanatico spiritu percitũ, per literas admonuit, vt omissis quorundã improborũ erroribus, verã tandẽ amplexus religionẽ, abolere diuorũ imagines desineret.

Imagines sacras Leo 3. Imp. aboleuit.

Cœnobium Murrbacēse

Murrbachiū, vel Mortvuegium, antiquitus verò peregrinorum viuarium dictum, cœnobium Benedictinæ professionis, in superiori Alsatia, ad montana Vosagi situm, fundatum legitur anno 724. alij 730. Præsidet hoc nostro seculo illustris & pientissimus princeps IOANNES RVDOLPHVS Sthor, liberalitatis & doctrinæ dotibus Reuerendissimus.

Augiadiues

Augia diues, vulgò die Reichalo, olim Sindleosana, fundatur anno Christi 724. à S. Pirminio episcopo.

Gēgebacēse cœnobiū.

Gengebacum cœnobium transrhenanum prope Nigram syluam, extructum est hac tempestate, circiter annum Christi 724. Cœnobitis hodie summa cum laude præest abbas GISBERTVS, studiosorum omnium mecænas, verè pius & integritate vitæ conspicuus.

Inundatio maxima ROMAE illis temporibus: similis inundatio sub Pelagio 2. similis item, sub Clemente 7. anno Domini 1530. die 8. Octobris. Similis inundatio Tyberis Romæ visa est anno 1557. die 14. Septembris, circa tertiam horam post meridiem.

90 GREGORIVS 3.

Syrus natione, ex patre Ioanne, vir mitissimus, profundus in diuinis scripturis: Græcè & latinè eruditus. Sedit an. 10. mens. 8. alij ponunt an. 9. di. 25. vacat sedes di. 9.

Iconomachi & Iconoclastæ condemnati.

Is PP. ROMAE synodum celebrauit, in qua prope M. interfuisse leguntur episcopi, vt Pighius scribit. In hac Leonem Imperatorem (nunq̄ enim sibi constans græca leuitas & mobilitas) cum suæ impietatis assertoribus, Ecclesiastico anathemati subiecit, & pestem illam Iconomachorū à Feliciano circiter annum 374. resuscitatam, & damnatam in synodo Constantinopolitana, sub Theodosio seniore atro carbone notans, Ecclesiasticæ censuræ mucrone iugulauit, circiter annum 718. Hanc Felicianæ hæreseos progeniem (hisce deploratissimis temporibus) mundi huius magnipotens dux ac deus Satan è vasto pelagi gurgite emisit in orbem, per satellitem suum Carolstadium, qui propterea proscriptus est ex Saxonum limitibus, sollicitante Luthero diro apostata, is vel in hac parte probè sensit, pro viribus hæresi Felicianæ restitit: Verba Lutheri contra Carolstadium hæc sunt. Imagines (inquit) rememoratiuas aut testimoniales, sicut sunt imagines crucifixi & sanctorum, probatum est esse tolerandas, etiam in lege, & non solum tolerandas, sed quamdiu memoria & testimoniū in eis durat, tūc sunt laudabiles & honorabiles, sicut statuæ Iosuæ & Samuelis, hæc Lutherus. In eo quoque Cinglici suam insulsitatem apertius etiamnum produnt, emotæ mentis homines, cum garriūt. An non videtur magna ebrietas, quādo totus

Felicianus error nouiter reductus & retectus.

orbis

orbis abominabilissimas abominationes manibus ac pedibus amplexatus est. Adde quod contra tam apertissimas scripturas, tam scripturæ quàm Patrum, orbis illas recipit: quales sunt, diuorũ cultus & inuocatio, statuarũ sumptus & veneratio: hæc illi. Quapropter ne ignaui ac desides Epimenidis (quod aiunt) somnum dormire videremur, vtq; ocij rationẽ aliquam darẽ, paucis quo antidoto cõtra impios Capharnaitas Iconoclastas vtatur Ecclesia me expediam. Nec propositũ nobis, pio lectori fucum, quod hoc hominum genus facere videtur, ambitiosa vtilibus præferẽtes, & fatuis ac mediocribus tumida & grandia, parati enim sumus juxta aut quæ studio ac diligentia adsecuti sumus, candidè omnibus impertiri, aut quæ nescimus, ab alijs ingenuè discere. Porrò quo magis studium nostrum agnoscas lector, gratuita hæc est omnis synceraq;, non seruilis aut mercenaria; quandoquidẽ non eo huc animo cõcessimus, vt lucrũ aliquod ex hoc labore atq; ocio potius, stipesq; colligeremus, sed vt omnes & singuli haberent quo se tuerentur aduersus nouitios Vualdenses & Iconoclastas. FORMVLAM FINGENDAE similitudinis Dei, quo eius memoriam facilius animo cõplecteremur, ipsemet Deus refrigerium animarum nostrarũ premonstrauit: Licet enim gẽs Iudæa esset propensior in eidololatriam, tamen imagines aliquas Deus eis præcepit Exodi 25. & Num. 21. loquutus est Dominus ad Moysen, fac serpentẽ æneum, pone eũ pro signo. Fuit autẽ Nehas Ha Nchoseth datus, vt signum diuinæ potentiæ, donec veniret longo post tẽpore Christus seruator, qui, vt Apostolus ait, Dei imago est. Quòd verò Ezechias serpentem destruxerit æneum, quem antea Moyses ex mandato erexerat, causa fuit populi huius eidololatrantis abusus, siquidem adolebant ad tempus illud vsq; filij Israhel incensum, vnde si cõstaret de abusu alicuius imaginis, illa deberet aboleri: Ne ergo hominum fides infirmaretur, & post hac citius declinaret, ad pristinum cultum populum turpiter lapsum reducens, sustulit serpentem, non quia imago, sed quia iudæi adorabant. Simili modo in suis edictis stimularunt imaginis cultum (quamuis Nicenæ synodi auscultatores comprobassent definitiuam sententiam) Valens & Theodosius Augusti Imperatores, ne abusus seu eidololatria, aut totalis auersio conspurcaret agrum Dominicum, ad hunc modum scripsere præfecto prætorio. Cum sit nobis cura diligens in rebus omnibus superni nominis religionem tueri, signum saluatoris Christi nemini quidem concedimus, coloribus, lapide, aliaue materia fingere, insculpere aut pingere, sed grauissima pœna eos mulctando qui contrarium decretis nostris & imperio quicquam tentauerint, &c. Nam quẽadmodum

[Margin notes: Imaginum vsus. — Hoc est, serpens æneus. — 4. Reg. 18.]

imaginum exuperans cultus eidololatria est, ita iconoclastarum pertinax detestatio hæresis est. Sic etiam quemadmodum reliquiarum abusus execrabile scelus est, ita earundem irreuerentia detestanda hæresis est, quæ quondam à Vigilãtio Gallo progenita, ab Hieronymo profligata, nunc rursus vna cum imaginum expugnatoribus repullulascere apud Germanos quosdam incipit. Instruunt itaq; imagines simplices, quia in ipsis ignorantes vident quid sequi debeant, atq; in hijs legunt, qui literas non didicerunt, quibus conspectis ad Dei contemplationem trahuntur, non discriminantes pietatis partem ab impietate: Admonent inquam scientes, afficiunt omnes, prosunt. Dum enim intuemur imaginem crucifixi aut Christi resurgentis, statim reuocantur nobis in memoriam (animus enim monitor) saluifica mors Christi, & gloriosa eius anastasis seu resurrectio, quarum rerum memoria vtilis est & pernecessaria. Et quis tam dissolutus, tantaq; audacia præditus est, qui velit possitue dubitare seu aliter somniare vel cogitare de imaginum cultu, quàm demum sit tot longè sanctissimorum decreto constitutum? Quis nescit, Niceæ factum esse conuẽtum trecentorum quinquaginta (alij 18.) episcopôn, sub Constantino Pio, & ad hunc ex omni terra viros sanctos & eruditos confluxisse, vt semel

Euseb. lib. 7 decerneretur, essentne diuorum imagines templis restituendæ, aut res in omne tempus abolendæ? Sed quia inter cunctos satis constabat, Deum ab initio simulacrorum fingendorum præmonstratorem fuisse, ac postea statuas ipsas tam Deo quàm hominibus preclaris positas, partim causa memoriæ eorum retinendæ, partim incendendi ad virtutem animum illorum per imagines, admiserunt ima-

Anno Domini 334. gines: Cuius synodi decreta sequens schediasma clarè exprimit.

Nam Deus est quod imago docet, sed non Deus ipsa.
Hanc recolas, sed mente colas, quod cernis ipsa.
Effigiem Christi cùm transis pronus adora,
Non tamen effigiem sed quod designat honora.

De sanctitate verò Nicenæ concilij S. Gregorius ita memorat.

Concilia 4. velut 4. euãgelia recepta. Sicut sancti Euãgelij quatuor libros, sic quatuor cõcilia (Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalsedonense) suscipere & venerari me fateor, hæc tota mente complector, integerrima approbatione custodio, quia in ijs, velut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgit, & cuiuslibet vitæ cõmunis atq; actionis norma consistit, &c. Hinc igitur natũ, vt meritò tam ipsi Seruatori, quàm eius

Imagines Christi & diuorũ quare in tẽplis ponantur. sanctis statuas, & in tẽplis poni, & venerationi haberi consueuerint catholici. Ac quoniam eiusmodi diuorum memoria vt certo exẽplari præ oculis posito, quam nobis imagines iugiter representant, ad virtutem

tutem & imitationem excitantur homines,atque imaginis honor,vt Basilius inquit, ad exemplaris transfertur honorem, idcirco patres eam consuetudinem non modò admiserunt, sed etiam authoritate sextæ synodi,quæ Constantinopoli habita est,imperantibus Constan tino & Iustiniano II.ipsius Constantini filio,vt in decretis Canon. pa tet,confirmarunt:vt scilicet imagines sacræ diuorum in templis ha- berentur,magnaq; veneratione colerentur,vtpote quæ imperitiori- bus loco sacrarum literarum forent. Sed audiamus quid veteres de imaginum vsu senserint.Eusebius (lib.1.cap.13.)refert Christon mi- sisse imaginem faciei Abgaro Edessenorum regi: postq̃ is resciuerat Abgarus, ἰησοῦ (qui Christus est)metaphysica & supernaturalia ex- ercuisse inter suos, scripsit ad eũ(tenebatur enim grauissimo morbo) suppliciter rogitans,vt se sanatũ veniret,cui Seruator per Ananiam tabellarium,qui Abgari literas tulerat respondit,se postq̃ assumptus esset missurum vnum ex suis discipulis,qui postea officium erga Ab- garum præstaret: Interim dum Toparcha expectando nuncium sa- lutis,iam moræ haud satis patiens,decreuit mittere zographum, qui formam eius fingeret deliniaretq;,sed pictor cum ob vultus splendo- rem id efficere nequisset,fama est ad faciem sudariolum seu lintheo- lum(asseruatur Genuæ in fabrica S.Bartholomei)admouisse, & illi suam effigiẽ impressisse diuinitus,atq; mox misisse ad Abgarum,quo pium regem consolaretur,hæc Eusebius,claruit anno 341.

Et constans opinio est,Lucam Ecclesiasticum pictorem pinxisse in tabellis aliquot figuram παρθένου deiparæ qua illa erat,quæ hodie Pa tauiæ in collegio S.Iustinæ virginis,tã sanctissimè custoditur, quàm religiosissimè colitur,&c̃.

Christum seruatorem nostrum, Petrum item & Paulum effigia- tos fuisse à veteribus Christianis,testatur item Eusebius noster histo- riæ suæ lib.7. cap. 14. & ait: insignia veterum reseruari ad postero- rum memoriam,illorum honoris,horum verò amoris indicium est.

Apud Alexandriam,crucis Dominicæ signum vnusquisq; in posti bus,in ingressibus,in fenestris,in parietibus,columnisq; depictũ ha- bebat.Histor.Eccle.lib.11.cap.29.

Credo(ait Augustinus de consens.Euangel. lib.1. cap.10.) quod (ethnici)pluribus locis simul Petrum & Paulum cum Christo pictos viderunt,quia merita Petri & Pauli,etiam propter eundem passio- nis diem,celebrius & solenniter Roma commendat.

Signum venerandæ crucis in altario positum,& in summa vene- ratione à Christianis habitũ,apparet ex Tripar.histor.lib.2.cap.19.

Iulianus Apostata,crucis signo frontem signans, dæmonem abe-

git, etiam nolens: vide, Tripart. histor. lib. 6. cap. 1.

Et diuæ Mariæ Virginis imaginem apud Christianos honorificè habitam, apparet ex Tripartitæ historiæ lib. 9. cap. 9.

Habent Christianorum arcana (inquit Augustinus de visitatione infirmorum lib. 2. cap. 3.) illius Dominicæ crucis, quasi quoddam venerabile monimentum, quod de crucis ipsius imaginatione crucem cognominauit, quod & nos enim veneratione dignissimum fatemur, & ad recordationem crucifixi veneramur, hæc ille.

Vidicta Dei in pictorem blasphemũ. Cum pictor quidam pingere Saluatorem secũdum similitudinem Iouis præsumpsisset, arefacta est manus eius, quem peccatum suum confessum, sanitati pristinæ restituit Gennadius episcopus Constantinopolitanus, vide Historiam Ecclesiasticam Nicephori sub Leone Imperatore pag. 600.

Vsq; adeo de cruce non erubesco, vt non in occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem, inquit Augustinus in Psal. 141.

Interrogare cæpimus (inquit Constãtinus Imperator, in confessione suæ fidei) Syluestrum, vtrum ipsorum Apostolorum (Petri & Pauli) imaginem expressam haberet, vt ex pictura disceremus, hoc est, quod reuelatio docuerat. Tunc idem venerabilis pater imagines eorundem Apostolorum per diaconum suũ exhiberi præcepit, hæc ille.

Gregorius magnus lib. 7. epistol. 53. ad Secundinum seruum Dei inclusum, sic scribit. Scio quidem quod imaginem Saluatoris nostri non ideo petis, vt quasi Deum colas, sed ob recordationem Filij Dei in eius amore, cuius te imaginem videre consideras. Et nos quidem non quasi ante diuinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus quem per imaginem, aut natum, aut passum, sed & in throno sedentem, recordamur: Et dum nobis ipsa pictura quasi scriptura ad memoriam Filij Dei reducit, animum nostrum aut de resurrectione lætificat, aut de pasione demulcet.

Idem S. Gregorius mag. lib. 7. Epist. 109. ad Serenum episcopum Massiliensem scribit, pterea indico dudũ ad nos peruenisse quod fraternitas vestra quosdam imaginum adoratores aspiciens, easdem Ecclesiæ imagines confregit atq; proiecit, & quidem zelum vos, ne quid manufactum adorari posit, habuisse laudauimus: sed frangere easdem imagines non debuisse iudicamus: idcirco enim pictura in Ecclesijs adhibetur, vt hi qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant quæ legere in codicibus non valent: Tua ergo fraternitas & illas seruare, & ab earũ adoratu populũ prohibere debuit: quatenus & literarũ nescij haberẽt vnde scientiam historiæ colligerent: & popu-

& populus in picturæ adoratione minimè peccaret, hæc Gregorius: claruit anno Domini 600.

D. Hieronymus, de Paula Romana muliere, in hæc verba prorumpit. Quę cuncta loca tanto ardore ac studio circumiuit, vt nisi ad reliqua festinaret, à primis nō posset abduci: prostrataq; ante crucem quasi pendentem Dominum in cruce cerneret, adorabat. Ingressa sepulchrum, resurrectionis osculabatur lapidem, & ipsum corporis locum, in quo Dominus iacuerat, quasi sitiens desideratas aquas, fideli ore lambebat. Paula.

Et Beda inquit, Imagines Dei fieri in Ecclesia Domini, nulla diuina litera vetuit.

Quia non omnes norunt literas (inquit Damascenus de fide orthodoxa, lib. 4. claruit anno 496.) neq; lectioni incumbunt, patres nostri censuerunt, veluti quędam trophęa, hæc in imaginibus repræsentare ad promptam memoriam, hæc ille. Quid obsecrò hisce verbis dilucidius, clarius ac manifestius esse posset? Iam verò quis nescit Deum opt. max. pręcepisse adorare scabellum pedum eius? vt consultò prætercam arcum fœderis in nubibus cæli, Geneseos nono capite. Phase, Exod. 12. Virgam, Num. 17. tabulas, Exod. 40. Mannā, Exodi 16. lapidem Iosue, Iosue 24. lapidem Samuelis, 1. Sam. 17. & reliqua signa à Deo nobis relicta & præfigurata.

Dominus mulierculam fluxum sanguinis patientem tanta veneratione passus est à tergo fimbriam inconsutilis tunicę tangere, perinde q; exosculari, Nunquid & hæc inanimata creatura? &c. Matth. 9.

Sic Lactantius manifestè demonstrat, quàm maximè aberrent illi, qui post intuitū imaginis nō protinus dirigunt mentem ad Deum, inquiens, Vestes igitur, gemmas, & cætera quæ habentur in prætio, si quis putat Deo chara, is planè quis sit Deus nescit, ni putat voluptati esse res eas, quas etiam homo si quis contempserit, iure laudabitur, hęc ille.

Quòd verò cruces, vexilla, circa dies Paschales in templis eriguntur, id ea de causa fit, vt triumphus Christi, qui à morte insigniter resurrexit, solenniter repræsentetur, nam quemadmodum ethnici signa militaria quę deuicto hoste cepissent, vt certa victorię signa, in triumphis portabant, referebātq; inter cætera honorum monumenta. Sic nos Paschali tempore, vexilla in sacrorum pompa deferimus, in templisq; suspendimus. Quo quidem tempore rex ille noster fortisimus Sampson, Ionas & Leo Iuda mortis contractibus viribus, pede cōculcans tartara, soluit à pœna miseros, victorq; de funere surgens triumphauit pompa nobili. Hanc etiam crucem ceu ipsius humanæ instau Iudicum 16. Ionas 2. Apocaly. 5.

rationis

rationis inſtrumentum priſci illi ſuſcepta fide Chriſtum, vt par eſt, ar bitrantes Deum eſſe, debita veneratione proſecuti ſunt, ſuis omnibus inſignibus prætulere, vti ſalutare ſignum extollentes, quod & idem Imperator Conſtantinus & ſibi & exercitui supernè monitus impreſſit, anteq̃ victoria contra Maxentium potiretur, labarumq; in Chriſti crucem commutauit, de quo ſigno & Caſsiodorus & Ruffinus me minere. Atque Aurelius Prudentius contra Simmachum tali carmi ne. Chriſtus purpureum ſignati textus in auro. Signabat Labarum. Quid autẽ ſit non temerè fortaſſe reperies, præter q̃ apud vnum Sozomenem in hiſtoria. Bellicum enim ſignum prodit inter alia precio ſiſsimum, quod & præcedere Imperatores & à militibus adorari ſolebat, mox commutatum à Conſtantino in ſignum crucis fuiſſe. Quod poſtea ſignum crucis Theodoſius (vt in codice iuris ciuilis eſt) in ſolo vel in ſilice, aut in marmore humi poſito inſculpi, ne hominum pedibus tereretur, lege prohibuit.

Labarum quid.

Nec hic Romani, gentiles olim, prætereundi ſunt. Hi orbis domini quondam & virtutum amantiſsimi, autoribus Q. Maximo & P. Scipione, morituri iubebant, ſuas & rerum quas pręclarè geſſerant imagines in loco editiore erigi, vt poſteri illa videntes, ad eaſdem vir tutes prouocarentur, vtpote non inſcij exempla maximè ad vitæ inſtitutionem conducere, quod & illi planè experiebantur, cum vel ſibi ex maiorum imaginum intuitu vehemẽtiſsimè animum ad virtutes accendi videbant: Non tamen ſtatuas (ab hominibus fuſas aut ſculptas) æreas, metallicas, cedrinas, vitigineas aut Tiliaceas, tantam in ſe habere vim aſſerimus, ſed memoriam rerum geſtarum eam flammam egregijs viris in pectore creſcere, ſecundum illud Socraticum.

Salluſt. in proc. belli Iugurthi.

ὧν τὰς δόξας ζηλοῖς, μιμοῦντας πράξεις.

Id eſt, Quorũ æmularis gloriã, eorũ res geſtas imitare.

De imagine memoratiſsima Ialyſi, Protogenis manu factã, meminit Plin. natur. Hiſtor. lib. 35. cap. 19. & Gellius Nocti. Attica. lib. 15. cap. 31. erat autem hæc erecta in laudem egregij Ialyſi, iuxta illud.

Ζῆτε σαυτῷ δόξαν ἐγκαταλιπεῖν.

Marcilius Acilius Glabrio duumuir, ſtatuam auratam in memoriam patris Glabrionis poſuit, T. Liuius decad. 4. lib. 10.

Sic Mercuriales illę ſtatuæ quondam, & nunc ferreæ iſtæ aut ligneæ manus, quas crucibus in biuijs affixas videmus, indicant viatori, qua vertendum ſit iter, ſunt enim planè τεκμήρια, id eſt, indicia ſeu ſigna.

Sic Artemiſia luctu atq; deſiderio mariti Mauſoli flagrans, molita eſt ingenti impetu operis, conſeruandæ mariti memoriæ cauſa,

sepulchrum illud memoratissimum manibus Mausoli dicare, Gellius lib. 10. cap. 18. Strabo lib. 14. Mela lib. 1. Plinius lib. penultimo cap. 1. Herodotus lib. 7. Lucanus lib. 8. &c. Nec existimandum hic, quòd statuas gentilium sanctorum in cælo triumphantium imaginibus comparare velim. Nos Christianos non debent gentilium exempla ad æmulandum adducere: sed eorum, qui purè ac germanè Christum exprimunt, potissimum Christi ipsius crux salutifica qui nos per hanc ad se inuitat, 1. Ioan. 13. Si quid verò est inter gentiles probè, mitè, piè, sanctè actũ, tantò nos excellentius præstare conuenit, quantò excelsior est nostra conditio, qui baptizati sumus, lustratiq; sanguine illius, quem Pater dedit instauratorẽ priscæ perfectionis, qua non longè ab angelis discedimus.

Imagines sanctorum in cælis triumphantium, in hodiernum vsq; diem venerantur Moscouuitæ, vide commẽtarios D. Sigismundi Liberi, Baronis.

Etiam extremi populi crucis figuram obseruant, id quod confirmat Franciscus Fernandes Cordubensis, scribens in hæc verba. Hi (Iucatanæ insulæ inhabitatores) templa frequentant, summa fide negociantur, imaginem crucis venerantur & ornant, cùm interrogantur, vnde id habeant, per interpretes respondent, transijsse aliquãdo hominem quendam formosissimum per eos tractus, qui eis id insignè in sui memoriam reliquerit, &c.

Qualiter autem Euangelistæ nostri recentiores, mortuos deuorarint, atq; eis prohibuerint gratiam, quomodo sanctorum suffoderint monumenta, reliquias subuerterint, despuerint, & ridiculo habuerint Ecclesias, tumultuauerint, in campis statiũculas, ne quis peregrinans passionis Domini commoneretur, lapidem Iacobi, saxum Iosue, cunctos lapides testimonij, vota in vniuersum omnia comminuerit, catholico lectori perpendendum relinquo. Quibusdam locis, crucifixi Domini statuis laqueos collo iniecerunt, atq; quod ad Felicianorum attinet hæresim, intermisere in totum nihil, qui tamen Feliciani ante annos septingentos & vltra, temporibus Caroli in Oriente in Nicæa Bythiniæ, Francofurti item in Germania cis Mænũ, vt errantes atq; hæretici condemnati sunt. Nullam inquam Christi aut D. Virginis Mariæ imaginem, nullam super tabernaculum ex linguis oliuarum cherubin, aut quamuis depictam non exturbauere imaginem. At verò sigillorum suorum, & monetarum Cæsaris imagines, insignia sua, & quæq; Herculis, Martis, Priapi, nephandæ & Veneris, Lutheri, Hutteni, & id genus, manere permiserunt. O dedecus Christiani nominis sempiternum. Fatemur quidem ingenuè, illicitas & immoderatas præ-

Genes. 28. Iosue 24. 3. Reg. 6. Matth. 21

tas præ-

tas præuaricationes quasdam potuisse obrigisse in hac sacrarum ima ginum vsu, quæ sedulo reprimendæ sunt, ab eis, ad quos ex officio spe ctat castigatio, ne submota correctione seuera, deterius huiusmodi malum inualescat, At propter modicas prolapsiones indoctæ plebe culæ, non debuissent Iconoclastæ in totum Ecclesiasticum ordinem & pia instituta distringere calamum, & tragica bucca detonare, tam quam omnes & singuli hoc morbo laborarēt, dereliquit enim adhuc sibi Dominus septem milia virorum in Israël, qui non curuauerunt
3.Reg.19. genua sua ante Baal. Ita sanè & permultos (quos nouit) sibi reliquit Dominus Deus & seruauit in Ecclesia sua sancta sacerdotes & sacra mentorū mysteriorumq; Dei dispensatores, qui non curuauerunt ge nua sua ante Mammona, cum scriptum sit, Honora Deum ex tota
Eccles.7. Matth.4 Mar.1. Lucæ 4. anima tua, & honorifica sacerdotes, Et Deutero.6. Dominum Deum tuum adorabis.

Author quid sit imago contemplatori loquitur.

Me qui conspicis insolens figuram,
Cordis nolo putes notam superbi:
Sed pressi indicium Dei clientis
Cuncto nomine se nihil putantis,
Qualis esse decet pios ministros,
Pendens in cruce sanguinem beatum,
Quibus pro Dominus suum refudit.
Sum non ipsa quidem malos imago
In Vsus depicta, velut putatur.
Audi nunc breuibus, feram intuenti
Quid sim, quidq; velim, & tibi placebo
Quæ non complacui prius repulsa.
Tantùm corporis vmbra sum caduci,
Mortalis speculum & patens figura,
Illum qui fieri suo ore iussit.
Hoc semper moneo, velut fidelis
Ancilla, & facie indico quid ipse,
Vel quo sit genitus, futurus aut quid:
Pro quo, quem refero, mihi solet iam,
Grates multiplices Dea actitare.
Viuas Nestoreos dies in æuum
Spectator, valeas per omne seclum.
Et discas melius mihi fauere,
Quæ nunquam penitus superba fulsit.

CAEterùm de hac astruendarum sacrarum imaginum materia no bis est nunc contrahendus sermo, quoniam eandē diffuse pertra ctarunt doctiores, quibus suis firmissimis argumētis aduersariorum obie

obiectiones, quibus suas conantur tutari partes, dissoluere sunt annixi, properamus ergo soluere lora, ad Gregorium 3.

Anno 2. imperij Constantini, Cosmas Alexandrię patriarcha vna cum tota ciuitate à Monothelitarum cacodoxia redijt ad orthodoxiam.

Circiter annum 730. Toringi natio Gothorũ, Francones & Sueuĩ, à S. Bonifacio (prius dictus Vuunefridus) episcopo, fidem Christianam amplexati sunt. *Præcipua Germaniæ loca cõuertuntur.*

Fabarium vel Fauarium, Germanicè Pfeffers, ordinis D. Benedicti, Churiensis diocæseos, fundatur à S. Pyrminio, anno 734. *Fabarium.*

ZACHARIAS. 91

Græcus natione, vir mitissimus atq; suauis, tardus ad irascẽdum, Constantino & Eirene imperantibus, circiter annum 740. Sacerdotis summi sedem possedit, an. 10. mens. 2. (alij 3.) di. 15. vacat sedes di. 9. alij 12.

Extat epistola elegantissima Zachariæ PP. ad S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinensem.

S. Otilia tempore Hilderichi regis Francorum 14. sanctitate insignis habetur. *S. Otilia.*

Anno Christi 714. temporibus Pipini regis gloriosissimi, Ruthardus comes Zaringius, & Hirmisinda vxor eius comparauerunt pagum Alsatiensem, dato precio: & construxerunt monasterium in Arnolfesauge iuxta Rhenum, excolentes de deserto, & eidem monasterio præfecerunt abbatem Agoaldum, donatione magna facta monasterio, cõscriptæ & cõfirmatæ sunt hæ literæ pridie eidus Octobris, anno sexto Pipini regis: Hæc ex antiquo codice, quem mihi exhibuit, anno 1557. ipso Corporis Christi festo, R. D. Martinus Schimpferus Badensis, huius loci abbas verè pius & catholicus. Cum autem ignorantia inter religiosos (hoc maximè seculo) tanq̃ Gangrena serpat, & perinde ac pestilẽtia grassetur. Tu doctissime Schimpfere, ab eius contagione longè resiliens munisti temetipsum alexipharmaco doctrinæ Christianæ eloquentiæque medicamento, quibus nihil potest esse potentius. Et cum multorum animi in macie, corpora insagina sint, tua mens adipibus doctrinarum saginata pinguescit, qualis pinguitudo, quanto vberior tanto salubrior. Adhæc cum hospitalitas (quæ præcipua virtus est) abbatem cum primis exornet. Domus tua, tam Schutterana quàm Schvuartzachana, patet illustribus humilibusque hospitibus indiscriminatim. Pauperes ad te perinde ac in Asylum salutis confugiunt, tuisque erogationibus su- *Schvuartzacha cœnobiũ Benedictinũ fundatur.* *R. D. Martini Schimpferi encomion.*

stentantur. Et profectò qui beneficus est in egestosos, Deum promeretur. Immò (vt verius loquar) Deum ipsum computat debitorem.

Prophana & inhumana Plautina sententia. Plautina illa sententia de mendico: male meretur qui ei dat quod edat aut bibat, Nam & illud quod dat perit, & illi vitam producit ad miseriam; tibi iure optimo veluti inhospitalis ac detestanda improbatur. Qui probe calles humanitatis officium esse, necessitati hominis egentis subuenire. Quantum verò illud est, quo præconio, qua laude memorandum? Sed de his egregij viri encomijs loco opportuniore.

Kiczingēse cœnobium. Kiczingense monialium cœnobium, fundatum est anno 745.

Fuldense monasterium, fundatum & constructum est à S. Bonifacio, anno 744.

92 STEPHANVS 2.

Romanus patria, vir singularis religionis & prudentiæ, circiter annum 750. Sedit annos 5. adijciunt alij di. 28. vacat sedes dies 5.

Is Pipinum Francorum, & Romanum patritium proclamauit.

Hac tempestate, S. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus, martyrizatur Non. Iunij: Cuius S. viri sanguinem fuderunt Busactores.

Is Bonifacius iussu STEPHANI 2. Pipinum Caroli patrem vnxit in regem Galliarum.

Senatus Parisiensis. Sub eodem Stephano PP. Pipinus rex Parlamentum, anno 757 instituit. De senatu Parisiensi & eius authoritate, placet paucula recensere. Sunt omnino septem eiusmodi senatus per Galliam (ipsi Parlamenta vocant) à quibus prouocare non licet, & ad quos ab omnibus alijs iudicijs appellatur: Ii sunt Parisiensis, Tholosanus, Rothomagensis, Diuionensis, Burdegalicus, Aquensis in Prouincia, & Gracianopolitanus in Delphinatu. His omnibus stipendia rex præbet. De causis omnibus & criminibus isti cognoscunt, & quod à singulis definitum fuerit, ei standum est. Omnium autem latissimè patet, ac amplissimam iurisdictionem habet Parisiensis. In eum aliquando venire solent ipsi reges, quoties aliquid magni decernere volunt.

PAVLVS 1.

Romanus patria, sedit annos 10. mens. 1. adijciunt alij mens. 9. vacat sedes an. 1. mens. 1.

Daniel. 4. Is PP. carceres & Xenodochia intrans, infirmos donis & placidis exhortationibus recreauit: scriptũ enim, Esai. 58. Frãge esurienti panem tuum, & pauperes sine tecto induc in domũ tuam. Nudum si videris, vestito: & domesticos generis tui ne despicias. Et alius Propheta, inquit. Peccata tua redime eleemosynis, & iniquitates tuas commiseratione pauperum: Christon nutrit, qui pauperem nutrit.

S. Daniel,

S.Daniel,Leuita & martyr,Paduę(olim dicta Antenorea) in ca-
thedrali Ecclesia sepultus,cuius S. viri corpus repertum & leuatum S.Daniel.
est anno Domini 767.

CONSTANTINVS 2. 93

Papatum tyrannicè inuasit,sed tandem zelo fidelium eiectus, e-
uulsis oculis ignominiosè,circiter annum 770.pœnas dedit: ô lepi-
dos fortunæ lusus,& ridiculum rerum statum. Sedit mens.1.di.1.Car
ranza ponit an.3.mens.5.

Campidonensis ordinis S.Benedicti cœnobium,fundatum est an-
no Domini 777.primus abbas Andogorius

STEPHANVS 3. 94

Siculus natione,sedit an.4.præfuit circiter annum 771.ponunt a-
lij ann.3. mens.5.di.28.vacat sedes,di.8.

Concilium Lateranense celebrauit,contra Constantinum pseudo-
pontificem.

Idem PP.in Litanijs nudis & discalciatis pedibus incessit.

ADRIANVS 1. 95

Romanus patria,circiter annum 774.Sedit an.24.detrahunt a-
lij annum vnum,vacat sedes di.3.

Idem,in Lateranensi atrio 100.pauperibus quotidianum victum Acto. 20.
ordinauit:Scriptum enim. Beatius est dare quam accipere. Et hila- 2.Corint. 9.
rem datorem diligit Deus. Aqua restinguit inflammatum ignem,& Sirac.3.
Eleemosina expiat peccata,&c.

Sub Adriano 1. tabulas Apostolicas obsignari cœptum. Nam Sigill. plumbeum.
antiquius non reperitur sigillum plumbeum.

Carolus Magnus Romam veniens, expugnato Desiderio Lon-
gobardorum rege,pedes Adriani pontificis,sedentis in loco Dei, os-
culatus est.Idem Carolus Magnus ad defensionem S.R.E. & ditio-
num eius,testamento obligauit filios.

Sub eodem Adriano PP.celebrata est synodus 2.Nicæna,contra
Iconoclastas seu iconomachos,anno 781. Iconomachi repullulant.

Idem PP.Tharasium Archiepiscum Constantinopolitanum con
firmauit 8.Calend.Ianuar.Eutropius Euhemerus,lib.23. PP.alios confirmat.

Desiderium Longobardorum regem Romam proficiscentem,
Adrianus PP.sub anathematis interminatione prohibuit,ne Roma
nę Ecclesiæ terras ingrederetur:quę apud ferocissimum atq; impium Ecclesiastica censura cohibet tyrannum.
Longobardorum regem tanti momenti extitit, vt confusus tacitusq;
retrocedens Papiam reuersus sit.

Hac tempestate,Saxones à Carolo Magno domiti, conuersi sunt Saxones conuertuntur.
ad fidem Christianam,anno 785.

S.Magnus episcopus floruit.

Paulus diaconus. P.Diaconus monachus Cassinensis cœnobij, ordinis S.Benedicti, Italus natione, tēporibus Caroli Magni floruit, anno Domini 780. Tritthemius.

96 LEO 3.

Germanus natione, vir castus & integer, doctorum virorum ita amator vt eos vndequaq; præmijs alliceret, eorumq; cōsuetudine mirum in modum delectaretur; Præterea verò ægrotos visere, Eleemosynas præbere, prædicationibus incumbere, ei peculiare fuit. Sedit an.20.mens.5.di.6.vacat sedes di.3.

Nota. Sub Leone 3, concilium Moguntiæ celebratum, anno salutis 813. Idibus Iunij; vbi statutum, Fidē sine operibus esse mortuā, scriptum enim: Quia dilexit multum remittuntur ei peccata multa.

Leonis 3, accusatores criminatoresque Carolus Magnus capitali sententiæ addixit, eiusdem tamen benignitate & interuentu saluati sunt.

Remensis synodus, anno Domini 813. cōgregata sub Leone 3. per pijssimum Carolum Magnum.

Leboracum. Leboracensis præpositura in montanis Vogesi, fundata est à Carolo Magno, anno 814.

Sicilia conuertitur. Eadem tēpestate sub eodem Carolo Magno, Sicilia ad Christi fidem se conuertit. Ambitus huius insulæ secundum Diodorum clauditur stadiorum quatuor millium trecentorum & sexaginta. Secundum verò Solinum tribus millibus tantùm. Cæterùm Græci Sicelia nō Sicilia dicunt, & Virgilius à græca voce traxit patronymicum Sicelides. Elegantissima est huius insulæ descriptio apud Claud. lib. de rap. Pro. primo, & lib. 13. Ouidius. Meminit Lucretius lib. primo Sili. Italicus lib. 14. Inter historicos Diodorum 6. lib. & 16. Polybius lib. bell. puni. primo. Locorum verò Siciliæ frequens est apud Ciceronem in Verrinis, Thucydidem lib. 6. mētio. Aliàs ex professo Dionysius. Strabo lib. 6. Plin. lib. 3. reliquos prudens prætereo, hæc Parergôs.

S.Gulielmus. S.Gulielmus pius dux Aquitaniæ, ædificato monasterio Cluniacensi suis impensis, se includens Bernonem 1. Abbatem, anno 806. constituit.

Anno 4. imperij Eirenæ, 8. calendas Ianuarij, indictionis nonæ, Leo 3. tanquam Ecclesiasticæ hierarchiæ princeps, Carolum regem Francorum coronauit, & Occidentis Imperatorem pronunciauit, vide Eutropium lib. 23. Placet obiter & in transcursu (licet extra sepes) Christiani pricipis mores, vitam, religionē, bellicas virtutes recēsere.

CAROLUS Magnus, verè nobilis heros, & speculum virtutis.

CAROLVS

CAROLVS ille MAGNVS, Pipini filius, Aquitaniam & Vuasconiam subegit. Desiderium regem Longobardorum ex Italia expulsit. Omnia Romanis ablata restituit. Rotgisum Foroiuliani ducatus præfectum noua molientem oppresit: totamq; Italiam cõpescuit. Saxonum ferociam per continuos 30. annos repressit, poterat quidem hoc bellum Saxonicum citius finiri, si Saxonum perfidia non obstitisset: Dictu difficile est, quoties superati ac supplices regi se dederint, & imperata facturos polliciti fuerint: plus semel inquam ita edomiti & emolliti, vt etiam cultum dæmonum dimittere, & Christianæ religioni se subdere velle promitterent. Sed sicut ad hæc facienda aliquoties proni, sic ad eadem peruertenda semper fuere præcipites. Regis verò magnanimitas, aut per se, aut per comites suos, misso exercitu, perfidiam illorum semper repressit. Idem Carolus, Britones & Beneuentanos domuit. Hunos (qui Baioarijs ab oriente sunt contermini) extinxit. Basilicam opere mirabili Aquisgrani, & pontem apud Moguntiam in Rheno quingentorum passuum, construxit. Aedes sacras vbicunque in toto regno suo vetustate collapsas comperit, pontificibus & abbatibus, ad quorum curam pertinebat, vt restaurarentur imperauit, adhibens curam per legatos, vt imperata perficerent. Nũc qualis in domestica cura fuerit, recensere non pigebit. Post mortẽ patris cum fratre regnum partitus, summa patientia iracundiam fratris tulit. Deinde cum matris hortatu, filiam desiderij regis Longobardorum duxit vxorem: Huic subsecuta est Hildigarda de gente Sueuorum, præcipuæ nobilitatis fœmina, de qua filios tres, Carolum videlicet, ac Pipinum & Ludouicum, totidemque filias, Theoderatam & Hiltrudam, & Ruotheidem. Mater eius Berthrada in magno apud eum honore consenuit: Decessit tandem post mortem Hildigardæ, cum iam tres nepotes suos, totidemque neptes in filij domo vidisset. Quam CAROLVS in eadem basilica, qua pater situs est, apud sanctum Dionysium magno cum honore fecit humari. Liberos suos ita censuit instituendos CAROLVS, vt tam filij, quàm filiæ primo liberalibus studijs (quibus & ipse operam dabat) erudirentur: tum filios cum primum ætas patiebatur, more Francorum equitare, armis ac venatibus exercere fecit. Filias verò lanificio assuescere, coloq; ac fuso, ne per ocium torperẽt, operã impendere, atq; ad omnem honestatẽ erudiri iussit. Filiorũ ac filiarũ tantã in educando curã habuit, vt nunq̃ domi positus, sine ipsis cœnaret, nunq̃ iter sine illis faceret. Amabat peregrinos & in eis suscipiẽdis magnã habebat curã, adeo vt eorũ multitudo nõ solũ palatio, verũ etiam regno videretur

Victoria Caroli.

Caroli pietas.

Domestica cura Caroli

Carolus de suorum liberis suis cura.

Descriptio corporis eius.

onerosa. Corpore fuit amplo atq; robusto, statura eminenti, quæ tamen non excederet, nam septem suorum pedum proceritatem cōstat habuisse, apex capitis rotundus, oculi prægrandes ac vegeti, naso paululum in mediocritatem excedenti: canicies pulchra, facies læta & hilaris. Incessu erat firmo, totaq; corporis habitudine virilis, voce clara quidem, sed quæ minus corporis formæ conueniret, valetudine prospera, præter quod anteq̄ decederet, per quatuor annos crebro febribus corripiebatur, ad extremum etiam vno pede claudicabat. Erat eloquentia copiosus & exuberans, poteratq; quicquid vellet apertissimè exprimere, nec patrio sermone contentus, etiam peregrinis linguis ediscendis operam dabat, in quibus Latinam linguam ita didicit, vt ea ac patria lingua orare sit solitus, Græcam verò melius intelligere quàm pronunciare poterat. Artes liberales studiosissimè coluit, earumq; doctores plurimum veneratus, magnis extulit honoribus. In discenda grammatica Petrum Pisanum diaconū senem audiuit, in cæteris disciplinis Albinum cognomento Alcuuinum, item diaconum de Britannia, virum vndecūq; doctissimum præceptorem habuit, apud quem & rhetoricæ & dialecticæ, præcipuè tamen Astronomiæ ediscendæ, plurimum & temporis & laboris impertiuit. Discebat & artem computandi, & intentione sagaci siderum cursum curiosissimè rimabatur. Idem Carolus, tres scolas (Parisijs, Bononiæ, Patauiæ) instituit. In cibo & potu temperans, sed in potu temperantior, ita vt super cœnam raro plus quàm ter biberet, cibo non adeo abstinere poterat, vt sæpe quæreretur noxia suo corpori esse ieiunia. Circa pauperes sustentandos, & gratuitam liberalitatem, quam Græci ἐλεημοσύνην vocant, deuotissimus erat, vt qui non in patria solum, & in suo regno id facere curauerit, verùm trans maria, in Syriam & Aegyptum, atq; Aphricam, Hierosolymis, Alexandriæ, Carthagini, vbi Christianos in paupertate viuere compererat, penuriæ illorum compatiens, pecuniā mittere solebat. Ob hoc maximè transmarinorū regum amicitias expetens, vt Christianis sub eorum dominatu degentibus, refrigerium aliquod ac releuatio proueniret. Colebat præ cæteris sacris locis apud RHOMAM beati Petri Apostoli Ecclesiam, in cuius donaria magnam vim pecuniæ congessit. Atq; vt multas heroicas virtutes omittam: Senectute tādem confectus & valida febre correptus Aquisgrani in mense Ianuario, decubuit, statimq;, vt febribus solebat, cibi abstinentiam sibi indixit, arbitratus hac continentia morbum posse depelli, vel certe mitigari. Sed accedente ad febrem lateris dolore, quem Græci πλευρῖτιδα dicunt: illoq; adhuc inediam retinente, neq; corpus aliter q̄ rarissimo potu sustentante, septimo post-

Facundia Caroli in linguis.

Carolus liberalis in Ecclesiam S. Petri.

quam

quam decubuit die, sacra communione percepta, decessit, anno ætatis suæ 72. & ex quo regnare cœperat 46. 5. calend. Febr. Indictio. 7. hora diei tertia. Cuius corpus amore solenni lotum & curatum, maximo totius populi luctu Ecclesiæ illatum atq; humatum est: Dubitatū est primo, vbi reponi deberet, eò quòd ipse viuus de hoc nihil præcepisset. Tandem omnium animis sedit, nusquam honestius eum tumulari posse, quàm in ea basilica, quam ipse propter amorem Dei & Domini nostri IESV CHRISTI, & ob amorem sanctæ & æternæ virginis genitricis eius, proprio sumptu in eodem vico construxit. In hac sepultus est, eadem die qua defunctus est: arcusq; supra tumulum deauratus, cum imagine & titulo extructus est: qui titulus hoc modo descriptus est.

SVB HOC CONDITORIO SITVM EST CORPVS CAROLI MAGNI ATQVE ORTHODOXI IMPERATORIS, QVI REGNVM FRANCORVM NOBILITER AMPLIAVIT, ET PER ANNOS XLVI. FOELICITER TENVIT. DECESSIT SEPTVAGENARIVS, ANNO DOMINI DCCCXIIII. INDICTIONE SEPTIMA V. KALEND. FEBRVARII.

Hæc extra limites, iam tempus est vt institutum prosequamur.

Sub eodem Leone 3. pontifice Romano, celebratum est cōcilium Vuormaciense, alij reijciunt illud in annum 1122.

STEPHANVS 4. 97

Romanus patria, circiter annum Domini 819. sedit mens. 8. ponunt alij annos 3. mens. 7. vacat sedes di. 11.

Is PP. in Galliam profectus est, coronauitq; Ludouicum Imperatorem. Eius verò filios reges creauit: Lotharium, Italiæ, Pipinum, Aquitaniæ. Ludouicum Noricorum.

PASCHALIS I. 98

Romanus patria, Sedit an. 4. Mens. 6. di. 24. ponunt alij annos 7. Circiter annum 821.
mens. 2. di. 17. vacat sedes di. 18.

Hac tempestate Suetia sub rege Hunoldo, & Dania (regnum insulis maximè constans) finitima, ad fidem Christianam conuertūtur. Suetia.
SVETIA autem imperio Mosci contermina, Nortvuegiæ & Scandiæ non secus coniuncta est, atq; Italia Neapolitano regno & Pedemonti: Hæc mari Baltheo, dein oceano, & eo quod nunc glaciale appellamus, circumquaq; ferè alluitur, lata nec omnino inculta prouincia, ignota priscis authoribus. Hæc gens maximè piscibus viuit, quorum magna captura est, dum piger oceanus gelu cogitur, vel æstiuis

caloribus resoluta glacie colliquescit. Brumalibus diebus vix horarum trium lucem habent. Svuetiæ hodie regia, Holmia quam incolæ Stockolm, Rutheni Stecolna appellant: amplissimum regnum, multas & varias nationes cōplectitur: inter quas virtute bellica celebres Gothi, qui in Ostrogotos, id est Orientales: & Vuestrogothos, id est occidentales Gothos, pro regionum quas incolunt situ, diuisi: indeque progressi, toti orbi, vt plerique scriptores memoriæ prodiderunt, terrori fuere. Svuetiæ rex hac nostra ætate Iosteicus aliàs Gustaus, &c.

99 EVGENIVS 2.

Romanus patria, circiter annum 829. Sedit an. 4. adijciunt alij mens. 6. di. 42, alij tantùm annos tres ponunt.

Sub EVGENIO, synodus apud villam Theodonis celebrata, Congregata per Carolum magnum, ad cohibendū præsumptionem quorundam tyrannorum in sacerdotes Domini grassantium.

100 VALENTINVS.

Romanus patria, ex diacono, circiter annum 833. Sedit di. 40. inquit Platina, vacat sedes di. 3.

Hisce temporibus puella 12. annorum, accepta eucharistia, sex mensibus in pane & aqua ieiunauit, & deinde triennio ab omni cibo & potu abstinuit, hęc Cornipolitanus. Placet hic obiter enarrare quę nostra tempestate contigere, & quæ nos hisce oculis nostris vidimus, huic loco minime inconueniens.

Breuis narratio de cuiusdā puellę ieiunio.

SPIRA, quæ Imperialis ad Rhenū posita ciuitas est, villa quædam Roed, non amplius duobus milliaribus distat. Hac in villa, anno Domini M. D. XXXIX. Puella quædam Margareta, patre progna ta Seifridt Vueys, & matre Barbara, cū iam fere decimū ætatis suæ annum attigisset, capitis & ventris dolore, ad festa diui Michaëlis est correpta. Dolor autem is longior quàm intolerabilior extitit, vt quę lecto incumbere non sit coacta: cibum tamen per id tempus magis magisq; fastidire cœpit, & alui excrementa minui. Itaq; ad natiuitatem vsq; Dominicā, cum adhuc comedisset, nullū planè post id tempus aut cibum insumpsit, aut per aluum excrementum egessit, à potu tamen nondum abhorrebat animus. Verùm cū proximo anno, qui XL. fuit, capitis & ventris dolor adhuc hæreret, & sub proximam quadragesimam manus & pedes, quasi contracti, officium suum amplius non præstarent, solicitus de filiæ salute parens, quos modò potuit adijt, consilium & opem expetens.

Iussus à vetula quadam, quæ præ cæteris vicina in villa magis medica est visa, bis die balneo ex certarum herbarum decoctione vti,

quo cum frustra per xviij. dies vsus esset, inde destitit. Nõ multò post ex eo genere hominum fœmina, quæ circulatorum more passim hęc per villas & oppida sua rusticis pharmaca vendunt, aliquot certarum herbarum radices parenti dedit, vnde facto balneo, cum bis die antemeridianis & pomeridianis horis ad quartam septimanam vsus esset, pristinæ sanitati puella, quod ad manuum & pedum officium attinebat, est restituta. Verùm cum hæc non multò post Pascha fierent, quemadmodum ante cibum, ita iam subinde & ipsum potum fastidire cœpit, adeò, vt post Pẽtecostes festa, in diem vsq; suum, cum multò ante desierit comedere, ne biberit quidem, aut vrinam miserit. Fuit anni huius quadragesimi cursus, & maximè æstas, si qua post hominum memoriam alia, calidissima & siccissima: quæ res, eo tempore potu planè puellam abstinuisse, admirationi magis locum dare potuit. Circumacto anno XLII. Romanorum rex, tunc temporis, Ferdinandus, ad comitia Imperialia Spiram venit, de puella didicit, rei admiratione adductus, ad se, vna cum parente, Februario mense vocauit. Fuit puella iam duodecimum annum transgressa, & pro ea ætate, statura, & habitudine iusta, oculis cœsijs, & pro rustica, vultu non illiberali, ingenio planè puerili & simplici. Cum Regia Maiestas, de tanti temporis ieiunio percunctando, omnia eadẽ, quæ à cæteris dicta cõperisset, & non nobilium modò omnium, sed & Physicorũ suorum captum res excederet, Reipublicę interesse putauit, rem summa cum diligentia inquiri. Itaq; in quodam hospitio diligentissimè ipsam obseruari voluit. Positis igitur veteribus vestimentis, nouis à Rege datis induta, ita vt omnia paucis dicam, obseruata est, vt maiori diligentia non posset. Sæpe interim ad sumendum cibum & potum, ijs oblectamentis frustra inuitata est, quibus ea ætas capi facile solet. Cum iam ad duodecimum vsq; diem summa cum diligẽtia obseruaretur, & nullius rei minus quàm cibi & potus desiderum esset, idem tamen pulsus, idem vultus, & eædem corporis vires persisterent, ad se reuocatam Regia Maiestas, datis muneribus, non sine admiratione domum remisit, hæc præter institutum.

GREGORIVS 4. 101

Sedit an. 16. sunt qui volunt post mortem eius, sedem vacasse an. 18. mens. 7. di. 9. alij tantùm sedem vacasse di. 15. scribunt. Romanus.

Is PP. ne Christi serui vlla seruitute humana aut ciuili tenerentur, instituit. Serui Christi liberi ab omni exactione.

Hac tempestate, circiter annum 833. dominarum monasterium in sinistra Limagi situm, vulgò Fravvenmunster zu Zurich, fundatur.

Mariæ

Mariæ monasterium Vuormaciense, Cisteriensis hodie instituti,
nobilium puellarum, fundatum legitur anno 840.

Saxones rebelles à Ludouico victi hoc tempore. Idem Ludoui-
cus Imperator anno Domini 845. anno Imperij 32. ad reædifican-
Schvuartzaha remuneratur. dum monasterium cis Rhenum cui nomē SCHVVARTZACH,
quod prius Arnolfesaugia vocabatur, donauit dragmas argenti tre-
centas sexaginta, Vini Carratas viginti, & frumenti malteros ducen-
tos, hæc ex vetustissimo codice prædicti cœnobij.

102 SERGIVS 2.

Sedit an. 3. ponunt alij an. 2. di. 2. alij an. 2. men. 1. di. 3. sub Lotha
rio 1. circiter annum 849. vacat sedes mens. 2. di. 15.

PP. nomen mutat. Is PP. primus pontificum nomen mutauit, cum antea os porci di-
ceretur. Quod ex imitatione Christi est, qui Simoni Bar Ionæ nomen
Petro indidit.

LEO 4.

103 Circiter annum 851. sedit an. 8. mens. 1. vacat sedes di. 15.

Is Leo, oratione præmissa Sarracenos Romæ iuxta Vaticanum
prælio vicit.

Idem, pedes populo deosculandos præbuit: id quod primitus fecit
Iustinianus Constantino 1. pontifici Romano.

Idem, oratione intensa & energitica, Basiliscum Roma expulit.
Basilisci serpentis descriptio. Cyrenaica basiliscum generat prouincia 12. non amplius digitorum
magnitudine, candida in capite macula vt quodam diademate insig-
nem. Sibilo omnes fugat serpentes: nec flexu multiplici vt reliquæ,
corpus impellit, sed celsus & erectus in medio incedens. Necat fruti-
ces, non contactos modò, verùm & afflatos, exurit herbas, rumpit sa-
Lib. naturalis historiæ 8. cap. 21. xa. Talis vis malo est. Creditum (inquit Plinius) quōdam, ex equo oc-
ciso hasta, & per eam subeunte vi, non equitem modò, sed equū quo-
que absumptum. Huic tali monstro (sæpe enim enectum concupiue-
re reges videre) mustelarum virus exitio est: adeo naturæ nihil pla-
cuit esse sine pari, &c.

Idem Leo PP. Angelicam arcem Romæ extruxit.

IOANNES.

Circiter annum 858. sedit an. 2. mens. 1. di. 4. vacat sedes mens. 1.
De hoc fictitio Ioanne, ferunt quòd malis artibus pontificatum ade-
ptus sit, quoniam fœmina existens, sexum mentitus est, & postea à ser
uo compressa, doloribus circumuēta, mortua est, condignas exoluens
Matth. 10. Mar. 4. Lucæ 8. 12. suæ temeritatis pœnas coram omni populo: scriptum enim, Nihil o-
pertum est, quod non reueletur: & occultum, quod non sciatur. Bar-

tholo-

tholomeus Carrãza suo in cõpendio istud planè facinus apertè negat.

BENEDICTVS. 3. 104

Romanus patria, sedit an. 2. mens. 6. adijciunt alij menses 9. vacat sedes di. 15.

Is PP. clericos funeri interesse voluit.

Circa hæc tempora, Hymnus GLORIA LAVS, à Theodulfo Aurelianensi Episcopo, compositus est.

Heremitarum in Heluetijs peruetustum olim Idolion, nunc cœnobium ordinis D. Benedicti celeberrimum & opulentissimum, Germanica lingua Zum Einsidlen, anno Christi 860. cœpit, temporibus Ludouici 2. Einsidlen.

NICOLAVS 1. 105

Sub Ludouico 2. circiter annum 862. sedit an. 9. (alij 10.) menses 6. di. 21. Alij temporibus Lotharij ipsum sedisse in cathedra Petri autumant. Vacat sedes (vt D. Mennelius scribit) an. 8. mens. 7. di. 20. Alij an. 15. 8.

Is PP. concubinarijs Missarum celebrationem vetuit, & adstantes auditores ab ea missa reuocauit. Cornipolitanus Alexio 2. adscribit. Alij verò Nicolao 1. Concubinarijs sacrificantibus nemo adstet.

Idem, Regem Bulgarorum ad S. R. E. fidem perduxit.

Extat antiqua & insignis epistola Nicolai PP. ad Michaëlem Imperatorem Constantinopolitanum.

ADRIANVS 2. 106

Romanus patria, vir bonus & doctus, circiter annum 872. Sedit an. 5. alij mens. 9. di. 12.

Alfredus seu Aluredus sextus rex Anglorum, regia corona ab Adriano PP. decoratur, anno 872.

Sub hoc PP. Græci primo vsi sunt campanis, Venetorum beneficio, inquit Sabellicus.

Hac tẽpestate Dalmatæ fidem Christi amplexati sunt. De Dalmatiæ limitibus, vide Plinium natur. histor. lib. 4. cap. 22. Dalmatia conuertitur.

Hoc tempore, anno Basilij Imperatoris 3. synodus vniuersalis 8. Constantinopoli celebrata est, sententiæ Adriani subscribẽs, vide Sabellicum En. 9. lib. 1.

Cariopolis extructa, circiter annum 876.

IOANNES 8. 107

Circiter annum 877. Sedit an. 10. di. 2.

Is pontifex, quatuor libris vitam S. Gregorij explicauit.

MARTINVS 2. 108

Tẽporibus Arnolphi Cæsaris circiter annũ 887. malis artibus põtificatum adeptus est: Hunc alij Marinum vocant. Vacat sedes di. 2. Alij an. ...

ADRIA-

ADRIANVS 3.

109 Romanus patria; sedit an.1.mens.3. Tanti animi fuit, vt initio sui pontificatus, senatum populumq; retulerit ne in creando pontifice Imperatoris authoritas expectaretur, vtq; libera essent & cleri & populi suffragia. Sepelitur in basilica S.Petri, collachrymantibus omnibus tantum parentem sibi sublatum esse.

STEPHANVS 5.

110 Romanus patria: sedit an.6.alij an.7.di.9.vacat sedes di.5.

Sub hoc, S.Richardis vxor Caroli Crassi, Scotorũ regis filia, nunquam ab eo cognita, & tandem ab eo repudiata, in monasterio Andlovv Argẽtinensis diocæseos, antiquitus Andelaha ab eiusdem nominis fluuio, vitam virgo clausit. S.Richardis

FORMOSVS.

111 Portuensis patria, circiter annum 896.sedit an.6.mens.6.alij ponunt annos 5.vacat sedes di.2.

Ingens dissidium tum Romæ ortum de electione.

BONIFACIVS 6.

112 Tuscus patria, circiter annum 901.temporibus Arnulphi Impe. sedit di.26. alij 35. De tempore quo sedit in sede Petri, magna controuersia est inter scriptores.

STEPHANVS 6.

113 Acta Formosi rescidit & damnauit: Iam enim tunc cœperat, pro dolor, pontificum & virtus & integritas deficere: mira facilitate itur ad malitiam, & natura procliuis in deteriora fertur. Sedit an.1.di.15. alij di.35.

Hac tempestate, circiter annum 900, Sanctus Vrsicinus martyr, natione Ligur, arte medicus, passus est 4.calend. Maij. Leuatus ab Honesto Archiepiscopo Rauen. ad Ecclesiam Vrsicinam, quę Græcè ἁγία ἀνάστασις, id est, sancta resurrectio dicitur.

ROMANVS 1.

114 Alij Hispanum dicunt. Sedit mens.3.alij di.21. Stephani vniuersa acta improbauit.

S. HVLDERICVS episcopus Augustanus 19. comitis Hugbaldi Tillingensis filius, circiter annum 942.alij 903. D. Mennesius ponit annos 976.rexit episcopatum fœliciter annis 50. Non tantùm præfuit, verumetiam profuit plurimum. S. Huldericus episcopus.

THEODORVS 2.

115 Romanus patria, circiter annum 902.sedit di.20.

IOANNES 9.

116 Romanus patria, Formosi causam, habito conuentu 74.episcoporum.

rum, Rauennæ in integrum restituit. Sedit annos 2.

BENEDICTVS 4. 117

Romanus patria, circiter annum 904. vir pius & deuotus. Sedit ann. 3. mens. 4. alij vnum annum adijciunt: vacat sedes di. 6.

LEO 5. 118

Circiter annum 907. Sedit di. 40. Hunc Christophorus illius familiaris, honore pontificatus spoliauit, cupidine quadam dominādi.

CHRISTOPHORVS 1. 119

Pontificatum malis artibus adeptum amisit: è sede deiectus, in cœnobium detruditur, in monasteria enim tanq̄ insulas clerici malè de Ecclesia meriti relegabantur. Sedit menses 17. Circiter annum 907.

SERGIVS 3. 120

Romanus patria, temporibus Ludouici 3. Is PP. humatum corpus Formosi auxilio Francorum trūcari capite iussit, & in Tyberim proijci: Piscatores autem inuentum corpus, cum ad Ecclesiam (scribit Cornipolitanus) portarent, ab imaginibus inclinantibus & salutantibus, veneratum est miraculosè. Res plena horroris est, vel legere vel meminisse, tantam tyrannidem inter se mutuo exercuisse pontifices Romanos, ò quantum degenerarunt à maioribus suis, & fieri non potuit in tanta crudelitate, vt pietatis Christianæ ratio haberetur, ne cui mirum sit interim si qui abusus & peruersæ opiniones in Ecclesiam irrepserint. Sedit annos 7. vacat sedes di. 7.

Ordo Cluniacensis sub regula B. Benedicti in Burgundia inchoatur & confirmatur, anno Christi 913. Olympiade 422. Cluniacēsis ordo.

ANASTASIVS 3. 121

Romanus patria, sedit an. 2. mens. 2. vacat sedes di. 2.

LANDO. 122

Romanus patria, circiter annum 916. Sedit mens. 2. adijciunt alij mens. 4. vacat sedes di. 26. alij 36.

IOANNES 10. 123

Miserè interijt, circiter annum 917. Sedit annos 13. adijciunt alij menses 2. vacat sedes di. 12.

Circa hæc tempora, Saraceni Aphricam, Calabriam, Apuliam, Beneuentum & alia loca occupabant: Quos Ioannes PP. auxilio Henrici Imperatoris, qui anno Christi, vt supra, electus est, vicit.

Anno Christi 920. Brandenburgenses ab Henrico 1. domiti, suaui iugo Domini ceruices submiserunt.

124 LEO 6.

Romanus patria, circiter annum 930. Sub Henrico Cæsare, vir deuotissimus. Sedit menses 7. alij ponunt mens. 6. di. 15.

125 STEPHANVS 7.

Vir pius & probus, sedit annos 2. mens. 1. di. 12. vacat sedes di. 1.

Hac tempestate, Bohemi cũ duce suo Spireneo, Christianismum induerunt. Boẽmia Regio, Germaniæ limitibus inclusa, Aquilonis flatibus obiacet, Hungaria illi orientalis est, Australis Bauaria, Noricus ager occiduus, Polonia Borealis. Latitudo eius longitudini ferè par, trium fortè dierum iter. Sylua Hercynia tanq̃ natiuo muro vndique cingitur. Albi fluuio media irrigatur, atque quodam alio, Multauia nomine, ad cuius ripam Praga sita est amplissima vrbs & totius regni caput. Solum Bohemorum hordei & tritici ferax est, pabulo pecore atque piscibus abundat, olei sterilis est, vino non omnino caret, ceruisiam optimam facit, quæ Viennam vsque Austriæ vehitur. De incolarum defectione ab Ecclesia infra plura.

Bohemia cõuertitur.

Bohemiæ limites.

Praga in Bohemis hisce temporibus fit cathedralis.

126 IOANNES 11.

Præfuit, circiter annum Christi 933. annos 4. menses 10. di. 15. adijciunt alij annos 8. vacat sedes di. 12.

Hoc pontifice, apud Genuam sanguinis fons largissimè fluxit, futuræ magnæ calamitatis indicium. Nam & Genua à Saracenis ex Aphrica venientibus, tum capta est & direpta. Et Hungari Italiam ingressi, longè omnia sunt populati. Liguriæ hodie metropolis est Genua, nobili portu, & vetustæ potentiæ fama celebris.

Fons sanguinis.

Genua.

127 LEO 7.

Romanus patria, circiter annum 937. sedit an. 3. mens. 6. di. 10. adijciunt alij dies 15. vacat sedes di. 10.

128 MARTINVS 3.

Electus est sub Otthone 1. circiter annum 944. sedit an. 3. mens. 6. di. 10. vacat sedes di. 3.

Sub hoc pontifice, dira fame & contentionibus multum diuexata Gallia.

129 AGAPITVS 2.

Vir innocentissimus, circiter annum 947. Sub prædicto Cæsare. Sedit

Sedit an.7.menſ.4.adijciunt alij annos 3.menſ.3.dies.10.

IOANNES 12. 130

Romanus patria, potentia patris fretus, munus pontificium ſibi deſumpſit. Sedit an.8.menſ.3.vacat ſedes di.12.

Is Otthonem cæſarea corona exornauit, alij Leoni 8. alij Ioanni 13. adſcribunt.

Hoc pontifice, lapis miræ magnitudinis in Italia de cælo cecidit. Idem viderunt Enshemenſes Allatici, anno ſalutis 1492. die 17. Nouembris. Stein van Ensheim.

Hiſce etiam temporibus, cruces cruentæ in veſtibus hominum apparuerunt. Idem contigit, ſedente in cathedra Petri Alexandro ſexto: imminentis iræ Dei præſagium. Cruces cruentæ.

Anhuſium cœnobium monachorum, inſtituti ac ordinis Benidictini fundatum, ac coſtrui cœptum eſt, anno Chriſti 958. Anhuſiū cœnobium.

Ἀνθρωπομορφῖται hæretici, circa tempora Otthonis magni, ſeſe ſtygijs extulerunt vndis. Deum reuera habere corpus & affectus, aliaq; accidentia hominis arbitrantur. Cum Deus nihil niſi oculus, nihil niſi auris, nihil niſi manus, exiſtat: Neque enim Deus membris diſtinguitur, nec corporis mole cēſetur. Qui omnia nouit & poteſt, & ſummatim loquendo ἀσώματος καὶ ἄζριτος, καὶ ἀσωματων ὄματος, eſt. Sed quod in canonicis ſcripturis membra Deo attribuuntur, id totum myſtico intellectu ad diuinas poteſtates referendum eſt; Nam ſi ſancta illa & immortalis natura corpus aliquod haberet, vt homo, iam non per ſe viueret, ſed per aliud, videlicet per animum, & aliquid in eo eſſet imperfectum, quod virtutem atq; abſolutionem aliunde mutuaretur, nempe corpus ex animo, &c. Caret ergo omni corpore ac commiſtione, quia Deus eſt. Anthropomorphytæ hæretici. Sozo. li.8. hiſtor. Cle. cap.11. Id eſt, incorporeus, indicibilis, innominabilis.

BENEDICTVS 5. 131

Romanus patria, circiter annum 962. Ex diacono in pontificem Romanum electus, in odium Cæſaris. Sedit menſ.6.di.5. alij menſ. 6. Hunc eiecit Ottho Imperator è ſede ſua, Leonem confirmans. Benedictus Hamburgi (aliàs trua) ſeruatus ibidem, exul moritur.

LEO 8. 132

Temporibus Otthonis, ſedit an. 1. menſ.4. vacat ſedes di.7.

IOANNES 13. 133

Sedit annos 7. menſes 11. adijciunt alij annos 2.

S. Vdalrici cœnobium Benedictinum magnificum, intra Augu- 22.

stanæ vrbis mœnia situm, conuersum est in monasterium, anno Domini 965.

134 BENEDICTVS 6.

Romanus patria, is à Cynthio Romano ciue captus, in Adriana mole (nunc sancti angeli arx) inclusus est, circiter annũ 969. Alij scribunt strangulatum fuisse, alij verò fame consumptum, sub Otthone 2. Sedit annum vnum, adijciunt alij mens. 6. vacat sedes di. 10.

135 DONVS 2.

Romanus patria, sedit ann. 1. adijciunt alij menses 6. circiter annum 971. præfuit. Vacat sedes di. 10.

S. Eduardus Hac tempestate Eduardus 1. filius Egdari, à venatione domum rediens, Alfredæ nouercæ insidijs circumuentus, succubuit, martyrum catalogo adscriptus.

136 BONIFACIVS 7.

Malis artibus pontificatum adeptus, malè amisit, scribit Bartholomeus Carranza Hispanus.

137 BENEDICTVS 7.

Romanus patria, circiter annum 973. sedit ann. 8. mens. 5. adijciunt alij menses sex, vacat sedes di. 5.

S. Cõradus. S. Conradus episcopus Constantiensis, in Domino diem extremũ clausit, anno salutis 976. Episcopatus sui 62. 6. calend. Decẽbris.

Petri domus cœnobium. Petri domus vel Petershusium cœnobium Benedictinum, è regione Constantiensis vrbis in Sueuis cis Rhenanum pontem, fundatum & dotatum est anno Christi 980.

138 IOANNES 14.

* Captus est à Bonifacij patre, quòd non consensisset in electionem Bonifacij, & in carcere mortuus est mense pontificatus 8. vacat sedes di. 11.

139 IOANNES 15.

Patre Leone natus: mense 3. sui pontificatus à Romanis captus, & in mole Adriani inclusus, pædore carceris inedia mortuus est.

Sydus terrificum apparuit. Hoc tempore, stella inusitatæ magnitudinis quam Græci κομήτην, & Latini stellam crinitam appellant, aliquamdiu fulsit, quam fames, pestis, ac terremotus subsequuntur, quo terræmotu Beneuentum & Capua concussa sunt. Cometæ enim modò bella, modò famem ac pestem, modò obitũ principis, portendere ac minari creduntur, istud confirmante Suetonio (in Nerone) cum ait. Stella crinita quæ potestatibus exitium portendere vulgò creditur, per continuas noctes oriri

oriri cœperat. Crinitæ stellæ meminit Plinius lib. 2. Cometas (inquit) Græci vocant, nostri crinitas stellas horrentes, crine sanguineo, & comarum modo in vertice hispidas. Deinde subdit. Sunt qui & hęc sydera perpetua esse credant, suoq; ambitu ire, sed non nisi relicta ignea vi, atque ideo solui. Aristoteles (lib. 1. cap. 7. τῶν μετεωρολογικῶν) scribit, flammam esse sicci multiplicisq; vaporis seu exhalationis, vt recentioribus philosophis placet, in sublimem aëra subuectæ, quæ cum igneam regionem pertingit igni succenditur, & mox in longum producitur, nimirum succedentibus siccis tenacibusque vaporibus, quasi crinibus quibusdam prosilientibus. Flammam porrò illam absumpta materia protinus euanescere. An verò accendere bilem in cordibus principum, ac regum possint, sic vt inde bella inter eos surgant & cædes excitentur, idipsum videant astrologi: Franciscus Picus in Psalmi cuiusdam sui expositione, fieri id posse non negat. Quare principum mortem sequi interdum necesse, canente Lucano. Cometæ vnde oriantur, & quis eius effectus

Et terris mutantem regna Cometem.
Et Iuuenalis.
Instantem regi Armenio, Parthoq; cometem
Prima videt.

Sed iam tempus, vt ad reliqua transeamus.

IOANNES 16. 140

Romanus patria, circiter annum 982. Is à Crescētio consule Romano pulsus est, sed iussu Otthonis reuocatus, à Crescentio reuerenter receptus est, Iaculum enim Iouis ira est principis, & mortis nuncius. Sedit autem annos 10. mens. 6.

S. Adalbertus episcopus Pragensis, Prutenorum Apostolus, martyrizatus est hac tempestate (ab illis quos dilexerat) anno Domini 990. S. Adalbertus.

Sub Ioanne PP. Alba augia Sueuiæ cœnobium, vulgo die Minderovu, instituti hodie Præmonstratensis, fundatum est anno redempti orbis 990. Alba augia cœnobium.

GREGORIVS 5. 141

Saxo patria. Sedit an. 2. mens. 5. adijciunt alij mensem vnum: Is PP. seditione quadam eiectus est à pontificatu, sed 11. mense præsidio Imperatoris Otthonis restitutus est: vacat sedes di. 15. Anno 1002.

Idem, vt Germanicam nationem amplissimam, singulari quopiam beneficio afficeret, autoritatē in posterū tempus eligēdi Imperatoris fecit Archiepiscopis, Mogūtino, Treuerensi, Coloniēsi. Itē, Marchioni Brādeburgēsi, Palatino comiti, duci Saxonū, & regi Bohemię. Dignitatis electoralis institutio.

de quibus hi versiculi sunt plebei, qui ponuntur in glo. c. ad aposto- licæ, circa finem, de re iud. lib. VI.

Principes in German ia potiores qui.

Moguntinensis, Treuerensis, Coloniensis,
Quilibet Imperij sit cancellarius horum.
Inde Palatinus dapifer, dux portitor ensis.
Marchio præpositus cameræ, pincerna Boëmus.
Hi statuunt Dominum cunctis per secula summum

Fuit is annus humanæ salutis 1002. Quod nunc Germani habent, retinent, conseruant.

142 IOANNES 17.

Is viuente Gregorio, sedem per tyrannidem occupauit, mortuus est cum ignominia. Sedit mens. 10. vacat sedes di. 20.

143 SYLVESTER 2.

Pontificatum malis artibus adeptus est. Is PP. magus fuisse fertur, spem salutis remansisse Platina opinatur: Moritur anno 4. vacat sedes di. 20.

144 IOANNES. 18.

Italus natione, sedit mens. 4. di. 20. vacat sedes di. 20.

Ioanni xviij. pontifici Romano, quidam animarum festum tribuunt. De funeralibus precationibus legat pius lector Dionysium Areopagitam, Eccle. Hier. cap. 7. Tertullianum, lib. de corona militis, & lib. de Monogamia. Cyprianum, li. 1. epistola 9. Damascenum, sermone de suffragijs pro mortuis. Chrysostomum, ad populum Antiochenum Homil. 69. Et in 1. ad Corinthios, homilia 41. Augustinum, in Enchiridio ad Laurent. cap. 130. Epiphanium, lib. 3. contra hæreses. Ambrosium, in oratione funebri pro Theodosio imperatore lib. 2. epistolarum ad Faustinum, de excessu fratris. Bernhardum, in cantica, sermo. 66. Athanasium, in quæstionibus suis theologicis, quæst. 34. Nazianzenũ, oratio. 7. Eundem oratio. 2. in Iulianum Imperatorem. Pium opus esse & Deo gratissimum, infirmos visitare, mortuos sepelire, & diligenter exequias eorum peragere, pro eisque orare, & eleemosynas erogare, &c. Commendat Clemens in Compendiolo, De igne purgatorio, &c. Transeamus ad reliqua.

Hungaria conuertitur

Hoc tempore, Stephanus Hungariæ regnum auspicatus. Hunc regem S. Adelbertus præsul Pragensis Christianum reddidit, Mich. Rit. lib. 2.

145 IOANNES 19.

Romanus patria, ad ocium conuersus nihil dignum memoria gessit. Sedit an. 4. mens. 4. vacat sedes di. 19. alij 30.

Sergius

SERGIVS 4. 146

Romanus patria, vir probus & bonus, fideliter Ecclesiam rexit, an. 2. di. 15. vacat sedes di. 8.

BENEDICTVS 8. 147

Tusculanus patria, sedit ann. 11. adijciunt alij mens. 11.

Is PP. Henricum 2. diademate redimiuit.

Hac tempestate, Ordo Camaldulẽsis initium sumpsit, anno 1012. Camaldulẽsis ordo. Nouæ familiæ fundamenta iecit Romoaldus, fuit is monachus Classensis cœnobij: perpetuum silentium obseruant, quarto & sexto hebdomadę die pane & aqua transigunt ieiunia, candido amictu vtũtur.

Circa hæc tempora, templum Argentinẽse extructionis genere admirabile, inchoatũ est sub Vuernhario episcopo, anno Domini 1015

Mons Monachorum amplissima Abbatia extra muros Bambergensis ciuitatis, Benedictini instituti, fundatur anno 1008. Bruschius. Mons Monachorum abbatia.

Neuburgense Monialium conspicuarum cœnobium, Augustanæ diocæseos, fundatur anno 1007.

S. Chunigendis Palatinissa floruit.

IOANNES 20. 148

Sedit an. 11. vacat sedes di. 8.

Is PP. Conradum Imperatorem coronauit. Cæterùm volunt scriptores & perhibent regem Romanorum triplici corona insigniri, prima ferrea, quam Aquisgrani recipit ab Archipræsule Coloniẽsi, qua significatur fortitudo, qua infidæ gentes & Imperio inobedientes & rebelles conculcandi sunt: Altera argentea, quam Italiam ingressus à Mediolanensi Archiepiscopo in villa Modæciensi accipit, & signat mundiciam & claritatẽ qua præfulgere debet Imperator. Tertia verò puri est auri & defecati, quam à summo Sacerdote in æde diui Petri ad aram B. Mauricij consequitur, qua quidem declaratur Roma. Imperatorem alijs regibus & principibus omnibus potentatu, iustitia, virtute esse excellentiorem, qua de re loquitur singularis glo. in c. Romani §. 1. de iure iur. in Clemen. &c.

Floruit etiam hoc tempore Canutus rex Angliæ: Is diuertit ad Romam causa voti. VOTVM autem est testificatio quædam spontaneæ promissionis, quæ de Deo & de his quæ Dei sunt, propriè fieri debet, inquit Magister Sententiarum lib. 4. Distin. 38. cap. 1. Votum quid. Iurisconsulti sic definiunt. Votum est alicuius boni cum deliberatione facta promissio. Sacræ paginæ Doctores sic. Votum est conceptio boni propositi, animi deliberatione firmata, de his quę ad religionem pertinent cum intentione obligandi se Deo. Vota verò esse reddenda, comprobat Mosaicum istud edictum, vt scriptum est in libro Vaid-

Num.ca.30. daber. Si quis (dixit Moyses) virorum, votum Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento, non faciat irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit. Et idem alio in loco, inquit. Quod semel egressum est de labijs tuis obseruabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo: multo melius enim est non vouere, quàm post votum promissa non reddere. Si quid vouisti Deo, inquit Ecclesiasticus, ne moreris reddere. Displicet enim ei tarda, infidelis & stulta promissio: vouere quidem voluntarium est, sed reddere necessariū. Infidelis promissio dicitur promissio, quando à bono promisso resilitur: Stulta verò, quando malum promittitur. Nec propheta Asaph de votis conticuit, quando exclamat. Vouete & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius offertis munera: Quod dictum est illis, qui post votum suum circumeunt hinc & inde quærentes occasiones & dilationes. Sed nimium esset singula velle recensere, videat cādidus lector, Esaiam cap. 19. 3. Esdr. 8. Ezech. 17. Leuit. 27. Psal. 21. 65. 60. Prouerb. 15. Hiere. 35. 33. Naum. 1. 2. Paralip. 32. Hiob. 22. Ion. 1. 2. Macha. 3. Malach. 1. Leuit. 22. 1. Timoth. 5. Augustinus de virginitat. cap. 29. & reliquos patres orthodoxos. Nec hic prætereundi antiquiores gentiles, qui votis & precibus deos placatum iri arbitrabantur, à quibus tamen initium nostræ religionis minime sumimus, sed tantùm votifrago in confusionem inculcamus. Sic Helenus apud Maronem admonet Aeneam, lib. 3. Aeneid.

Deutero.23.

Eccles. 5. ca.

Psalm. 57.

Iunonis magnæ primum prece numen adora,
Iunoni cane vota libens.

Periander.

ὃ ἂν ὁμολογήσῃς ποίει. Id est, Quæcunque pollicitus fueris serua.

Elpis Samius natione, in Aphricam delatus naue, iuxta littus conspecto leone hiatu minaci, arborem fuga petit, Libero patri vota vouit, Plinius histor. lib. 8. cap. 15.

Isocrates.

εὐχῆς δικαίας οὐκ ἀνήκοος θεός. Id est, iusta vota nunq̄ non audit Deus.

Pythagoras

Τίμα καὶ σέβου ὅρκον. Id est, cole & venerare iusiurandum.

Idem, εἰς ὅρκον.

Ανδρῶν δὲ φαύλων ὅρκον, εἰς ὕδωρ γράφε. Id est, improbum iusiurandum aquæ inscribito.

Ioui Statori Romulus templum quo monimentum esset posteris vouit. Liuius decad. 1. lib. 1.

Ouid. in 1. de arte Amandi.

Promittas facito, quid enim promittere lædit?
Pollicitis diues quilibet esse potest.

Idem

Idem.

Perdere verba leue est.

Phocylides.

Μαρτυρίην ψευδῆ φεύγειν, τὰ δίκαι᾽ ἀγορεύειν. Id est, testimonium falsum fuge, iusta loquere. &c.

Nec reticendum hoc in loco, triplex esse votum religionis. 1. Paupertatis: 2. Continentiæ: 3. Obedientiæ. Paupertatis voti meminit Christus, Marci sexto, quod de ijs emittitur, quæ superfluunt. Hinc dicitur, adhuc vnum tibi deest, si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ possides. Hinc moti pij Monachi animum ab omni multitudine curarum & delitiarum penitus auerterunt, vt summũ bonum adsequerentur, animus enim per diuitiarũ contemptum & solitudinem ab omni humanorum negociorum cura solutus, sacris numinibus ac cœlestibus vacans, eadem quotidie sentit, quæ cœlestia munera cogitant efficere. Sic Moses Hebræorum legislator & maximus prophetarum, ac omni Chaldæorum & Aegyptiorum sapientia eruditus, cum sese à sensibus abstrahere vellet, in vastas Aethiopiæ solitudines concessit, vbi cunctis humanis negotijs prætermissis, ad solam diuinarum rerum contemplationem animum mentemque conuertit, in quo sic omnipotenti Deo placuit, vt illum à facie ad faciem videre & intueri meruerit: Sic Ioannes Baptista, boni heremitæ, & cætera monachorum sacrorum turba. Atque ne obscurior sit sermo crassiori exemplo commonstrabimus. Sic Zoroastes, omnium rerum naturalium diuinarumque scientiam viginti annorum solitudine dicitur assecutus, vbi de omni diuinandi atque vaticinandi arte plura conscripsit. Similia operatum esse Orpheum in Thraciæ desertis, scripta eius ad Musæum declarant. Sic legimus Epimenidem Cretensem longissimo quodam somno fuisse eruditum, nam annis quinquaginta dormiuisse fingunt: hoc intelligunt, latuisse. Pythagoras quoque similiter decem annis latuisse fertur, atque Heraclitus & Democritus eandem ob causam solitudine & pauperte delectabantur: quanto magis enim animalem vitam relinquimus & humanam, tanto magis Deum cognoscimus, cui coniuncti & in sortem meliorem restituti, in illo omnia possumus, omnibus dominamur.

3. Votum religionis.

1. Paupertatis.

Vita contemplatiua.

De Voto obedientiæ inquit Christus, Matthæi decimo sexto. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequatur me. Audis hic in hominis potestate positum, siquidem velit: velle autem non sine assensu, re nutu,

2. Obedientiæ.

vel nutu est voluntatis. Erit igitur rursus non coacta, sed spontanea voluntas. Quo fit, vt quod volens pollicita est, quóue sese astrinxit sua sponte, id vt reddat oportet, modo liceat, deceat, atq; expediat, id quod Ieremias indicat ca. 2. Iurabitis, inquit, dicit Dominus, in iustitia, iudicio, & veritate. Eiusmodi vota non semel scripturæ sanctę seruanda præcipiunt, Deutero. 23. Num. 6. De CONTINENTIAE

3. Continentiæ. verò voto, loquitur Dominus. Sunt eunuchi, qui se castrant propter regnum Dei, qui potest capere, capiat. Et Augustinus (Tracta. 9. in euangel. Ioannis) inquit. Illi, qui virginitatem Deo vouent, quanquam ampliorem gradum honoris, & sanctitatis in Ecclesia teneant, non tamen sine nuptijs sunt: nã & ipsi pertinent ad nuptias cum tota Ecclesia, in quibus nuptijs sponsus est Christus. Tradiderunt sancti Dei Apostoli (inquit Epiphanius, cõtra Apostolicorum hæresim pag. 243.) peccatum esse post decretam virginitatem ad nuptias conuerti: & scripsit Apostolus: Si nupserit virgo non peccauit. Quomodo igitur hoc cum illo concordat? Imo etiam illam virginem dicit, quę non est dicata Deo. Et Theophylactus (in 1. Corint. 7. ex sententia Chrysostomi) scribit. Virgo Deo dicata, si nupserit, delinquit haud dubiè plurimum, vtpote quæ Christo sponso superinducat adulterum, hæc ille.

Sanctimonialiũ velatio. Non igitur abs re puellis virginitatem perpetuam vouentibus Christo, sacrum velum imponitur, quo significatur eas valedicto hoc seculo nubere Domino IESV, cui sponso omnium purissimo, perpetua castitate se (ipso auxiliante) adhæsuras profitẽtur, vouent: Cuius meminit Cyprianus, lib. 1. epistol. 11. dicens. Quòd si (virgines) se ex fide Christo dicauerunt, pudicè & castè, sine vlla fabula perseuerant. Ita fortes, & stabiles, præmium virginitatis expectent. Si autem perseuerare nolunt vel non possunt, melius est, vt nubant, quàm in ignem delitijs suis cadant.

Cæterùm, sicut impij Iudæi de vtroq; Christo & Ioanne Baptista temerariè iudicarunt, hic habebat vestem de pilis camelorum, esca eius erant locustę & mel syluestre, vinum & siceram non bibit: Alter, Christus videlicet, veste, cibo, potuq; vtebatur communibus. Vnde Matth. 11. Venit Ioannes non manducans neq; bibens, & dicunt, ecce homo vorax & potator vini, publicanus. Ita modo impij οἱ ἐκ τῆς νῦν ἑτερόχοι, religiosorum (excęcatiores Iudęis) vota, maledica lingua

Cauilla ob. ijcitur. exibilant. Obijciunt enim. Testatur Paulus bonum commodumue esse mulierem non tangere, sed si quis carnis tentigine non vexetur, cum autem in potestate nostra non sit castitas, sanè sub votum cadere non potest, & quid hoc aliud est quàm Deo vouere perpetuã scortationem & perseuerantissimam immunditiam? votum ergo (blaterant)

terant) castitatis & monachicum non est votum, sed luxus ocij & imposturæ tegumentum. Alterum apostaticorum cauillum est. Christus summus fidei antagonista donauit nobis libertatem, voti verò pollicitatio redigit in seruitutem, Ergo &c. Alterum cauillum.

Ad primum cauillum, supra respondimus, ad alterum obiectum dicimus. Verum quidem esse, vota redigere in seruitutem, sed hanc seruitutem summam esse libertatem affirmamus, innixi verbis Pauli, cum ait. Liberati à peccato serui facti estis iustitiæ & Deo: Quid verò (obsecrò) aliud est seruire Deo, quàm cum ipso regnare? quis negat fidelem seruum esse cohæredem Christi? videat candidus lector eundem Paulum Philippen. 3. Collossen. 3. Hebræor. 9. 2. Corin. 3. & reliqua scripturæ loca, quæ prudens hic prætereo. Roman. 6.

VOS ITAQVE hortantes monemus omnes qui Christianitatem suscepistis, & à Christo Christianum vocabulum suscepistis, ne in aliquo Christianitatem vestram irritam faciatis, desponsionem, quam Domino fecistis, firmiter teneatis, ne reprobi, sed condigni coram eo inueniamini: Et quicunque vestrum communem vitam susceptam habet, & nouit se nihil proprium habere, videat ne pollicitationem suam irritam faciat, sed hoc quod Domino est pollicitus, fideliter custodiat, ne damnationem, sed præmium sibi adquirat: quoniam satius est non vouere, q̃ votum prout melius potest, non perficere, grauius enim puniuntur, qui votum fecerunt, aut fidem perceperunt, & votum non perfecerunt, aut malè vitam finierunt, quàm illi qui sine voto aut fide mortui sunt, & tamen bona egerunt opera, &c.

Quàm petulanter verò facundiam caninam exercuerint hactenus votifragi excucullati in catholicos mystas, plaustra conuitijs plena exonerantes, votaque sustulerint vniuersa: possem & ego stulta illorum garrulitate irritatus, contra insanientes insanire, ac suaues illos viros, sibijpsis, tanquam in speculo ostendere, ni id naturalis prohiberet æquitas, ni id Christiana detestaretur pietas. Inuectio in lasciuos votifragos.

Absit enim vt à quo iunior semper abhorrui, id vergentibus annis perpetrare incipiam, atque imitator sim eorum qui ob linguæ amaritudinem merito reprehenduntur: illi loquantur spurcitias, qui & spurca committere possunt, ego verò diuinis (cogor enim aliquantulũ esse gloriosior) ac Christianis institutis edoctus, scio Saluatoris esse prçceptũ, ne maledicentibus remaledicamus, néue malum pro malo reddamus, quod tantus ille magister non solũ ore docuit, sed reipsa planè adipleuit: Prçstat igitur toleranda illius sequi vestigia, q̃ vindicando sanctissima mandata transgredi, Siquidem vera in hoc mundo victoria, non ab agendo, sed patiendo, contrariaque penitus

ratione eſt aucupanda, quoniam non qui iniuriam infert, ſed qui pa-
Numeri 6. titur vincit. Sic contra Moyſen virum Dei ſtetiſſe leguntur ducenti
Geneſ. 37. quinquaginta viri. Ioſeph ſimili modo à fratribus venditus Iſmahe-
liticis ob inuidiam. Daniel innocens in lacum leonum miſſus eſt.
Dan. 6. 13. Suſanna pudica accuſata à ſenioribus. Chriſtum falſis teſtibus con-
Actor. 7. demnatum fuiſſe omnibus perſpectũ eſt. Stephanus prothomartyr
à collegio impiorum interfectus ob inuidiam. Apoſtoli omnes occiſi:
Andreas in crucem ſuſpenſus. Paulus ſecuri paſſus. Bartholomeus vi-
uens excoriatus ſeu nudatus cute. Laurentius flammis exuſtus. Atha-
naſius ab Arrianis, Baſilius à Valente, Cyprianus ab inuidis, Tertul-
lianus à clericis, Chryſoſtomus à muliere paſſus eſt. Cyriacus à Iulia-
no, &c. Proinde blacteramina illa apoſtaticorum votifragorum con-
tra vota, non ſolùm non contumelioſa, ſed admodum honorifica no-
bis eſſe ducimus. Sed iam ſatis τῆς παρεργίας, hiſce enim de rebus plu-
ra quàm ſtatueram.

Circiter annum 1034. Emerſerunt Dulciniſtę heretici. Quorum
Dulciniſtæ. ad ſex millia vtriuſq; ſexus ſub ſpecie charitatis ſimul habitantes do-
cuerunt, & in montium cauernis in omnem luxuriam prolabebãtur.

148 BENEDICTVS 9.

Tuſcus regione: Hunc propter ignauiam, vt dicunt, eiecerunt Ro-
mani à ſede, & in eius locum ſuffecerunt Ioannem Sabinum epiſco-
Syluester 3. antipapa, ſeditione populi intruſus. pum SYLVESTRVM 3. appellantes. Sed poſt 49. alij 65. dies,
pulſo adulterino PP. Benedictus 9. reſtituitur. Sedit ann. 11. alij ann.
10. menſ. 4. di. 9.

149 GREGORIVS 9.

Germanus natione, vir ſanctus & miraculo clarus, ſedit annos 2.
adijciunt alij menſ. 7.

Cardinalis nomen in vſu. Circa hæc tempora Cardinaliũ nomen in vſu eſſe cœpit. Sunt au-
tem Cardinales à cardine dicti, quia ſicut oſtium regitur à cardine, ſic
illi regere debent Eccleſiam vniuerſalem.

Hic habet à fixo deductum cardine nomen.
Debeat vt firmam ſuſtinuiſſe fidem.

150 CLEMENS 2.

In ſynodo PP. creatur, imperante & cogente Henrico 3. Sed ab-
eunte Imperatore, Romani veneno pontificem è medio ſuſtulere,
pontificatus ſui menſe 9.

151 DAMASVS 2.

Bauarus, vi papatum occupauit di. 23. nullo cleri populiq; conſen-
ſu. Adeo inoleuerat hic mos, vt cuiq; ambitioſulo liceret Petri ſedem
inuadere: vacat ſedes di. 11.

Hac tempestate, translatio corporis S. Luciæ, ad ciuitatem Venetiarum, anno 1040. facta est.

Leo 9. 152

Germanus natione, comes de Dagisburga, ex linea verò matris comes de Kalvv, alij scribunt ipsam matrem suam comitissam fuisse de Egesheim: vir simplex, Episcopus Tullensis, à Deo vocatus velut alter Aharon, sic optime functus est officio suo, qui etiam miraculis claruit. Sedit an. 5. mens. 2. vacat sedes di. 11.

Idem Leo PP. Ecclesiam parochialem S. Columbe Argentorati consecrauit.

Eiusdem pontificis parentes, cœnobium Benedictini instituti, vulgo Altdorf, Argentinensis diocæseos, fundauerunt circiter annum 1066.

S. Odilo, abbas Cluniacensis, quieuit anno Domini 1048. ætatis suæ 77. Ordinationis verò suæ 56. 2. calend. Ianuar.

Victor 2. 153

Germanus natione, patria Bauarus, prius dictus Gebhardus, & comes de Kalvv, vir bonus, ex episcopo Eichstetensi electus in pontificem Romanum. Sedit annos 2. mens. 2. adijciunt alij mensem vnum, vacat sedes di. 11.

Idem, in concilio Florentino labem Symoniacam anathemate percussit, & multos Symoniacos Giezitas remouit, de qua lepra infra.

Stephanus 9. 154

Lothoringus, alij Germanũ fuisse scribunt: præfuit mens. 7. adijciunt alij dies 8.

Huic Stephano PP. Mediolanensis Ecclesia se subdidit, cui 200. annis nil negotij cum Romana fuerat, Sabellicus. *Insubrica Ecclesia ad S.R.E. accedit.*

Alba augia Narcissorum aut potius Norici, cœnobium ordinis D. Benedicti, 4. lapidibus à Norinberga fundatur, anno Domini 1053. sub Imperatore Henrico Nigro.

Benedictus 10. 155

Campanus: Sedit mens. 9. adijciunt alij di. 20.

Nicolaus 2. 156

Sabaudus: Sedit annos 2. mens. 6. di. 26. adijciunt alij menses 5. vacat sedes di. 13.

Is PP. electionem pontificum ad Cardinales tantùm reduxit.

Hac tempestate, Berengarij error de sacramento cœnæ Dominicæ resuscitatus est: Alij temporibus Leonis 9. id accidisse ferunt. Negarunt autem Berengariani transsubstantiationem. Errorem
Berengariani hæretici. nunc pessimum Berengarius in concilio Lateranensi, coram Nicolao 2. PP. reuocauit, vide ego Berengarius de conse. dist. 2. Hăc abiuratam hæresim resuscitarunt nostra tempestate ZVINGLICI mysteriomachi Capharnaitæ (à Caphar non Caper, quod est villa, & Naum, consolatio.) qui ne visis quidem signis credunt cum Regulo, Ioan. 4. Stupenda cæcitas & arrogantia sacramentariorum, clarissimæ fidei catholicæ Ecclesiæ aduersantium: Credere iubemur, discutere (veritas multis verbis non eget) & tot scyrpos nectere prohibemur. Credentibus (inquit Ambrosius, de fide lib. 3. cap. 4.) puer natus est, & non incredulis. Adoranda est eius immensitas magis quàm explicãda: Iudicia eius abyssus multa, & ergo nobis occultissima. Et
Psalm. 35. quid inconsideratius, quàm id perinde vt prophanum fugere, quod Deus ipse sanctissimum haberi voluit? Res hæc altior est, quàm vt possit attingi, & abstrusior, quàm vt à vobis valeat perscrutari, fide igitur non inquisitione opus est. Quid ingratius, quàm id negare posteritati, quod ipse ab Ecclesia accepisti? Quid æquius, quàm id reddere posteris, quod ipsi à Maioribus accepimus? Quid sanctius quod ipse Parens rerum instituit, dicens, HOC EST CORPVS
Matth. 26. Mar. 14. 1. Corint. 11. Ioan. 6. MEVM? EST, inquam, non significat. Audistin' τὸ σῶμα? vnde disquirenti curiosè & temerariè, diuinæ voluntatis rationem, respondebit ipse Deus verbum illud euangelicum, Math. 20. An nõ licet mihi facere quod volo? Vbi veritas est, ibi nulla est quæstionis necessitas hic nihil oportet curiosè perquirere, quid opus est curiosa indagatione? siquidem quæstio fidem tollit. Etenim qui quærit nondum inuenit: qui quærit difficilè credere potest. Nam si quærimus, iam non credimus. Fides autem animum cogitationemque facit conquiescere. Salubre consilium dedit Apostolus, Romano. 9. Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, Roma. 18. Ignem ne feces gladio. Et qui scrutator est, Prouerb. 25. maiestatis, opprimetur à gloria. Neque enim debet seruus insolenter irrumpere in secreta Domini & arcana: quæ sibi soli reseruauit ipse Dominus disponenda. Facilis & periculosus est in re tam ardua lapsus. Cessa igitur quærere & crede scripturæ. Quid enim stultius, quid vecordius, quàm vmbris inhiantem res veras amittere, id quod solemus in cane illo Aesopico ridere, vel potius deflere? Qui nusquam in alijs fefellit, in illis fallet? Quum à Simonide quæsiuisset tyrannus Hiero, quid aut quale esset Deus, deli

deliberandi sibi vnum diem postulauit. Quum idem ex eo postridie quæreret, biduum petijt. Cùm sæpius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero requireret cur ita faceret; Quia quantò (respondit) diutius considero, tantò res mihi videtur obscurior. Cicero. 1. de Natura Deorum. O præposterum sapientiæ genus, in humana sapientia callidum esse & cautum, in ijs verò quæ sola ad salutem nostrã pertinent, non ita multo plus pecude sapere? Paulus vult nos esse sapientes, sed in bono, simplices autem in malo. Ephes. 5. Sapiunt isti mysteriomachi vt inique agant, bene autem facere nesciunt. Et cum facundus ille Poëta Græcus, ad nihil vtilem hominem censeat, qui neque ipse per se sapiat, neque bene monenti obtemperet, qua tandem in classe ponentur Zuinglistæ, qui cum turpissimè desipiant, tamen non desinunt obturbare, ridere, deterrere eos, qui iam resipuerunt? Veritas (inquit Lactantius lib. 1. diuinarum institutionum, cap. 1.) id est, arcanum summi Dei, qui fecit omnia, ingenio ac proprijs non potest sensibus comprehendi, alioquin nihil inter Deum hominemque distaret, si consilia & dispositiones illius maiestatis æternæ, cogitatio assequeretur humana. In Christo Iesu Domino habemus (inquit Paulus) fiduciam ac accessum, in confidentia per fidem eius. Ephes. 3. Quid est, per fidem eius? Quia fidendum est illi toto pectore, qui non fallit in promissis, etiamsi promittat, quæ videntur nobis impossibilia. Quis enim credidisset fieri posse, vt diuina humanaque natura sic vnirentur, vt coirent in vnam personam? At ille promisit & præstitit. Quis crederet fieri posse, vt homo verus sederet ad dexteram Dei patris? promisit & præstitit. Quid est igitur quod non speremus à Deo? De quo scriptum est. Dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt. Qui ergò dixit, hoc est corpus meum, cur nos panem dicimus? Et quid Deo impossibile? Nonne omnia quæcunque voluit Dominus fecit, in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis? Hebræo. 6. Nonne extollimus homines peccati super Deum qui dicitur & colitur? Psalm. 134. Nónne plus fidunt in hominum verba quàm in Dei verba? Imo verbis Dei prorsus diffidunt increduli Zuinglistæ, & solis hominum verbis credunt? Quid obsecrò quærimus nodum in scirpo? Et quis (vt Iiob ait) dicere potest, cur ita facis? βροτὸς πεφυκὼς μὴ φρονεῖ ὑπὲρ θεόν. Id est, mortalis quum sis ita sapias vt non vltra Deum. Iiob. 11. cap. De Aristotele literis proditum est, verè an falsò, nunc non excutio, quòd posteaquam ingenium suum diu multumque torserat studio peruestigandi causas, quur mare Euboicum secus, quàm alia maria, septies in die de-

curreret ac recurreret, neque quidquam proficeret, sese in ipsum abiecit mare, dicens, quando ego te non capio, tu capies me. Quo minus mirandum est, si qui non contenti credere, quæ nobis tradidit scriptura, de veritate corporis Dominici multa scrutantur, humanæ mentis captum in immensum excedentia, in delirationem incidunt, vt iam communi quoque sensu careant, qui supra humanum sensum sapere voluerunt. Quid multis moror? Omnia subuertere, Christumque simul & spiritum eius ab Ecclesia tollere moliuntur ὀλιγόπιστοι: Negant enim illic esse Christon vbi reuera Christus est. Prophanant sacra mysteria, quod tamen nec miseris gentilibus impunè cessit. Nam Theodorus tragœdiarum poëta, cum nonnulla ex Iudaicæ scripturæ mysterijs ad fabulam quãdam transferre vellet, luminibus captus est. Theopompus quoque, quod cœperat nonnulla ex lege diuina transferre in Græcam linguam: Illico turbatione quadam mentis & animi perculsus est, eundem magnopere Deum orans, cuius rei gratia id sibi accidisset, audiuisse fertur per somnium, quia res diuinas lenocinio inquinaret, &c. Iam verò quis nescit Christon incredulos discipulos arguisse? videat candidus lector, Matth. 17. Mar. 9. Luc. 9. 24. Ioan. 20. O prauissima mentis peruersæ doctrina, ô insulsum consilium Sacramentariorum, quis eos non dixerit insanire? Quemadmodum autem homini tutum non est vltra quàm fragilitas sua permittit extolli, Ita periculosum est quæ humanis rationibus assequi nequit reijcere, aut etiam irridere: maximè tot tantisq; Patribus reclamantibus, & impietatem talem manifestè execrantibus.

Nostra tempestate 8. Zuinglianistarum sectæ numerantur.

1. Significatiui. Est, pro significat exponunt.
2. Tropistæ. Corpus, pro corporis forma, intelligunt.
3. Energici. Corpus Domini dicunt intelligi oportere pro energia corporis.
4. Arabonarij, Cœnam Domini, dari tanquam arabonem corporis blaterant.
5. In adessendo: Corpus Domini quidẽ adesse cõcedunt, sed eorum alij, quod sub pane, alij cũ pane, alij in pane, alij circa panẽ, &c.
6. Esse cum pane. 7. Esse sub pane.
8. Spirituales Schuenckfeldiani, Externa signa esse vana, internum solùm spiritum sufficere contendunt.

Berengarianæ hæreseos resuscitator

Prædictarum sectarũ extitit prodromus Huldericus Zuinglius, filius

filius Lutheri,& pater Sacramentariorum. Is ad Capellas pugnans, (ex pastore ferentarius) & cum eo 16. clamosi præcones, occubuit anno 1530. in Octobri mense, die 7. Scriptum enim, Prouerb. 16. Vir imprudens sibi mala fodit. Et qualis vita talis exitus. Qualis ciuitas, cuius diruta sunt mœnia, talis est vir qui non omnia cum consilio agit. Scribit Bullingerus, sanctum magistratus edictum Zuinglium & consectarios armasse, sed gladio spiritus sibi pugnandum erat, quod est verbum Dei, iusto ergo Dei iudicio, vir iste sanctus scilicet, tandem pulchram oppetijt mortem. Damnata est hæc Zuinglistarum hæresis à LEONE 10. in concilio Vercellensi, cōtra quos acerrimè scripsit Lutherus.

ALEXANDER 2. 157

Mediolanensis patria, vir sanctus, circiter annum 1061. Sedit ann. 11. mens. 6. adijciunt alij di. 25.

Idem, Laicis vetuit conferre Ecclesiastica beneficia, Hermannus contractus.

GREGORIVS 7. 158

Hetruscus patria, omnium bonorum consensu pontifex creatur: formam electionis suæ, & alia annotatione digna, ostendit Platina. Hunc Gregorium 7. quidam somniatores, coccycis in morem, suis næniјs quadam prodigiosa libidine vtiles historias conspurcantes (quid hoc aliud quàm generosum vinū lotio aut aceto vitiare?) magum mentiti sunt. Sedit autem an. 12. mens. 1. ponunt alij annos 11.

Idem PP. Henricum 4. eius nominis Imperatorem excommunicauit, causam ostendit Pighius lib. 5. Ecclesiast. Hierarch. cap. 2.

De miserabili exitu Vuilhelmi Traiectensis episcopi, ob spretam Gregorij pontificis excommunicationem, vide eūdem Campensem loco citato.

Canonici regulares, anno 1080.

VICTOR 3. 159

Abbas Casinensis, Is PP. vt Mirandensis scribit) opera Henrici veneno in calicem iniecto, dum sacrificat, necatur: Sedit ann. 1. mens. 4. di. 7. vacat sedes di. 9.

Hoc tempore, ordo Carthusiensium initium sumpsit, anno 1080. Intima veste vtuntur cilicina Carthusiani nostra tempestate, summa pallio nigro, subter candida toga, tegminéque capitis cucullo, carnibus nunquam vescuntur, sexto plurimum hebdomadæ die pane & aqua ieiuniū agūt, in cubiculis quæ veluti sacella habent, soli edunt, certis tamen festis diebus vna duntaxat prandent. Silentium eis penè perpetuum. Sanctissimi huius instituti extitit Bruno, homo ex Carthusiani

Colonia Agrippina. Extat Sapphicum carmē Sebaſtiani Brant LL. Doctoris, de laude ordinis Carthuſiani, hoc cum feſtiuiſsimum ſit carmen, non pigebit me totum adſcribere, in laudem ordinis cui enixe fauco.

Spiritus ſancti mihi gratiam da
Summe cælorum moderator ô rex,
Ordinis laudes valeam ſonare
Carthuſiani.
Ecquis ad vitam leuius beatam
Quiſue ſecurè, citiuſue tendit?
Tutius quis nam ſua fata anhelat
Carthuſiano?
Bruno tu felix merito fereris,
Qui viam latam fugiens ſiniſtræ,
Arripis dextram, prior atque factus
Carthuſianus.
Abdito quærens ſocijs receptis
Vt loco degas, eremum legebas,
Hortus inſignis duce te rigatur
Carthuſianus.
Spernis hæc mundi, bona quæ putantur:
Præteris cleri tumidos honores:
Quos queas plures habuiſſe, factus
Carthuſianus.
Tu ſacri iuris fueras peritus:
Paginæ ſanctæ docilis magiſter:
Charus & multis, nihili iſta pendis
Carthuſianus.
Inter anfractus, dubiaſq́ mundi
Semitas: arctam peregre capeſcis,
Et viam certam properè inſequutus,
Carthuſianus.
Addo quod Papam variaſque pompas
Curiæ temnens: Calabros adiſti,
Hos doces normam, ſtruiturq́ue turris
Carthuſiana.
Nullus obſtabat labor aut grauamen,
Quo minus ſemen iaceret ſalutis,
Corda fœcundans, bonus iſte miles
Carthuſianus.
Bruno tum demum venerande claudis
Vltimam vitæ, peragiſque metam:
Pace tranſmigrans ſuperas ad aulas
Carthuſianus.
Regulam linquis ſatis eminentem
Patribus multis placidam ſacratis.
Ponti-

Pontifex summus probat & decorat
Carthusianos.
Arce nec celsa potuit latere
Ciuitas, lumen modio tegi nec:
Crescit, & passim procul auctus ordo
Carthusianus.
Non rigor quondam Scythiæ, aut Canopi
Accolis maior, Nitriæue montis:
Quàm seruent casti modo, sobrijque
Carthusiani.
Hactenus nunquam fluuio perhenni
Deserit fontis veteris saporem,
Degener nunquam fuit ordo visus
Carthusianus.
Vos odor Christi bonus, aggregatus
Ex cœnobitis & Anachoretis,
Planè Baptistam tamen æmulantes
Carthusiani.
Mundus haud dignus fuit, vt teneret
Abditos cellis eremum colentes,
Pellibus cinctos capreis, melotis,
Carthusianos.
Lugeant quamuis spacio momenti,
Et licet semen iaciant gementes,
Attamen læti veniunt maniplis
Carthusiani.
Inclytos fructus parit & suaues
Arbor, hanc vitem probat hortulanus,
Palmites quæ fert viridantis vuæ
Carthusiano.
Sabbata & fœdus Domini tenetis,
Estis eunuchi Domini volentes,
In domo vobis locus est herili
Carthusiani.
Vnicus tecti tugurijque custos,
Peruigil passer, meditans columba,
Et Pelicanus, eremi colonus
Carthusianus.
Turtur ô Christi speciose, mœrens
Tu gemis sponso viduate charo,
Fronde non curas viridi cubare
Carthusiane?
Respuis quicquid iubeat voluptas,
Balneum vitas, teneros amictus,
Carnibus vesci fugis, abstinendo,
Carthusiane,
Ipse non quæris hominum diem, nec
Arrogas laudes populi caducas,

Gloria spernis stimulos inanes
Carthusiane.
Vnius flocci patriam, parentes,
Liberos, fratres, facit & sorores,
Atque fortunæ bona cuncta temnit
Carthusianus.
Sæculi sordes fugit & prophanat
Et suam vitam, nihil ista curat,
Dulce nil Christo sine, nil amænum
Carthusiano.
Qui iugum lętus teneris ab annis
Pertulit, solus sedet & tacebit,
Se super gaudet fore se leuatum
Carthusianus.
Veste procedit cito nuptiali
Obuiam sponso, manibus nitentes
Lampades gestans, oleo decoras
Carthusianus.
Excubat, longas meditatur horas,
Crastinæ nullus labor est diei,
Quidue manducet, bibat aut fruatur
Carthusianus.
Insuper carnem violant domando,
Incolunt cellas, vigilant, precantur,
Abstinent, corpus maceratum flagellis,
Carthusiani.
Vnius iussum tolerant Prioris
Quicquid mandat, peragunt volentes,
Precipit si quid grauius, fatescunt
Carthusiani.
Rarior casus, facile inde surgunt,
Paruulos petræ propere atterendo,
Baltheo lumbos, veneremque stringunt
Carthusiani,
Id quod elongans facit hos subire
Claustra deserti fugiunt, manentes,
Milites Christi lachrymis vacando
Carthusiani.
Sint licet plures populo ferentes
Pabulum, pauci faciunt, sed eheu
Quæ docent solus opere ista monstrat
Carthusianus.
Rectè felicem, penitus beatum
Teque perfectum, sine labe, dicam,
Iam vale nostri memor ordo sancte
Carthusiane.

VRBA-

VRBANVS 2.

Cluniacensis patria, circiter annum 1086. Hunc Platina scribit virum fuisse, tam doctrina, quàm vitæ sanctitate, vel summo magistratu dignissimum. Sedit an. 12. mens. 4. vacat sedes di. 16.

Is PP. septem horas canonicas confirmauit: & vt totidem horę in honorem Deiparæ virginis quotidie recitarentur, instituit. Factum hoc est in concilio, quod in Gallijs ad Clarum montem habuit. Idem PP. in supradicto concilio principes Christianos contra Mahometicos Alcoranistas animauit, in quo negotio mirifice profecit.

Idem PP. Toletano primatum in Hispania concessit.

Testantur historiæ, cum alijs temporibus, tum sub VRBANO 2. Balduinum Siciliam, & Bohemundum Antiochiam, ambos egregios duces è Turcarum manibus recuperasse. Licebit igitur aduersus Turcas præliari. Quamobrem si repugnare Deo creditur, quisquis Turcis aduersatur, & is item reluctari Deo putandus est; qui famem, ignem, pestē, morbos, ac cætera id genus mala fugare molitur.

Idem Vrbanus, Cistercienſem ordinem, ab Ardingo Anglo inceptum, approbauit: Alij, Cisterciensis ordinis authorem, Robertum Molismensem, scribunt. Cistercienses

CISTERCIVM locus in Burgundia Cabilonensis diocæseos vastæ solitudinis, ac horrendi aspectus. De veris Monachis primorum temporum, sequentia legimus. Quatuor horis dormiebant in nocte, quatuor psallabant, & quatuor operabantur. Deinde verò vsque ad nonam legebant, scindētes folia palmarum. Et post hoc victum sibi præparabant, colligentes quasdam herbas terræ: folijs palmarum contextis vestiebantur. Mundanis cupiditatibus animus moriebatur, &c. Monachi veri.

Hoc tempore, Præmonstratensium ordo sub Northberto repullulat: alij hoc in annum 1137. reijciunt. Amiciuntur tunica alba; cum linea toga, sub candido pallio, quo potissimum à canonicis differunt. Præmonstratum hodie locus est Laudunensis diocæseos. Præmonstratenses.

Isnense Monasterium, ordinis D. Benedicti, fundatum anno Domini 1096.

Byblingum cœnobiū instituti Benedictini, Cōstantiēsis diocęseos, non procul ab Vlma regali pago, fundatum anno Domini 1099. Byblingum

Zvvifaltū siue Zvifaltaha, latinè ad duplices aquas, cœnobium Benedictinum magnificum, Constantiensis diocæseos, fundatum est anno Christi 1088. pontificatum Vrbano 2. Imperium verò Henrico 4. tenentibus.

Burhonium iam Blabyrium monasterium ordinis D. Benedicti, fun-

cti fundatur anno 1095.

Translatio corporis S. Nicolai de Myrea, ad ciuitatem Venetiarum facta est, anno Domini 1086. tempore Vrbani 2.

161 PASCHALIS 2.

Anno 1100. Antea dictus Petrus Rauerius. Quem Platina diuinitus electum fuisse tradit. Eundem totus clerus nolentem & latitatem pontificem creauit, quod diceret humeros suos nequaquam tanto oneri sufficienteis. Tandem diutina purificatus ægritudine, præsentem in Domino vitam finiuit. Sedit an. 18. mens. 6. adijciunt alij mens. 1. di. 7. vacat sedes di. 2.

Hac tempestate, Florentię concilium indictum est, propter Fluentini præsidis de nato Antichristo opinionem.

Sub Paschali 2. Hierosolymitani ciues suaui iugo IESV CHRISTI ceruices submiserunt, & Gothifredus omnium Christianorum consensu, rex illic fuit constitutus.

Idem Paschalis 2. Henricum 5. corona Imperiali coronauit.

S. Bernardus. S. Bernardus, filius Tecelini, & Alethi, abbas Clareuallēsis: Burgundus, hisce temporibus circiter annum 1140. alij 1127. floruit.

Castelium. Castelium siue Castellum ordinis D. Benedicti monasterium, ad Lautherum amnem situm, fundatum est hoc tempore.

S. Marina. S. Marina virgo Græcanica quieuit in Domino 16. calend. Augusti, anno Domini 1113. Venetijs sepulta.

Friburgum extructum. Anno Domini supra millesimum centesimo vndecimo, Conradus Zaringiæ dux, Bertholdi ducis (qui Bernam ciuitatem condidit) auus, Friburgum Brisgoicum oppidum è fundo condidit.

162 GELASIVS 2.

Caietanus patria, antea Ioannes dictus, vir sanctissimus omniq; laude dignissimus, vt Platina asserit. Sedit an. 1. adijciūt alij annum vnum. Vacat sedes di. 24.

Templarij. Circiter hæc tempora, Anno 1128. habuerūt originem Templarij & Ioānitæ, milites. Hierosolymis Templarij esse cœperunt, vbi circa Christi sepulchrum agitantes, Christiani nominis viros illuc peregrè profectos hospitio accipiebant, acceptos armis (vt Polydorus scribit) accincti per tēpla & sacra loca comitabātur, vt omnem terram sanctam tuto viserent. Fuerunt huius charitatis officij autores viri singulari pietate nouem numero. Ii quia in parte ędium templi habitabant, Templariorum nomen inde tulere: vtebantur candido pallio cum rubenti cruce, propagataque est religio in ducentos annos. Certam ijs formam obseruationis Bernhardus abbas constituit. Habuit res leuis ab initio, non parua incrementa, ita vt facultates

tates maximas,& oppida quamplurima vbique poſsiderent:verùm conuicti demum impietatis,quòd qui Hieroſolymis agebant,ad Saracenos defeciſſent,eſſentq; in fœda vitia prolapſi, omnes ad vnum Clementis quinti pontificatu deleti ſunt, eorumque bona partim Rhodijs militibus,partim nouis familijs attributa ſunt. De templarijs ſcripſit Robertus Gaguinus Gallicus ſcriptor lib.7. in rege Philippo pulchro.Item,Albertus Krantz lib.7.Vuand.cap.46.De initio Ioannitarum,vide Albertum Krantz lib.8.cap.3.

CALIXTVS. 2. 163

Burgundus patria,electus temporibus Henrici 5. in Cluniacenſi cœnobio:Quem de Deo deq; hominibus bene meritũ Platina tradit.Habito Laterani 900.Patrũ concilio,ſupplementa militię Chriſtianæ iam deficientis ſubminiſtrauit.Sedit ann.5.menſes 10.moritur in Domino. Anno 1120.

Hac tempeſtate,Balduinus Hieroſolymitanus rex,Gazin regem minoris Aſiæ ſuperat,& captum in carcerem coniecit.Huic Balduino pontifex Calixtus 2.perſonale priuilegium conceſsit, anno Domini 1122.nono calend.Octobris.

Anno Dominicę incarnationis 1124. indictione 2. Caliſto PP. 2. Romanę ſedi pręſidẽte,Otto Dei gratia Babenbergẽſis Eccleſię epiſcopus,diuino admonitus inſtinctu, Pomeranis Chriſtũ prædicauit. Pomeranis Christus prædicatur.

Temporibus Cunonis epiſcopi Argentinenſis 53.circiter annum 1120.Cœnobium Hugshofen aliàs Curia Hugonis,in Vogeſi montanis cõfirmatur.Sub epiſcopo eodẽ cœnobiũ Boumgartẽ fundatur. Curia Hugonis.

Gebvuileriana ciuitas Baſilienſis diocæſeos, ſub ditione abbatis Murrbacenſis, inchoata eſt anno 1124.

Cœnobium Anhuſium,in Brentiana valle cõſtruitur,anno 1125. Anhuſium.

Michelfeldt,clariſsimum Benedictinorum cœnobium, circa Pegneſum amnem fundatum,anno 1119. Michelfeldt

HONORIVS 2. 164

Imolẽſis patria,circiter annũ 1126.familiaritate pręclarorũ virorũ mirificè delectabatur. Sedit an.5.menſ.2.di.8.vacat ſedes di. 8.

Sub hoc,floruit Hugo de S.Victore: Qui ſcribendo ſui ingenij præclara monumenta reliquit.

Erbacum Ciſtercientium monachorum in Oſtrofrancis & Herbipolenſi diocæſi,fundatur anno Chriſti 1128.Bruſch. Erbacum

Nuvvenburgũ cœnobiũ ordinis Ciſtercienſis, fundatur an.1128.

INNOCENTIVS 2. 165

In odium Innocentij,electus eſt Petrus Leonis,qui ſe Anacletum appellauit. Ab hoc per vim pulſus eſt INNOCENTIVS, ad Anacletus antipapa.

S.Bernhar

S.Bernhardum confugiens.Compescuit autem hos motus Lotarius 2.Saxo:Qui ab Innocentio 2.corona Imperiali est insignitus. Sedit autem Innocentius an.14.mens.7.di.8.vacat sedes di.2.

Petri Bailardi heresis. Synodus hoc pontifice in Gallia congregata,contra Petrum Bailardum(qui & Alardus quibusdam dicitur & Baliardus)Anglũ. Is pręter creatorẽ & creaturas,aliud quiddã posuit.Docuit(queãdmodũ illi Beatus Bernardus Epistola 190.impingit)timorẽ Domini nõ esse in futuro seculo,quamuis scriptum.Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi. Idem omnium sanctorum doctorum sententias contempsit,&c.Sed conuictus erroris in Senonensi concilio, sanctisimè postea vixit,non modò sententiam mutando, sed monasticam vitam & religionem etiam professus.

Fõs salutis. Sub Innocentio 2. fundatum est cœnobium Fons salutis, vulgo Heilsbrun,Cistercientium ordinis,ad Svuabachium amnem, anno Christi 1132.Egranus.

Mulbrunn. Mulbrunum monasterium Cisterciensis ordinis magnificum in ducatu Vuirtenbergensi,fundatum est 18.Calendarum Aprilis,anno redempti orbis 1138.à Domino Gunthero Spirensi episcopo, de comitum Lyningensium familia.

Salomonis villa. Salomonis villa, vulgò Salmenschvuiler Cisterciensis instituti cœnobium,fundatum est anno 1138.

Egidianum cœnobium apud Noribergenses fundatũ, anno 1140.

Elchingum. Elchingum D.Benedicti cœnobium, Augustanæ diocæseos, fundatum est anno Domini 1128.

Itenvuiler. Collegium in Itenvuiler,Argentinensis diocæseos,iuxta mõtana Vogesi,fundatur anno Domini 1137.

Edelstetum. Edelstetum, in Sueuia pulcherrimum collegium canonissarum liberarum, Vrspergensi cœnobio vicinum, fundatum & dotatum est,anno Christi 1126.

166 COELESTINVS 2.

Tuscus patria,circiter annum 1145.electus sub Conrado Sueuo. Sedit mens.5.obijt peste.

167 LVCIVS 2.

Bononiensis,sedit mens.7.di.4.adijciunt alij menses 4. sepultus in Laterano.

168 EVGENIVS 3.

Pisanus patria, Anastasij abbas,quem sanctus Bernhardus monachum induit:Tradit Platina, Cardinales nutu diuino percitos hunc delegisse.Sedit annos 8.mens.4.di.20.

Extat epistola, in qua S.Bernhardus ad EVGENIVM in hæc verba

verba ſcribit. Indagemus(inquit)diligentius,quiſis,quam geras pro tempore perſonam in Eccleſia Dei, Quis es? Sacerdos magnus, Pontifex ſummus: tu princeps epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel: Gubernatu Noë: Patriarchatu Abrahā: Ordine Melchiſedech: Dignitate Aharon: Auctoritate Moſes: Iudicatu Samuel. Poteſtate Petrus: Vnctione Chriſtus. Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ. Sunt quidem & alij cœli ianitores, & gregum paſtores. Sed tu tanto glorioſius, quanto differentius præ cæteris nomen hæreditaſti, hæc S. Bernardus.

Idem Eugenius PP. eloquentiſsimus, cruce ſignatis in Aſia, à Ludouico Galliarum rege, ſuppetias impetrauit.

Iſtius Eugenij gubernatu, Nortvuegia Chriſtianā fidem induit. Nortvuegia autem, quam quidam Nortvuagiam appellant, longo tractu Suetiæ adiacet, mariq; alluitur. Atq; vt hæc à Sud, id eſt Meridie: ita illa à Nort, id eſt Septentrione, ad quem ſita eſt, nomē accepit. Germani enim quatuor orbis plagis vernacula nomina indidere, prouinciaſq; his adiacentes inde denominauere. O S T enim, Orientem ſignificat: vnde Auſtria, quam Germani propriè exprimunt Oſterreich. Vueſt, occidentem: à quo Vueſtualia.

Nortvuegia cōuertitur. Sud. Nort. Oſt. Vueſt.

ANASTASIVS 4. 169

Romanus patria, Is cū tota ferè Europa fame laboraretur, clam & apertè pauperibus Lazaritis eleemoſynas porrexit. Sedit ann. 2. menſ. 4. adijciunt alij annum vnum, dies 24. vacat ſedes di. 20.

Rebdorphum, cœnobium Canonicorū regularium S. Auguſtini, ad Altimulam ſupra Aychſtadium, extrui cęptū eſt an. 1156. Bruſch.

ADRIANVS 4. 170

Anglus natione, Albanus antiſtes, circiter annum 1157. Antè ab Eugenio Cardinalis creatus, quod Nortvuegiam ex gētilitate & paganiſmo ad S. R. E. conuertiſſet. Sedit annos 4. menſ. 10. adijciunt alij annum vnum, vacat ſedes di. 20.

ALEXANDER 3. 171

Senenſis patria, vir ſtrenuus, de omnibus inimicis ſuis (auxiliantibus Venetis) fortiter triumphauit. Sedit annos 21. di. 19. adijciunt alij menſes 10.

Ordo Vuilhelmitarum, anno 1181.

Alexandro 3. ſedente in cathedra Petri, claruit Thomas Cantuarienſis archiepiſcopus, cognomento Bequetus, martyrij mercedem aſſecutus eſt, anno 1171. Cuius ſancti martyris reliquias incendit (furore repletus) Henricus 8. Angliæ rex & ſceptrifer, anno 1538.

Thomas Cantuarienſis.

Carmelitæ. Alexandri 3. temporibus, Carmelitarum ordo incepit. Satius enim esse ducebant boni Carmelitæ cum leonibus ac pãtheris habere commercium, q̃ cum hominibus impijs. Hinc olim tot hominum examina non ferentium idololatrarum impietatem ac sæuitiam, occupauerũt solitudines Thebaidis. Hinc prima monachorũ origo. Alij secesserunt in solitudines Syriæ, quorũ est beatus Hieronymus. Alij in desertas insulas sese abdebant. Alij montium cacumina, penè inaccessa obsidebant, vt D. Benedictus. Nonnulli paludes horridas, & vix vlli animantium habitabiles scrutabantur, vt Patritius ac Bernardus. Alij rupes & ipso aspectu horrenda quærebant loca, vt Bruno, &c. Hæc suffugia persuadebant pijs hominibus huius exilij tædiũ. Studebant igitur seiungi ab his, qui habitabant Cedar. De amplectenda paupertate spontanea, dixit Christus. Si vis perfectus esse: vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me. Et illud itidem, de seruanda continentia & cœlibatu. Sunt eunuchi, qui se castrant propter regnum Dei, qui potest capere, capiat. Denique & illud de exhibenda obedientia. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & crucem suam tollat & sequatur me. Fatemur quidem ingenuè religionem Christianã cuiq; ad salutem sufficere. Non tamen idcirco monasticam religionem superuacuam aut abijciendam esse credimus, quoniam nullatenus aduersantur Christianæ religioni, sed adminicula quædam sunt & præsidia congrua, ad eam ipsam integrius adimplendã. Non igitur votorũ monasticorũ & religionis cœnobiticæ disciplina, onus est importabile, & ab humeris fidelium reijciẽdum, quemadmodum excucullatus Lutherus inaniter fingit. Ad reliqua progrediamur.

Monachorum origo.

Matth.19.

Milites diui Iacobi in Hispania, sub ritu diui Augustini, Alexandro 3. pontifice, qui rem probauit, esse cœperunt.

172 LVCIVS 3.

Tuscus patria, Episcopus Ostiensis. Is PP. concilio Veronę (quam Athesis interluit) habito, Christianos principes adhortatus est, vt nostris in Asia pro fide Christi laborãtibus succurreretur, nulla de suis iniurijs (quæ & grauissimæ fuerant) mentione habita. Veronę decubuit, tale relinquens epitaphion.

Luca dedit lucem tibi Luci, pontificatum
Ostia, papatum Roma, Verona mori.

Sedit annos 4. adijciunt alij mens. 2. di. 18.

Liuonia cõuertitur. LIVVONIA conuersa est ad fidem Christi hoc tempore, circiter annum 1186. à S. Menrado. Nostra tempestate, Liuonia prouincia

prouincia in longitudine secundum mare protenditur. Cuius regionis metropolis est Riga, cui Teutonici ordinis magister preest. In ea, pter Rigensem archiepiscopũ, Riualiẽsis & Osiliẽsis episcopi sunt. Oppida habet cõplura: pręcipuè aũt ciuitatẽ Rigã ad fluuiũ Dvuina, non lõge ab ostijs: itẽ Revualiã & Derbtẽsis ciuitates Revualiã Rutheni Rolivuã: Derbt verò Iuryovugorod appellãt. Riga nomẽ suũ vtraq; lĩgua retinet. Fluuios nauigabiles, Rubonẽ & Nervuã habet. Insigni equorum copia adeo abundant Livuonienses, firmique sunt, vt hactenus tam regis Polonię, quàm magni Ducis Moscovuię hostiles & frequentes in agros eorum excursiones fortiter sustinuerint, seque strenuè defenderint.

Circiter annum 1179. sub Conrado episcopo Argentoratensi 58. Collegium in NidernMunster, fundatum est. Nidernmunster.

Vrsinium vel Irsingum ordinis S. Benedicti, institutum est anno 1182. Irsingẽ cœnobium.

Circiter annum 1181. sub Henrico Billungo, episcopo Argentinensi 59. fundatum est collegium vulgò Trutenhausen.

VRBANVS 3. 173

Mediolanensis patria, temporibus Frederici 1. ob Saladini successus dolore obdormiuit, Sedit an. 1. mens. 10. di. 25. sepultus Ferrarię.

GREGORIVS 8.

Beneuentanus patria, vir sanctissimus, tractauit de recuperanda Hierosolyma, sed dum hęc agit Pisis moritur, põtificatus sui die 57. alij 75. vacat sedes di. 20. 174 Anno 1186.

CLEMENS 3. 175

Romanus patria, vir sanctissimus, & rerum ecclesiasticarum componẽdarum studiosissimus, cleri mores correxit: Imperatori bellum contra Turcas persuasit. Sedit ann. 2. di. 16. adijciunt alij annum vnum. Obijt mox post mortem Friderici.

CELESTINVS 3.

Vir insigni pietate (si Sabellico credimus) & cui vni præ cæteris cura semper hæsit animo, vt Hierosolymam ex impiorum manibus extorqueret, ingentem pecuniæ summam Richardo Anglorum regi misit in subsidium. Sedit an. 6. mens. 7. adijciũt alij mẽs. 8. di. 11. &c. 176

Ab hoc, coronam Imperij accepit Henricus Berbarossæ filius.

Cruciferorum ordo in Italia inchoatur, anno 1197.

Humiliatorum ordo hac tempestate emersit, Sabellicus En. 9. lib. 5. Alij temporibus Innocentij 4. emersisse scribunt.

S. crucis Augustanum cœnobium ordinis Regularium Canonicorũ S. Augustini ex Hamelbergo translatũ est Augustã, an. 1194.

S. Guilielmus episcopus Bituricensis floruit, anno 1189. Hunc Honorius 3. PP. canonizauit.

Sorethum, vulgata voce hodie Schussenrietum ordinis Præmonstratensis, Constantiensis diocæseos, ex arce in monasterium conuersum est, anno 1188.

Albertus magnus. Natus est anno circiter Dominicæ incarnationis 1193. Laugingæ Sueuorum, Augustēsis diocęseos, ALBERTVS magnus Teutonicus, ex pijs parētibus, de militari familia, vulgo Bolstetter dicta. Ordinis Prædicatorū, præsidēte vniuersali Ecclesiæ CELESTINO 3. Naturæ arcanæ scrutator, dignus per Iouem lapidē, quem in arcanis naturæ prodēdis placitis nō imitemur tantū, sed admiremur etiam. Equidem magnis laudibus dignum esse Albertum dico cum multis de causis, tùm illa cūprimis, quòd & sobrie philosophica tractauit, & magistrū in philosophia suū ita secutus est, vt à sacris prophana, ab euangelio nō euangelica, & in vniuersum diuina ab humanis admirabili quadam iudicij dexteritate discreuerit: scripturā sacrā Coloniæ Agrippinæ explicauit. De cælestibus acutissimè, de elemētis, & iugali horum natura diligentissimè, de natura, reliqua nō vsquequaque ineptè disseruit, interiertis passim ab ipsa experiētia ductis argumentis, & aliorū adductis sententijs, nec quorūlibet, sed receptorum magis: hisq; diligentissimè excussis non fastu, aut odiosa cōtentione, non aculeata detractione, postremo haud quaq̄ vana persuasione, suam in medium sententiam attulit. Idq; (vt paucis quod sentio dicā) suis temporibus pstitit, quod nec è Græcia illa doctrinarū parente, nec sane Italia eloquentiæ magistra illis annis sperare quisquam facile potuisset. Dormiuit autē anno Domini 1280. die 15. mensis Decēbris, feria sexta, septimo anno Rudolphi Romanorum regis, anno à confirmatione ordinis Dominicani 64. Discipulum habuit Thomam

Thomas Aquinas. Aquinat. qui relicta patria, insigniq; cognatione (originē enim è comitibus Apuliæ ducebat) Coloniam pergens, tantū profecit, vt post aliquot annos Parisijs primum in doctrina locum tenuerit.

177 INNOCENTIVS 3.

Placet paucis cōmemorare ad profectum & ędificationē lectoris, qualis quantusq; fuerit pontifex iste. Is cū esset genere nobilis, ex illustri familia Comitū Anagnię oriūdus ac prognatus, literarum studio vitæq; probitate longe nobilior illustriorq; factus, à Celestino Papa Tertio in numerum cardinalium ascitus est, dictus proprio nomine Lotharius, factusque ita cardinalis, scripsit opusculum de miseria conditionis humanæ, sapientissimum in hoc imitatus Ecclesiasten, vt mentes hominum à superbia & à vanitatibus huius mundi deterre-

ret,

ret,atque ad futura diligentius considerãda pelliceret. Mortuo autem Celestino,hic licet inter Cardinales iunior esset, mox omnium consensu in demortui locum suffectus est. Factus ergo Papa viuax & versatile ingenium suum sic ad omnia vtriusq; vitæ,actiuæ inquam & contemplatiuæ,munia intendit, vt quocunq; verteret illud,quàm maximè valeret,perinde ac si illi vni rei fuerit intentus. Quantum ergo ad bella attinet,quibus tempora sui pontificatus quàm turbulentissima fuerunt,tam longe lateque animi curas extendit, vt nihil aliud præter bellorum negocia curasse videri queat. Quãtum enim laborum sumptuumque impendit bello Asiatico, pro recuperanda terra sancta? Quantum pro pellendo ex Hispanijs maximo Saracenorum exercitu,qui duce Hilmilino ex Aphrica traiecerat,atq; omnem Hispaniam peruagatus incendijs populationibusq; ac sedibus Arelatum vsque & Auenionem peruenerat? Nec modicum curæ & laboris impendit tuendo Siciliæ regno,quod Henricus sextus Imperator eius fidei cõmiserat moriturus,vt Friderico secundo adhuc puero filio suo Pontificis ope & autoritate conseruaretur. Quantum verò molestiarum pertulerit idem iste pontifex indiuturnis Germanorum bellis,dum schismate in Imperio exorto,pars,Philippum Henrici Imperatoris fratrem ducem Sueuiæ & Hetruriç,pars Othonem quartum Saxoniæ ducem in Regem Germaniæ & Romanorũ Imperatorem elegisset,longum esset referre, extat in decretalibus eius epistolis ea de re capitulum bene longum,sub titulo de electione & electi potestate,cui initium est, Venerabilẽ. Interempto autem Philippo,ipse Otho quẽ Papa fouerat ac pretulerat,beneficiorũ immemor non leues & patrimonio S.Petri & regno Siciliæ vexationes intulit. Vnde nouũ in Imperio schisma enatum fuit. Excommunicato enim Othone & Imperij dignitate priuato,pars principum elegit Fridericum 2.adhuc adolescentem,qui in Germaniã profectus multũ bellorum cõtra Othonem gessit,donec eo deuicto & mortuo solus imperaret. Deniq; cum longa & grauia fuissent inter reges Frãciç & Angliç bella,Papa iste restituta inter eos pace,sic Anglos eo merito sibi deuinxit,vt ei quotannis ex Anglia & Hibernia vectigal penderetur. Et tamẽ interim in ipsa quoq; Italia varijs bellorũ motibus angebatᵗ eius animus,dũ Veneti cõtra Dalmatas:Pisani cõtra Genuẽses,& Cisalpinç Galliç ciuitates inter sese cõfligerẽt ac belligerarẽt. Quç igitᵗ mẽtis tranquillitas ꝑ literarũ studio sanctisq; cõtẽplationibus in tãtis bellorũ tumultibus terroribusq; reliqua esse potuisset, nisi excelsus eius animus spei suæ anchorã i Deo firmiter & vnice figens,cũcta terrena prospera & aduersa æquanimiter tulisset. Quid dicã de per-

Angliæ regnum transit in ius clientelæ S. R. E.

petuo Ecclesiastici fori strepitu, & inquietis causarum fluctibus, ac infinitis ex vniuerso orbe allatis dubitantium episcoporum quæstionibus: quibus pia mens eius quotidie in tam diuersas curas distrahebatur, vt verissimè dicere potuerit cum Apostolo: In labore & erumna, in vigilijs multis, præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum. Quoties enim scripsit in prolixis epistolis decretalibus, de rebus magnis & difficilibus interrogatus? Certè quisquis Iuris Canonici quinque libros Decretalium vel semel perlegerit, facile comperiet plura ibi esse rescripta vnius huius Innocentij, quàm omnium aliorum Pontificũ in vnum. Et ea quidem tam cautè, doctè ac luculenter posita, vt omniũ Iurisconsultorũ iudicio nihil possit discerni vel iuri & æquitati cõformius, vel rectæ rationi & honestati magis consentaneũ. Quod si addas ad hęc oĩa latissimæ administrationis curas quas necessario impẽdit, & gubernãdę Vrbi Romę & dispẽsando Sãcti Petri patrimonio, totiq; regẽdis populis & prouincijs sedi Apostolicæ subiectis, quis non immerito ipsum satis grauat dixerit? Adde insuper curas & impensas ædificationũ, quãtas nimirum hodie vix vllus pontificũ perferre posset. Ipse enim hospitale sancti spiritus nõ adeò longe à Basilica Sãcti Petri in Saxia (vt ait Blondus) à fundamẽtis extruxit, tantisq; prouentibus in perpetuũ adauxit, vnde alantur peregrini, ęgroti, ac vulgò cõcepti orphani, vt adhuc hodie tam opulentũ ac bene institutũ, omnibusque necessarijs ad ægrotantium curam instructũ Xenodochium aut Nosocomiũ, non facile in toto orbe terrarum reperias. Ipse altissimam erexit pro familia sua munitionem, quæ in præsentem vsque diem Turris Comitum appellatur in Vrbe. Ipse altare Basilicæ sancti Petri opere vermiculato insigniter exornauit, id quod eius imago & literæ in fornice ipso scriptæ adhuc hodie testantur. Ipse Beati Sixti Ecclesiam in Auentino vetustate collapsam magnificè restituit. Ipse vniuersis Romanæ Vrbis Ecclesijs libram argenti singulis dedit, vnde calices sacrificandi gratia conficerentur. Ipse deniq; in pauperes ciues qui honestè domi viuentes, in publico mendicare aut stipem accipere erubescebant, largas in occulto eleemosynas fecit. Accessit & alia sollicitudo nec leuis nec breuis, vtpote labor in extirpandis hæresibus. Eius nanque auspicijs damnati sunt nominatim errores, cùm Almerici episcopi Parisijs, tùm Ioachimi abbatis in Calabria. Et generaliter contra omnes hæreses maximum indixit & Romæ celebrauit Concilium Lateranense, in quo sanè ipsomet præsidente personaliter adfuerunt 2. Patriarchæ; Constantinopolitanus & Hierosolymitanus. Archiepiscopi 70. Episcopi 400. Abbates duodecim.

decim. Priores conuentuales DCCC. Duorum Imperatorum Romani scilicet & Constantinopolitani legati, ac Regis Hierusalem, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, &c. Oratores: cuius sanè concilij constitutiones aliquot passim recitantur in libris Decretalium. Aliud quoque præsidium Ecclesiæ contra hæreticorum machinationes feliciter instituit, sanctos inquam ordines religiosæ conuersationis fratrũ mendicantium, in quibus viri plurimi vita & eruditione probati, vt populum rectè docerent, & hæreticorum peruersitatibus resisterent. Ipse enim sanctissimos viros, DOMINICVM Calaguritanum ex Hispania & FRANCISCVM Asisiatem ex Vmbria Italiæ prouincia ad se Romam venientes in sancto proposito confirmauit. Praedicatores. Franciscani. Eiusdem auspicijs alij quoq; instituti sunt ordines, vti fratres Sancti Augustini Eremitæ, fratres Sanctæ Mariæ Carmelitæ, fratres Crucigeri, fratres Guilielmitæ, quorum ordines sub hoc Pontifice aut à nouo instituti, aut in melius restituti sunt, vnde ait Sabellicus præclarus nostris temporibus historiarum scriptor, in sexto nonæ Enneadis libro: Prouidentia euenit (vt credere æquum est) non casu, quod Innocentio Tertio sedente multum sit innocentiæ virtute illustrata, multum & religio, innocentiæ mater. Nam & Carmelitana religio per id tempus vel orta est, vel tum demum in lucem ædita. Et duo Christianæ pietatis lumina terris affulsere, quibus multo maxima parte orthodoxa creuit fides, autores incrementi huius, Dominicus & Franciscus. Hi æquales tempore, sanctitate clari, & vterque alterum vidit. Hæc ille. Constat igitur hunc Innocentium 3. admodum insignem fuisse virtutibus pontificẽ, labore strenuum, curis peruigilem, consultationibus cautum, iurisprudẽtia instructum, rerum administratione amplum, opibus florentem, honore præcipuum, dignitate maximum, sacrarum literarum cognitione eminentem, pietatis operibus præfulgentem, vt non immerito decantari possit de eo Ecclesiasticum illud responsorium: Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & cætera. Sedit an. 18. mens. 4. di. 24. adijciunt alij menses 3.

Idem PP. Eucharistiam in templis asseruandam esse, ad ægrotantium commoditatem censuit. Quod deinde Honorius 3. confirmauit. De reseruatione Sacramenti Eucharistiæ, vide Clementẽ S. Petri discipulum, in epistol. 2. ad Iacobum fratrem Domini. Cyprianum in sermone de lapsis. Eucharistiæ reseruatio. Clementem Alexandrinum, lib. 1. Stromatum. Ambrosium, in oratione funebri, de obitu fratris sui Satyri. Augustinum, Sermo. 252. de Tempore. Sedulium in cap. 11. 1. ad Corinth. Cyrillum, ad Calosyrium episcopum, &c.

Hac tempestate, Milhusenses(aliàs Sequani Cisiurani) ab episcopo Argentoratensi defecere.

Creta insula. Anno Domini 1202. Creta insula Venetis subijcitur, erepta Græcorum Imperatoribus.

CRETA ἑκατόπολις cognomine, à centum, quas sustinuit, vrbibus. Virgil. lib Aeneid. 3.

Creta Iouis magni medio iacet insula ponto,
Mons Idæus vbi, & gentis cunabula nostræ,
Centum vrbes habitant magnas &c.

Hodie Candia: de qua diligentissime Strabo lib. 10. & 6. lib. Diodor. vt Plinium & reliquos sinam. Ruf. ex Dionys. Nutrix hic Creta tonantis, Multa latus, glebæque ferax, & opima virentum. Terminatur ab occasu mari Hadriatico, à septentrione Cretensi, à meridie Punico, ab oriente Carpathio. Habet in longitudine 270. millia passuum, in latitudine quinquaginta millia. Circuitus eius quingenta octoginta octo millia passuum complectitur hæc parergôs.

178 HONORIVS 3.

Romanus patria, hunc Platina bene beateque vitam duxisse scribit. Sedit ann. 10. adijciunt alij annos 3. mens. 7. di. 13.

S. Dominicus. Idem PP. ordinem B. Dominico sub Innocentio 3. institutũ, confirmauit. Fuit S. Dominicus Hispanus natione, vir & sanctitate & doctrina admodum insignis, à Gregorio 9. miraculis id efflagitantibus in sanctorum numerum relatus est, cuius quoque ordinem confirmauit: qui & Tsultano Christi fidem constantissime prædicauit. Huius S. Dominici mater pregnans magno mentis præsagio per quietem vidisse fertur parere se catulum incensam facem ore circumferentem, quo omnes incendio terræ conflagrarent, nec defuit nocturno viso euentus, orta est ex illo ingens familia, quæ diuina prædicatione terrarum partem multo maximam inflammauit: Eat nunc Solifidensis ille Vergerius, & iactitet, mendaciter tamen, hunc sacrum ordinem superstitiosam esse sectam, ipse Sectarius.

Idem Honorius 3. Fridericum 2. anathemate notatum Imperij dignitate priuauit.

Idem, Ioannem Columnam ad res Asiæ componendas legatum cum ingentibus copijs quas Innocentius 3. ad eam rem collegerat, misit: in quo negotio mirifice profecisse traditur.

S. Clara. Hoc tempore S. Clara virgo suum ordinem auspicatur. Fuit hæc diuo Francisco compatriota in terris vt modo in cælis. Quantis vero signis claruerit Clara illa, pius lector eius vitam conscriptam legens ab Antonio Archiepiscopo Florentino intelliget. Migrauit ad

Domi-

Dominum, pridie eidus Augusti, tempore Innocētij 4. qui ægrotantem inuisit, & Eucharistiam est impartitus: quam Alexander 4. anno Domini 1255. retulit in numerum sanctarum virginum, reliqua habes in Romano breuiario.

GREGORIVS 9. 179

Is PP. cantionem diuæ Mariæ virginis (quæ maximè Sabbathinis vesperis nobiscum occini solet) certis diuinæ rei horis addi, campanasque ad Eucharistiæ confectionem & laudes virginis Dei genitricis pulsari statuit: Alij istud statutum Honorio 3. adscribunt. Sedit autem Gregorius 9. annos 13. mens. 5. adijciunt alij menses sex. Salutatio angelica inchoata, circiter annum 1218.

Iordanes Theologus Dominicanus, silentium mensæ instituit.

Hac tempestate, Iacobus rex Aragonum, duos militum ordines circiter annum salutis 1212. instituit: quorum alteros diuæ Mariæ de redemptione captiuorum, siue de mercede appellauit, vtpote quibus de captiuis redimendis curæ esset: amictum induunt album cum nigra cruce. Alteros Montesiæ milites rubenti cruce insignes nuncupauit. Vtramque militiam Gregorius 9. sua authoritate probauit. Montesiæ milites.

S. Anthonius confessor ordinis Minorum ex Vlisbona (Salatia olim cognominata) spiritum in pace emisit eidibus Iunij, anno Domini 1231. S. Antonius Minoritanus.

S. Elisabeth Hungarica reginula (optimum spolium ex Hungaria, quę Germanis nobis talem thesaurum protulit) vita ad finem piè ducta, febre correpta, in Domino obdormiuit, anno 1226. S. Elisabeth.
Fuit hæc Elisabeth filia regis Hungarici Andreæ, filij Bele Tertij. Mater huius Gertrudis, natione Germana. Quinquennis à ludis nugisq; puerilibus abstinuit. Septennis cœpit esse religiosula, quotidie penè templi limina terens. Iam adultior, quippe nubilis, & principi Duringiæ Germanorum Ludouico in vxorem data, morem gerit parentibus, ac demigrat ad Teutonas, principis futura coniunx, vt Christo, quem habebat sponso chariorem, prolem lætam gigneret, &c. Facit sanctæ mulieris mentionem Platina Cremonensis in Gregorio 9. Legi meretur etiam, quod de hac diua carmine scripsit H. Eobanus Hessus, in epistol. sanctarum Heroidum.

Heckenbachium, hodie verò Heppachium Bernhardini institutu cœnobium, cœptum & inchoatum est, circiter annum Domini 1233.

Anno Domini, 1239. Gladiatorum ordo emersit.

CELESTI-

180 CELESTINVS 4.

Sedit tantum di.18.vacat sedes menses 10.adijciunt alij annum vnum,men.10.Donec Cardinales qui à Friderico Imperatore in carceribus detinebantur,libertati donati sunt.

181 INNOCENTIVS 4.

Genuensis patria,Sedit an.11.mens.6.adijciunt alij mens.vnum. Is PP.Authenticas composuit.

Galeri Cardinalitij. Idem,Cardinales rubro galero vti iussit, in maiestatem ordinis, pro religionis enim defensione olim sese offerebant(id quod etiam recentiores tenētur) in discrimen,ad sanguinem vsque,pro veritate.

Natiuitatis Mariæ festū. Idem,natalem deiparæ virginis instituit.

Hoc tempore Papa idem,Christianis inducias à Tartaris per legatos suos,impetrauit. De Tartaris multi multa tradidēre nos illa breuiter fastidij expultricis loco,tradere voluimus. Vaga illa gens nostra tempestate,& incertis contenta sedibus,nec aliud lucri,quàm quod præda adijcit,improuisis incursibus maximè noxia, homines statura mediocri,lata facie,obesa,sola barba horridi,cætera rasi: Insigniores tantum viri crines contortos, eosq; nigerrimos secundum aures habent corpore valido,animo audaci:in Venerem,eamq; præposteram putres:profundis & trucibus,intortis & concauis oculis,fereque cœsijs,turbinato craneo,& circum tempora capite presso. Equis,alijsque animalibus quoquō modo interemptis suauiter vescuntur:Demptis porcis,à quibus lege abstinēt.Inediæ somniq; adeò patientes,vt toto nonnunquam quatriduo ea perferant. Gens hodie

Tartari.

Horda quid in hordas distincta,Horda autem illis conuētum,seu multitudinem significat.Extat cuiusdam Apollinaris Elegans carmē ad Artemium Augustum,cum vere tùm eleganter conscriptum, sic ludens.

Iacet axe sub Vrsæ.
Gens animis membrisque minax,ita vultibus ipsis
Infantum suus horror inest,consurgit in arctum
Massa rotunda caput,geminis sub fronte cauernis
Visus adest oculis albentibus, acta cerebri
In cameram vix ad refugos lux peruenit orbes.

Tartariæ situs & termini. Tartaria,quæ & Mongal dicitur,vt Vincentius scribit,in ea terræ parte sita est, vbi oriens aquiloni coniungitur, ab oriente Katheorum ac Solangorum terram habet,à meridie Saracenorum,ab occidente Naymanorum,ab Aquilone oceano circūdata, &c. ad institutum,quoniam ab asino,quod aiunt,delapsi, multùm aberrauimus ab instituto.

Idem PP.Innocentius 4. Fridericum secundum, ob crimen manifesti

manifesti periurij damnauit & priuauit, Pighius lib.5.cap.14.

Hoc tempore Hugo cardinalis concordantias Bibliorum conscripsit, Platina in Innocentio 4.

Eadem tempestate, studium publicum erectum est in inclyta Austria dum Vienna, anno 1237. tempore Friderici 2. Viēna hodie omnium vrbium, quas Ister sustinet, & ædium magnificentia, & rerum facili copia clarissima est. Studiū Viennense.

ALEXANDER 4. 182

Campanus patria, circiter annum 1254. Cuius vita mirificè ab omnibus laudatur. Sedem Petri tenuit annis sex, mēsibus sex, di.4. adijciunt alij mens.5. Viterbij mortuus: vacat sedes mens. 4. di. 3.

VRBANVS 4. 183

Gallus natione, sedit annos 3. mens.1. di.4. adijciunt alij annos 2. mens.11. vacat sedes mens.5.

Is Vrbanus, cruci in qua pependit salus nostra, diem solēnem dedit, Polydorus de inuentor. rer. lib.6. cap.8. Crucis festū

Idem PP. Festū corporis Christi instituit, circiter annum 1263. At obijciunt permulti nostrorum aduersariorum. Et quare Eucharistia cū maximo apparatu ornamentorū & canticorū circūfertur? Bella & astuta nimirū obiectio Iudę traditoris, ad quid perditio hæc? Potuisset hoc vnguentū trecentis denarijs venundari, & dari pauperibus. Certè Christi glorię inuidēs, nō pauperes sed quęstū suū curauit. Et cur Dauid ipse, propheta sanctus, idēq; à Deo vates illustratus, arcā ipsam, cui apposita erat vrna affabre auro vndequaq; (vt Apostolus testatur) redimita, quę manna continebat, omnibus cōmendauit honorandam? coram qua (cum iam circūferretur omni pompa) ipse præcedens saltauit, citharaq; cū omni iubilo concinuit, interim quoque cantātibus musicis, in iubilo, & in sonitu buccinę & tubis & cymbalis, & nablis & citharis concrepantibus? VRBANI 4. indulgentias, pro venerabilis Eucharistiæ veneratione, approbauit sacrū concilium Viennēse. Indulgentiæ verò, quę sunt thesaurus spiritualis ecclesiæ, dispensantur per Ecclesiæ ministros, subditis suis, in relaxationē aliquantam pœnę pro peccatis debitæ, per modū quendā satisfactionis. Mirantur hodie recētiores apostatici, quia summus clauiger in terris remittit tertiā aut mediā partem pœnarū, aut plenariè indulgeat: Cū ipsi nō verecundētur asserere, quēlibet sacerdotē à culpa & pœna absoluere, ipsi remittūt totā pœnam, & nolunt Papam remittere partem. Quocirca firmiter est tenendum, quòd indulgentię concessę à prothomystis qui potestatem habent eas conferendi: scilicet à summo pontifice & episcopis, concessæ etiam pro causa rationabili & pia;

Festū corporis Christi. Hebræo.9. Exod.16. Eucharistia rectè cāticis circūfertur. Indulgētiæ.

& pia:vtpote pro reparatione Ecclesiarum, aut defensione Christianorum finiũ,aut sustentatione pauperum:modo illi qui eas consequi volunt,recte sint dispositi:per contritionẽ & confessionem sacramentalem,& ea opere atq; effectu exequantur,quæ in literis pontificalibus indulgentias explicantibus facienda imponunt:solidum habere robur & efficaciam,magnoperéque prodesse ad salutem animarum, & ad relaxationem aliquantam pœnæ,cui obstringitur pro suis peccatis is,qui ipsas promeretur.Sed dicet fortè quispiã, maior pars hominum ob eas licentius viuunt.Non reclamo.Quid ergo? Dei clementiam damnabimus?Haud quaq̃, sed miseros & ingratos homines,qui tanta abutuntur clementia.Id vnum tamen ingenue admiserim:quod si sub prætextu eleemosynæ peteretur erogatio pecuniæ ad obtinendas indulgentias,& illa pecunia non applicaretur à recipientibus eam ad eum vsum ad quem est petita,sed ad alium peruersum & iniquum : idipsum sacrilegij genus meritò damnari debere, nec non & quascunque alias prolapsiones ac abusus:sub colore,vmbra & specie indulgentiarum obrepentes.Ad quas acuta suæ authoritatis falce resecandas,attentissimè vigilare debent põtifices, Dominici gregis custodes.Nõ tamen propter istos hominũ dolos,technas & fraudes, quas concinnant & excogitant circa laudabilẽ suapte natura vsum indulgentiarum,homines vafri & callidi : debent ipsę indulgentię vitio dari aut culpari,sed vrticæ vepres & sentes horũ malorum,debent extrema diligentia sedulo extirpari,hęc extra limites, ad reliqua bonis auibus.

Vide decreta concilij Lateranẽsis cap. 62.

Hac tempestate Gibellinorum(militabant Imperatori) & Gvelforum factiones,controuersias excitarunt.

Gvelfi. Gibellini.

Floruit Dantes Aligerus Italicus scriptor,natus anno 1260.mortuus verò anno 1321.alij sub Celestino 5.ipsum claruisse scribunt.

Dantes.

CLEMENS 4.

184 Narbonensis patria,vir sanctus,prophetice prædixit,Ecclesiæ hostes semper perituros:Cathedram Papalem tenuit annos 3. mens.9. adijciunt alij mens.3.vacat sedes an.2.

Idem,Carolum Gallum regis Ludouici generum Hierusalem & Siciliæ regem inunxit Romæ.

Hoc tempore,pastores de Hispania venientes Luteciam , omnia bona cleri vastarunt plebibus gratulãtibus & ridentibus, sed cum laicorum etiam deuorarent bona temporalia , prostrati sunt, inquit Cornipolitanus. Similem infelicem catastrophen experiere nostra ætate recentiores inuasores Ecclesiarum.

GREGORIVS 10. 185

Placentinus patria, è vice comitũ familia, Theobaldus antea vocatus, Laudensis archidiaconus, circiter annum 1271. In Eduardi Angli Vualiæ principis (ante pontificatum) Syriacis castris vixit aliquamdiu. Temporibus Rudolphi Cæsaris. Is monuit initio sui pontificatus electores vt consentientibus votis Imperatorem iterum designarent, ne Imperij status prorsus collaberetur. Sedit an. 4.

Hoc tempore synodus Lugdunensis celebrata.

S. Ludouicus Galliarum rex, spiritum Domino tradidit, circiter annum 1270. S. Ludouic.

INNOCENTIVS 5. 186

Longobardus patria, alij Burgundum fuisse scribunt, ex Dominicano PP. electus, anno 1275. antea dictus Petrus de Tharenthasia, sub Rudolpho Cæsare. Sedit mens. 5. di. 2. vacat sedes di. 18.

Is pontifex, in epistolas Pauli & libros sententiarum annotationes scripsit.

Hac tempestate, Dominarum Aurachium Herbipolensis diocæseos cœnobium amplum, fundatum legitur. Aurachium cœnob.

HADRIANVS 5. 187

Genuensis patria, Innocentij nepos, prius dictus Ottobanus, vir magnanimus, alij parum præfuisse scribunt. Sedit mens. 1. di. 9. Alij habent tantum dies 40. vacat sedes di. 28.

IOANNES 21. 188

Lusitanus patria, vir literatus, sed rerum gerendarum inscius, antea Petrus Medicus: Is mense 8. noui ædificij ruina perijt; Vacat sedes menses 7.

Idem instituit, vt ter in singulos dies, tintinabula ad vesperum pulsarentur, ac tum vnusquisque ter salutationem Angelicam Diuæ virgini sacram recitaret: institutum hodie vbique gentium in recenti memoria. Pulsus angelicus.

Idem PP. 20. dies indulgentiarũ dedit omnibus piè tria Aue Maria dicẽtibus. Bona ratio, quia semper salutanda Maria. Nec salutatio ea incassum fiet. Ipsa enim diligẽtes se diligit, & glorificãtes se glorificat. Deus cũ ea præsentius quàm olim fuit cũ patribus, gloriosius quàm fuit in templo. Derisores hæretici propediem & ipsi risui exponentur toti mundo.

Collegium scribarum Apostolicorum primus numero distinxit Ioannes PP.

Idem Taxationes constituit, Polydor. lib. 8. cap. 2. de inuentoribus rerum.

Sub eodem, damnati errores Ioannis de Poliaco Parisiensis.

Sub hoc pontifice, facta est definitio contra eos qui dicunt Christon & eius discipulos nihil habuisse, & in his quæ possederunt, nullum ius fuisse.

S.Bonauentura libros sententiarum explicauit hoc tempore: sublatus ex humanis anno Domini 1274. tertio eidus Iulij, ætatis 53. miraculis radians, Lugduni sepultus est, & à Sixto pontifice 4. anno salutis 1482. canonizatus.

S. Bonauentura.

189

NICOLAVS 3.

Anno 1275. Romanus patria, magnificus in ædificijs extruendis, bene rexit, scribunt historici non obscuri nominis, neminem ante ipsum sacrificasse religiosius visum, lachrymas sępè effundens in sacri mysterij tremenda pertractatione. Sedit an. 3. mens. 8. adijciunt alij mensem vnum. Vacat sedes mens. 5.

Idem notarios & tabelliones, pauperum sanguine victitantes, vt pestiferos eiecit, ne omne pecus degluberent.

Ordinem IESV CHRISTI in Lusitania instituit, quo essent qui ex officio Saracenis Beticam id temporis tenentibus resisterent, crucem rubram in nigro affigunt pallio. Alij Ioanni 22. hæc adscribunt, alij Benedicto 12.

190

MARTINVS 4.

Gallus natione, amator religiosorum, post multas iniurias & persecutiones, Perusij obdormiuit. Sedit annos. 4. mens. 1. adijciunt alij mensem 1.

Idem Carolum regem Siciliæ expulsum restituit.

191

HONORIVS 4.

Romanus patria, è familia Sabellorum vetusta, antea Iacobus dictus, homo temperatus & magnæ discretionis, pacem dilexit, nihil enim tam Deo gratum, quàm seipsum cum postremis numerare. Sedit an. 1. adijciunt alij annum vnum, mensem 1.

Carmelus. Is PP. Carmelitis album assignauit amictum, cum prius nigro vterentur, à Carmelo monte fortiti sunt nomen. Carmelus autem mons est in Syria, olim cùm aliorum prophetarum, tum Heliæ inprimis memoria nobilis, quòd in eo ille habitarit.

Idem ordinem Eremitarum Parisijs nõdum receptum probauit.

192

NICOLAVS 4.

Picenus regione, è ciuitate Asculana, Hieronymus antea dictus, Generalis ordinis Minorum, bonus & doctus vir. Sedit an. 4. mens. 1. vacat sedes ann. 2. mens. 3.

S.Rochus

S. Rochus de Narbona insignis hoc tempore habitus est, dormiuit 12. calend. Septemb, ætatis suæ 32. Cuius corpus anno 1485. Venetias delatum est. S. Rochus.

CELESTINVS 5. 193

Eserniensis patria, deducta electione discordia per biennium & 3. menses, assumptus est heremo, Petrus Moroneus antea vocatus: verùm cum à priore vita ob pontificatum nequaquam declinaret, visus est rebus agendis parum idoneus: hanc ob rem de abrogatione eius mentio fieri cœpta est inter cardinales. Tandem persuasus est, vt pontificatum resignaret, ne Ecclesia Dei ob imperitiam gubernantis periclitaretur. Quo facto Celestinus ad priuatam vitam se redegit, pontificatus sui mense 6. imperante Adolfo Cæsare.

S. Nicolaus, Tolentinus, anno Domini 1294. humanitatis vinculum soluit: Ab Eugenio catalogo confessorum insertus.

Eadem tempestate, circiter annum 1292. Rudolphus Nassoius, Romanorum rex, Colmariam occupauit. Hæc dulcis patria nostra est, hæc familiæ Bucchingerum non vno seculo beneuola & munifica nutrix fuit. Debeo igitur tantæ altrici, cùm publico Alsaticorum nomine, tùm obligatione priuati debiti, plurima. Cui etiam non ingrato nec ignobili patriæ facies iocunda non sit? Cui non dulce natale solum? Ea maximè gratia, quòd genuit, quòd educauit. Ac ne quis amore me magis quàm studio veritatis motum, vt plura de ea referam existimet, ab omnibus prorsus hoc in loco præconijs abstinendum censui. Alio in opere conati sumus, & porro vbi poterimus conabimur, ne quis erga patriam ingratos nos fuisse aliqua in parte obijcere queat. M. Bucchingeri patria.

BONIFACIVS 8. 194

Temporibus Alberti 1. Imperatoris. De quo intrauit vt vulpes, regnauit vt lupus, mortuus est vt lycisca. Cornipolitanus confirmat hunc ipsum Bonifacium multa vtilia instituisse, librum sextum decretalium confirmasse, Iubileum introduxisse. Sedit ann. 8. mens. 5. di. 17. adijciunt alij menses quatuor, vacat sedes di. 10. Scomma in pontificem.

Hoc tempore, Ordo Cælestinorum confirmatus, anno 1297. alij 1291.

BENEDICTVS 11. 195

Italus natione, circiter annum 1300. ordinis Prædicatorum, quem omnes vno ore, eximiæ virtutis & doctrinæ fuisse

intonans:Calculo seu lithiasi cruciatus,in Domino obdormiuit,sanctorum consortio adscriptus.Sedit ann.8.di.15.adijciunt alij menses 10.vacat sedes ann.1.

196 CLEMENS 5.

Gallus natione,Vasco patria,Burdegalensis episcopus,an.1308. Sedit annos 8.mens.10.vacat sedes ann.2.mens.3.di.7.temporibus Alberti fortissimi Imperatoris.

Hisce temporibus,translata est sedes Apostolica ad Auenionem Galliæ oppidum,in quam Romani pontifices ius habent:vbi successores mansere an.71.

Begardi & Beguinæ,hæresiarchæ. Hoc tempore concilium Viennense celebratum,in quo damnati errores Begardorum & Beguinarum, annum circiter Christi 1341. Docuerũt hominis esse imperfecti se exercere in operibus virtuosis, quapropter dicunt hominem cum ad vltimum statum perfectionis venerit nulla bona opera debere facere.

Eadem tempestate (anno 1300. alij emersisse scribunt regnante Henrico 3.)Fraticelli,glomeratim sese stygijs extulere vndis,in Nouaria vrbe Lombardiæ. Resuscitatores hæreseos fuere Dulcinus & Margareta vxor eius,qui viui capti,membratim lacerati sunt,& eorum ossa combusta.Nõ esse administrãdas respublicas Christianis, finxerunt.Visionem animarum sanctarum deferri dicebant vsq; ad nouissimum diem:Catabaptistarum more, nostra hac ætate, lucos perlustrant.Promiscuos concubitus docent: Multas phanaticas opiniones omitto:Istis consensum præbet Sebastianus Maier, Bernensium clamosus præco.

Fraticellorũ hæresis.

Nosocomion (νοσῶν enim est ægrotus, & nosematicus valetudinarius dicitur)in Molse,Argentinensis diocæseos oppidulo, instituit Ioannes huius nominis primus,episcopus Argentoratensis 68.octauo eidus Septembris:Aegrotãtes colligens de plateis, & consumpta languoribus atque inedia miserorum membra hilariter refouit sanctus episcopus,nec expositios infantes excludens,vt sic esset tam domicilium languentium,quàm Brephotrophion.Hinc veteres.Extende manus,non in cœlum,sed in manus pauperum.Si manum in pauperis manus tetenderis,ipsum cæli verticem attigisti: nam qui illic sedet,eleemosynam accipit.Si verò vacuas extenderis, nihil professisti. Non enim in extensione manuum,neque verborum multitudine,sed in ipsis operibus situm est vt exaudiaris.Hospitibus (inquit Democritus)& egenis impartire de rebus tuis. Nam qui non dat indigenti,nec ipse accipiet cum indigebit. Eleemosynam scriptura & catho-

& catholica Ecclesia docet, primum redemptionem esse peccatorum, dicente Daniele: Peccata tua eleemosynis redime, & Tobia: Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat. Docet deinde, meritum esse æternæ vitæ, dicente Christo: Sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus reddet tibi, & rursum: Venite benedicti patris mei percipite regnum. Non ergo hæc bona opera vt fructus solùm ad arborem sunt conferenda, sed vt prouentus ad arboris dominum, nec signa sunt solùm & testimonia virtutum, sed augmenta etiam & profectus, & virtutum & meritorum. Summa, Eleemosyna Deum placat, Luc. 11. f. Meritum auget, Math. 10. d. 25. c. Luc. 12. d. 16. c. Hebræo. 6. b. 13. c. Actor. 10. a. Substantiam multiplicat, Luc. 6. f. 11. f. 2. Corint. 9. b. Acto. 3. a. Proximum subleuat, Mar. 14. a. Luc. 3. b. 19. b. 1. Corint. 8. c. &c.

Templariorum ordo stirpitus radicitusque hoc tempore euulsus est. Teutonicorum paulò post subsecuta religio, Bructeros (gentem olim malorum dæmonum cultricem) ad mansuetiores vitæ ritus redegerunt, permittente Frederico 2. Imperatore. Variant hic autores, quidam reijciunt in annum 1190, alij 1226. Teutonicorum ordo.

IOANNES 22. 197

Gallus natione, circiter annum 1318. præfuit, cuius patrem cerdonica arte victum conquisiuisse blaterant mendaciter aduersarij: Sed concedamus istis hæc. Iam verò ex patre seruo nasci quis turpe esse dixerit? Seruire libidini, auaritiæ, cæterisque vitijs turpissimum est. Mendicare panem si vrgeat egestas, non est turpe, sed egenis non impartire necessaria, ac raptò viuere, crimen est exprobrabile. Sedit autem in cathedra Petri temporibus Ludouici Bauari Imperatoris, in quem censuris & fulminibus pontificijs animaduertit. Sedit annos 18. adijciunt alij annum vnum, menses 4.

Contra pluralitatem beneficiorum vtilia instituit.

Idem PP. Marsilium Patauinum, qui conatus nouam Ecclesiasticæ hierarchiæ formam effingere, hominem Aristotelicum magis quàm Christianum, excommunicauit.

Occam pseudomonachus, pseudóque Theologus, aduersus quasdam Ioannis 22. definitiones venalem calamum nequicquam strinxit, ait Pighius.

Hoc pontifice, Iudæi per conductos elephantiacos, fontes in Germania intoxicant. Thalmutistæ perfidi.

Nicolaus de Lyra ex Iudæo Minorita effectus, floruit. N. Lyra.

198 BENEDICTVS 12.

Doctissimus Theologus, ordinis Cistercīēsis, vir sanctissimus omnibus collachrymantibus sepelitur. Sedit an. 4. men. 3. adijciunt alij annos 3. dies 17.

Is PP. Reformauit ordinem S. Benedicti.

Noluit cognoscere consanguineum, dicendo, Papam non habere consanguineos.

Idem, ordinem militum institutum olim in Lusitania, confirmauit sua authoritate. Nostra tempestate Lusitania à septentrione habet Taraconensem Hispaniam, diuisam ab ea flumine Durio, ab occasu oceanum occiduum, à meridie Anam flumen, ab ortu lineam ab Ana ad Duriū ductam, regnum nobile, cuius solertia factum est, vt ab Hispania in Indiam hodie nauigetur: Ausi sunt Lusitani noua maria, nouas terras, noua atq; incognita sydera scrutari: primū littus Atlantici maris deiectis inde Agarenis occuparunt. Euecti longius vltra viam solis penetrarunt ad orbem nobis aduersum, permensi mare notionale sub Aethiopia: hinc ad mare rubrū, adeq; fauces Persici sinus munierunt sibi arces. Transgresśiq; supra ostium Indi fluminis, in feracissima & beatissima Indiæ totius ora ius sibi & ditionem quæsiuerunt. Ostenderunt nobis vias cœli ac pelagi nunquam antea ne fando quidem auditas: populos nationesq; vt ritu ac Barbarie admirabiles, ita etiam ijs opibus, quas tantopere affectus nostri suspiciunt. Sed hæc omnia longe antecellit propagata longè & late pietas cum tanta gloria Christiani nominis, &c. Ciuitas regia in Lusitania est Vlysbona, quam Plinius Olyssipponem vocat, hæc præter institutum. Lusitania.

Anno Domini 1340. Domus carthusiensium non longè ab Argentorato, à ciuibus Argentinensibus erecta est.

199 CLEMENS 6.

Nomine & re virtuosus, Ecclesiastes verbi Dei strenuus, sedit an. 10. mens. 6. di. 8.

Clementi 6. & posteris, rex Galliarum Auenium concessit in perpetuum.

Eiusdem pontificis hortatu, electores Imperij Ludouico Bauaro successorem delegerunt Carolum 4.

Hac tempestate, formula legis Carolinæ inchoata.

INNOCENTIVS 6.

200 Hispanus natione, Sedit annos 9. mens. 8.

Nota. Præbendas Ecclesiasticas, non nisi probatissimis sacerdotibus, cū vita, tùm doctrina, contulit. Istud hodie, bone Deus, plurimis in locis

præpo-

præpostero ordine obseruatur, agasones, bibaculi, parasyti, & id genus pestes, vbi locorum excluduntur? vbi non intruduntur? Proinde cauere deberent antistites religionis & epistatæ, ne illiteratos, indoctosq; initiarent mysticis cęremonijs: etenim (vt verè inquit Hieronymus) cæcum animal offert Deo, qui ordinat indoctum. Habent autem indocti (quod nefas est) pro psalterio cartulas tesserasq; lusorias. In quorum ore non Dei nomen resonat, sed maledicta, pro clypeo fidei, pro lorica iustitiæ, induentes thoracem bellicum, & parmulas gladiatorias: rixosi, tumultuosi, belligeri, quibus nullus Dei (summi Numinis) metus: Qui nihil penitus religiosum habent, pręter habitum sacerdotalem, sub quo infanda flagitia delitescũt. In quorum cubiculis (de malis loquor) non in propatulo sunt canonicę scripturę, non euangelia, non breuiaria, non vllus liber (quid enim opus est libris non intelligentibus?) sed gladij. Verùm vt hæc liberius scriberem in pseudosacerdotes fecisti tu doctissimè abbas, qui non tãtum ornamenti accipis à sacerdotali dignitate, quantum tu virtute splendicante splendoris præbes ordini sacerdotali: in quo abbas Murrbacensis doctissimus, sanctissimus, integerrimus instar gemmæ fulgentis enitescis ac splendes. Prouexit me dulcedo scribẽdi longius quàm destinaueram. Itaq; omissa illa insectatione (non tamen prorsus aliena) reuertamur ad reliqua. Quòd si non pudet pseudosacerdotes in propatulo peccare, cur pudeat eos hic in libro male audire?

In pseudosacerdotes.

Murrbacensis abbatis encomion.

Hac tempestate, circiter annũ 1261. Flagellatorum secta in Germania & Gallia emersit. Cuius hæreseos meminit Albertus Crantz in Vuandalia sua, lib. 8. cap. 28. Qui in hanc superstitiosam colluuiẽ recipiebatur, cogebatur triginta tribus diebus & dimidiato manere (hoc erat pœnitentiæ tempus) & tantum pecuniæ secum afferre, vt in singulos dies haberet nummos quatuor. Nam non concedebatur illis vt mendicarent. Sacerdotes admittebant, sed citra dominium. Literas iactabant per Angelum è cælis allatas: quisq; pallio amictus, pileum in capite cum rubra cruce gestabat. Hos hæresiarchas compescuit Carolus 4. adiutus à Romano pontifice.

Secta flagellatorum.

VRBANVS ·5· 201

Decretorum doctor, circiter annum 1363. Electus sub Carolo 4. Cæsare 32. sedit an. 8. mens. 4. adijciunt alij menses 8.

Is PP. crucem fecit prædicari contra lunigeros Mahometistas.

Quĩto eiusdẽ Vrbani anno, ordo monasticus IESVATORVM inchoatus est, sub Ioanne Columbino Senensi: Colligebantur ab initio domesticatim, simplici indumento amicti, multa innocẽtia & pietate viri, sibi victum labore & opera quæritantes. Hos Vrbanus,

Iesuatorum ordo.

quia iam suspecti, vt malefica aliqua superstitione imbuti, haberi incipiebant, ad se Romam vocatos de cerimonijs & vitæ instituto interrogauit, cognouitque totam rem, & probauit, deditque vt alba tunica vterentur, & capitio quadrato à ceruice ad humeros deiecto. Cinguntur scortea zona, nudos pedes ligneis soleis in inferiore parte muniunt: datum inde est, vt canusinum pallium tunicæ superiectum ferrent. Apostolici à principio viri nuncupati sunt, sacris non initiantur, tantùm precibus vacant, & Iesuati ab eo dicti sunt, quod IESV nomen frequens sit in illorum ore.

Polydor. li. 7. cap. 4. de inuen. rer.

Sub finem vitæ Vrbani, S. Pyrgita deuota fœmina è Suetię finibus inclaruit, circa annum Domini 1368. Cuius meminit Albertus Krantz lib. 10. Volat. lib. 21.

S. Pyrgita.

Pragense gymnasium erigitur hoc tempore.

202 GREGORIVS II.

Lemonicensis patria, circiter annum 1371. Sedit annos 7. mens. 5. adijciunt alij menses 7. Cornipolitanus ponit tantùm annos septem.

Is Romam ex Gallia transtulit iterum sedem pontificiam.

Ab hoc pontifice Florentini excommunicati sunt, ob illatum sibi bellum. In Hetruria hodie Florentia clarissima, aliquando Fluentia, quod ad Arni fluenta extructa sit dicta: Sunt verò qui Florentiæ nomen antiquum, & ipsam nobilem fuisse P. Romani coloniam, ex Frontini de colonijs fragmentis probent.

Florentia.

Hoc pontifice, Adrianopolis à Turcis capta.

Heluetica fœdera cœpere, anno 1386.

Bombarda (Germanorum inuentum nouitium) belli metallica horrenda machina, quæ ignis incendio & sulphureo puluere, vt ita dicam, glandes æneas flammeasque pilas & globosa grauiora saxa conuoluens, horrisono fragore ac tonitru longè latéque iactat, muros vrbium quatiens, & obstantia quæque molliens, hoc tempore in vsu esse cœpit. Alij ad tempora Vrbani 6. reijciunt: à bombo, vt ego autumo, & ardeo. Pandulphus Collenutius quarta in apologia quã Bombarda inscripsit, eius impetus rationem in ea quæ de vacuo & inani feruntur referendam putat. Franciscus Grapaldus nomine balistæ bombardam significare voluit, hoc carmine.

Bombardæ vsus.

Fuderat aut vastos fumans balista molares.

Execrabile prorsus inuentum, cuius autor dignus, qui cum Salmoneo (Iouis fulmine tactus) miseram exhalat animam.

Nihil

Nihil enim fulmini magis simile, luce, impetu, odore teterrimo. Autori verò, quisquis fuit, robur durum, & æs triplex circa pectus erat, quem, vt Horatianis verbis vtar, parentis crediderim sui fregisse ceruicem, & penetralia sparsisse nocturno cruore hospitis. Ille venena Colchica, & quicquid vsq; concipitur nephas tractauit. Qui tam horrendam primus machinã, animo manuq; fabricatus est in hominum perniciem. Ecquod enim scelus, quem cruciatum, quod supplicium, non agitauit animo, qui vel cum Ioue ipso de fulmine potuit contendere? Cæca mortalitas, & ad sui perniciem ingeniosa, quæ ceu theomachiam meditaretur, Iouem ipsum proprijs sedibus exturbatura, tam horrendas belli machinas, & hanc præcipuè quam bombardam vocamus, fulmineam prorsus, nec vrbes modò magnas, sed montes, conualles, syluas, flumina, maria, aëra, ac ipsum penè cœlum territantem, excogitauit, ceu parum nobis essent tot arcus, tot sagittæ, tot balistæ, scorpiones, onagri, arcuballistæ, catapultæ, cuspides, lanceæ, conti, hastæ, nisi & hoc terrificum monstrum, ac velut postremum, longéq; omnium immanissimum (vt Beroaldi verbis vtar) scelus prioribus adderetur, & glorianfur nihilosecius stultissimi mortales palmam eam sese posteris præripuisse, nihil vlterius ad hanc sæuitiam additu[r]is. Non iniucundum fuerit (quamuis extra institutum nostrum) adscribere elegantissimum carmen Catanæi, quo graphicè bombarda describitur.

Quid non audebunt mortalia pectora? quando
Fulmina, terribiles tonitrus imitantur, & ignes — Cataneus in descriptione bombardæ.
Nanq; reperta fero muralis machina bello,
Seu Meroë solers, Tartis seu Rheticus omnes
Ingenij vires effudit, cum tonat, ignem
Fulmineum montis speculatus vertice ab alto
Excussis trunco teretem, medioque cauatam.
Magna parte sui, totamq; ex ære eoactam,
Sphæraq; de ferro penitus caua viscera cõplet,
Siue super currus vehitur, seu celsa tuetur
Castra loco, infuso intrato puluere, rimam
Pertenuem focus exurgit, mox impete vasto
Excutitur magno sonitu, magnoque tremore
Ferrea massa volans, non dura repagula contra,
Non solidæ turres, nec mœnia lata, nec agger,
Ferre valet, quocunque ruit, contusa rescindit
Oppida, prosternitque solo tabulata, trabesque,
Cardinibus fores firmis, pontesque resoluit,
Vno etiam totas deiecit vulnere pugnas,
Multiplici consuta modo lorica, nec ensis,
Lancea, nec clypeus, nec thorax profuit aeneus,

Omniaconuoluit,pediter,equitesque,virosque,
Membraque corporibus,deuulsa per aera iactat,
Desuetus bello est aries,ballista molares
Effundens,tremebundo extincta phalarica fumo,
Abstulit hec tormenta noua virtute Boarda,
Siue placet Bombarda magis,quod dicta boatu,
Seu bombo procul existens mortalia corda
Terreat horrendo strepitu,longoque fragore.
Non satis istud erat,quod vibrat ab ethere telum
Iupiter? excindi simili nisi lampade terras?
Tanquam nulla forent nostra compendia vitæ.&c.

Schisma ingens.

Itali Italum pontificem,Vrbanum 6:Galli Gallicum,Clemētem 7.elegere: Alter in alterum censuris sæuiebat.Durauit hoc schisma vsque ad concilium Constantiense,annos 39. Porrò Italia (Græciæ æmula)Germania,& Hungaria, Vrbano Romanorum pontifici adhæserunt.

203 VRBANVS 6.

Romæ moritur, tempore Ruperti Imperatoris, circiter annum 1379.Sedit anni. 11.mens.8.

Circa hæc tempora,anno 1387.Christianorū religionem induerunt Lithouani,vltimi in Europa,qui gentilium ritus deposuerunt; tempestate Vitoldi ducis tunc primum Christianorum sacris initiati.Ea gens equitatu maximè valet,vnde magna Polono auxilia.

Lithvuania. Lithvuania est Poloniæ ad ortum connexa noningētorum millium passuum circuitu, Moscovuiæ proxima. Quæ longo tractu ab oppido Circass,quod ad Borysthenem situm est, in Liuuoniam vsque protenditur: vniuersa regio nemorosa est,& palustris; æstate vix peruia, glacie & niuibus in lacunas abeuntibus: hyeme autem sæuo Borea duratæ niues,expeditis etiam curribus iter præbent: multos fluuios habet:quorum alij,vt Bog,Prepetz, Thur & Beresina,oriētem versus Borysthenem illabuntur. Alij verò,vt Boh,Cronon,&Narevu, septentrionem versus decurrunt.Cælum inclemens,animalia omnis generis parua habet,frumento quidē abundat, sed seges raro ad maturitatem peruenit. Nostra tēpestate in Litvuaniæ principatu sunt tres Romanæ obedientiæ episcopatus: Vuilnēsis scilicet (Vuilna autem caput gentis est,ciuitas ampla,inter colles sita,ad confluxum fluuiorum Vueliæ & Vuilnæ,tantæ magnitudinis est quantæ Cracouia cum suburbijs omnibus,à Cracouia 120.miliaribus distans) Samogithiæ,& Chiovuiensis,&c.

Vuilna.

Gymnasium Coloniense erectum,anno 1388.

BONIFACIVS 9. 204

Neapolitanus patria, circiter annum 1390. prius Petrus de Thomacellis dictus. Sedit annos 14. mens. 9. adijciunt alij mẽsem vnum dies 2. Cornipolitanus tantùm ponit annos 13.

Is PP. annatas approbauit ex antiqua consuetudine. Annatas id appellant in Curia Romana, quod ordinarij locorum, medios seu primos fructus nominant. De annatis & harum exactione, scribit Polydorus de inuentoribus rerum lib. 8. cap. 2. item, Ioannes Eckius in locis communibus. Annatarum vsus.

Anno Domini 1399. Albatorum secta cœpit in Italia, hanc Bonifacius sua authoritate repressit. Albatorum secta.

Hoc pontifice Chrysoloras è Byzantio in Latium græcas literas, quæ per 700. annos exularant (vt Platina tradit) reduxit. Cracouia.

Hac tempestate, circiter annum 1400. Vladislaus rex Sarmatię, erexit studium Cracouiense. Cracouia autem Sarmatarũ regia est, quam Vistula amnis interfluit: vrbs clericorũ, studiosorũ atq; mercatorum frequentia celebris. In hac Mathematicarum studia maximè florent. Publicè enim literarum studiosi bonis artibus informantur, & imprimis supputare syderum cursus atq; inde temporum vices, incerta bellorum, & in vtranque hominum fortunam arcana fatorum, aperire consueuerunt. Sed nimium digredior, reuertamur ad institutum.

Schismatici.

Clemens 7. Antipapa potius, ann. 15. Cui Petrus de Luna (Benedictus 13. appellatus) Auenione suffectus est. Clemens 7. Benedictus 13.

INNOCENTIVS 7. 205

Sulmonensis patria, Iurisperitus: Sedit Romæ annos 2.

Circiter annum Domini 1400. Tartarorũ Imperator Tamburlanes, siue vt Demetrius Moscus dicẽdum monet, Themircutlu, Baiazetem Ottomannum, huius Solimani tritauũ, apud Ancyram Galatiæ vrbem ingenti prælio superatum cæpit, & per omnem Asiam ab se terribili, maximi exercitus impetu deuictã, ferrea inclusum cauea, in triumphi pompa circũduxit. Ortus est Tamburlanes Samarcanda vrbe, hac nostra tempestate eximiæ magnitudinis & claritatis est, quam Iaxartes, maximus Sogdianę amnis interfluit, atq; inde ad 100. miliaria in mare Caspium effunditur. Samarcanda.

GREGORIVS 12. 206

Venetus patria. Is promisit cessurum se pontificatu, si Benedictus 13. idem cedere non recusaret. Proinde concilio Pisis habito vterque depositus, & suffectus in locum eorum Alexander 5.

Montoli-

Montoliuetenses eo anno, qui fuit M. CCCCVII. salutis, esse cœperunt, quo trium pontificum pestilens discordia orta est. Ii Senenses primùm fuere, quorum princeps Bernardus Ptolemęus, qui pro temporum conditione, capto mutandæ vitæ consilio, in proximum vrbi collem egreßi sunt, eumque ex nomine illius Hierosolymitani Dominicis frequentati vestigijs appellantes, sese candido induerunt amictu, Gregorio 12. probante.

Montoliue tensis ordo.

Nomina trium pseudopontificum.	Grego. 12. Arimini. Ioann. 23. Bononiæ. Benedictus 13. in Hispania.	in concilio Constantiensi omnes deiecti.

Alexander 5.

207 Cretensis patria, prius Petrus Candianus, vir sanctißimus & minorita: Bononiæ præfuit, nam Roma ab Hungaris occupata. Sedit menses 8. adijciunt alij menses 3.

Ioannes 23.

208 Neapolitanus patria, sedit ann. 4. adijciunt alij menses 10.

Idem Hieronymianorum ordinem confirmauit: natiuo amiciuntur colore, pallioq; super tunicam rugato, atq; superiore parte à summo ad imum scisso, scortea zona tunicam succingunt, soleis ligneis pedes muniunt.

Hieronymianorũ ordo

Ioannes Gerson floruit.

Anno Domini 1414. circiter tempora Sigismundi Imperatoris, Constantiense concilium congregatum est. Huic synodo vniuersali interfuerunt 4. patriarchæ, cardinales 27. Archiepiscopi 49. Episcopi 270. Abbates & Doctores 564. Hi Martinum 5. elegerunt deiectis alijs. In hac vniuersali synodo S. Patres, sui officij memores, vepres, spinas, & tribulos hæresum, errorum, & schismatum extirparunt, excessus correxerunt, deformata reformarunt, Vineam Domini ad frugem vberrimæ fertilitatis adducentes. Nec reticendum hic, sexaginta millia & quingentas exteras personas numeratas fuisse, à festo Paschæ vsque Pentecosten. Conclusiones huius concilij recẽset Carranza, & cæteri. Condemnatorum articulorum Ioannis Husz, mentio fiet alibi, Deo annuente. De conditore huius vrbis, quãtum ego intelligo, scriptores non conueniunt. Nam alij à Constãtini filio, alij verò à Constãtini magni patre Constantio itidẽ Imperatore conditam esse volunt. Leonardus Aretinus ad amicum inter cætera huius ciuitatis in hæc meminit verba. De Constantiæ antiquitate & origine cum sæpe à quibusdam ciuibus quæsissem, nemo adhuc mihi occurrit, qui vel aui sui nomen & memoriam nedum vrbis tenere videretur.

Constãtiense cõcilium.

Agri Dominici præcipua cultura

Constantiæ conditor.

deretur: Ego cum diligentius perscrutarer, tabulam inueni marmoream, vetustas literas continentem, ex quibus apparet à Constantio Constantini patre, qui à Diocletiano & Maximiano Cæsar dictus est, hanc vrbem nomen cæpisse, cum prius Vitudura nũcuparetur, hæc Leonhardus qui & mores & instituta refert ciuitatis, hęc parergôs.

MARTINVS 5. 209

Columnensis, prius dictus Odo de Columna. Sedit an. 14. mens. 3. vacat sedes di. 12.

Hac tempestate, circiter annum 1431. in Rauricorum vrbe florentissima Basilea, concilium inchoatum est, præsidente Iuliano cardinale S. Angeli, & Legato Apostolico. Ad hunc legitimum concessum, Ioannes Græcorũ Imperator suos oratores misit: omnimodam optans vnionem. In eadem synodo (acta concilij testantur) Armeni episcopo Romano tanquam superiori obedientiam iurarunt.

Basiliẽse cõcilium.

Armeni se submittunt S. R. E.

EVGENIVS 4. 210

Venetus patria, circiter annum 1430. filius Angeli Gabrielis, è nobili familia Condelmeria. Sedit annos 16. vacat sedes di. 12.

Is PP. Romæ coronauit Sigismundum Cæsarem.

Idem Romæ academiam instituit.

Hac tempestate, Orientalis Ecclesia, S. R. E. se ex parte coniunxit in concilio Florentino. Cui interfuere Patriarchæ duo, Constantinopolitanus videlicet, ac Hierosolymitanus. Metropolitani 70. episcopi 412. Abbates & priores conuentuales 800. Itemque Legati duorum Impe. Rom. scilicet, & Græcor. & Regum Hierusalẽ, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, plurimarum denique Academiarum oratores. Controuersia erat de processione Spiritussancti: Spiritum enim sanctum, tertiam in diuina Trinitate personam, à Patre Deo solum produci persuasum habent Græci: quum rectissima veritate à Patre simul Christóque Filio proficisci credendum sit, verùm ea controuersia, cum exitum habuit (præsidente etiam Eugenio 4.) vt pertinacia Græcorum in sermone potius quàm in sensu castiganda videretur: quum Græci antistites euidentissimis conuicti rationibus Spiritum sanctum à Patre per Filium produci faterentur.

Florentinũ concilium.

Hoc tempore S. Bernhardinus confessor, Tuscus patria, vitæ terminum compleuit, anno salutis 1443. ætatis suæ 63. Hunc Nicolaus quintus Romanus pontifex, anno redempti orbis 1450. sanctorum coacceruauit cathalogo, sepultus in Aquila Aprucij vrbe.

S. Bernardinus.

Euerhardica clusa,tribus lapidibus à Treueri, cœnobium regularium canonicorum fundatur,anno 1440.

211 FOELIX 5.

Anno Domini 1440.Fœlix 5.electus est, antea Amedeus dictus, princeps Allobrogum,veneranda canicie,decorus aspectu, & facie tota prudentiam præ se ferens singularẽ,in solitudine Rippaliæ Gebennensis diocæseos iam à pluribus annis cõuersatus,Eligitur & pontificali thiara coronatur nono calẽdas Augusti,in ciuitate Basiliensi. Hanc electionem approbauit generalis synodus Basiliensis, sessione tricesima nona. Adfuere Basileæ tunc temporis, Ludouicus Sabaudiæ dux,Philippus comes Gebennensis,Ludouicus Marchio Saluciarum,Marchio de Rotelẽ,Conradus de Vuinsperg Imperij camerarius,comes de Dierstein,& tanta multitudo hominum, vt capita ad quinquaginta millia credita fuerint.Sedit annos 9.

Memorabile Amedei. De hoc AMEDEO Sabaudiæ duce,scribit Rup. Volater.libr.3. Geog.quòd rogatus ab oratoribus quibusdam, si quos haberet canes venaticos,eis ostenderet,annuit vt postera die redirent.Cum verò adessent,ingentem medicorũ multitudinem ostendit,vnà discumbentium:Atq; hij sunt,inquit canes mei,quos alo quotidie, quibus spero me cœlestem gloriam venaturum.

Idem vt placida pax orbi mitteretur,sponte cessit à pontificatu,locum dans Eugenio.

212 NICOLAVS 5.

Eugenio 4.successit,Lucensis patria,circiter annum 1447. sedit annos 8.

Is PP. Amedeum Sabaudum Cardinalibus adnumerauit, Germaniæ legatum creans.

Hac tempestate, caput bicipitis aquilæ à Lunigeris Mahometistis dissectũ est.Item,anno 1453. die 29.May,Cõstantinopolis (quã Turcæ Europæi,qui lingua schlauonica vtuntur,hodie Czarigrad, id est, Regiam vrbem,appellant) expugnatur:& quæ olim Patriarchalis sedes,nunc (ô miseriam incredibilem) fœdissima Arrij intestina,Turcas adorare cogitur:Quod profectò non mediocris iræ diuinæ exemplum est. Discrimen vltimũ captę vrbis Constãtinopoleos, descripsit D.Leonhardus Chiensis,Theologiæ professor, & Mitylenes Archiepiscopus,qui ab hoste vnà obsessus & captus fuit,neq; alia scripsit,quàm quæ coram vidit & cognouit, ad quem candidum lectorem remitto.

CALIX-

CALIXTVS 3. 213

Hispanus natione, Iuris vtriusque doctoris titulo insignitus, sanxit ne quis à PP. ad concilium appellaret. Idem transfigurationem Domini 8. eidus Augusti, anno 1456. ob victoriam eo die ad Belgradum acquisitam, instituit. Sedit ann. 3. mens. 3.

Sub Calixto 3. Mahumetes Amuratis filius & successor apud munitissimum Belgradi oppidum, copijs eius omnibus tum præsentibus, per Ioannem Hunniadem, parua manu cruce signatorum fugatus fuit. Sed & Cassanus (quem Calixtus autoritate sua mouit, vt bellum in Turcas verteret) prælia multa prosperè gessit, cũ Otthomanni ducibus. Falsum igitur est quod Lutherus denuo occinit, nihil prosperum Christianos aduersum Turcas habuisse. At fingere sic se habuisse, finge nihil prosperum successisse Christianis. Neutrum tamen ex eo rectè colligit apostaticus, vel quod non liceat Christianis cum Turcis congredi, vel quod Deus robus aduersetur nostris. Constat enim ex libro Iudicum, quod prelianntibus filijs Israhel aduersus tribum Ben Iamin, ob illud memorabile scelus in vxorem cuiusdam Leuitæ commissum, tribum ipsam ter præualuisse. Cũ Turcis preliandum

S. Vincentius, confessor Valentinus & virgo, annorum 18. religionem Prædicatorum ingressus est; migrauit tandem anno 1418. ætatis 28. cathalogo sanctorum adscriptus à Calixto 3. anno Domini 1450.

PIVS 2. 214

Fuit autem Pius, qui prius Aeneas Syluius Poëta vocatus est, patre Syluio, matre Victoria, Senis ex nobili genere, & peruetusta Piscolhominea familia oriundus, virtute præstans, vitæ sanctitate conspicuus, studijs humanitatis præcipuè excellens vir, in quo ambiguum erat, doctrina maior, an eloquentia fuerit. Grata hominis præsentia, blandi mores, vita in omni ætate nitida. Religionis zelus, salutẽ, ampliationemque fidei Christianæ querens, eiusq; cultor, ac maximus propugnator, quẽper Ecclesiasticos dignitatis gradus profectum sacer cardinaliũ Senatus in pontificẽ maximum elegit, & omnes Christiani principes tanq̃ cæleste quoddam numen, & altissimo domicilio demissum in terrã, omni pietatis cultu, obseruarunt. Fuit etiam PIVS omnium hac tempestate sua, fortunatissimus, princeps pacificus, & omniũ fermè pater, ac magister, qui hac sua ætate Latinas aut Græcas professi sunt literas. Admirabilis profectò vir, & omni veneratione dignus, qui omnem ætatem suam legendo, docendo, scribendo percurrit. Scripsit enim complura volumina, tam diuinas quàm humanas complexus res. Cõtexuit historias multas, ac varias,

cum locorum,& totius ferè orbis situ,quæ nunc singula referre non est opus,cum ea ædita per manus omnium quotidie perlegantur. Magnus profectò,& clarus pontifex,contempsit pecunias, virtutem apprime dilexit,neq; secundis rebus intumuit,neq; succubuit aduersis,neq; spes ei gaudium,neq; metus tristitiã auxit. Potus,cibiq; parsissimum fuisse tradunt,diuina officia interdiu noctuq; nunq̃ neglexisse. Pompas seculi fugerat,calcauerat auaritiam,libidinem subegerat,sedatus animus eundem semper eius vultũ ostẽdit durus & asper in hostes Christi,promptior in fide receptis. Euangelij non surdus auditor. Omnia inter Christi pauperes erogauit. In quo ea à principio modestia,ea grauitas,id acumen ingenij,id studium literarum, is amor virtutis emicuit. Cum primum verò Pontificatus apicem adeptus esset,magis effulsit. Multa in Turcas parauit, Reges & principes omnes concitauit. Nec me fugit quid de bello cõtra Turcas,confinxerint recentiores Manichæi Oecolampadianistæ: nullus nõ dixerit,Deum visitare infirmitates nostras seu iniquitates per circuncisos Hismaëlitas,non tamen per hoc catholicis inhibetur defensio. Visitat nos Pancratiaster noster,per famem,pestem,ignem,bella,morbos,non tamen prouisionem,medicinam,fugam sustulit,ad institutum. Sed dũ hęc sanctus ille pontifex molitus,à fatis de medio sublatus est. Cuius quidem occasu tantum Respublica Christiana detrimenti suscepit,vt adhuc eius obitum maximè lugeat, cuius consilio, auxilioq; semper vsa est. Cũ emergere,respirare,& iã iam in portu,& in tuto propediẽ se fore speraret,subito,& inopinato illius casu afflicta est,& nunc cõsternata admodum , & tam à Barbaris quàm apostaticis vndiq; exagitata plurimum mœret atq; tristatur: Vixit post ortum seruatoris circiter annum 1457. vitam cum morte commutauit Anchonæ. Sedit annos 6.

Ars impressoria. Hoc tempore, Ars impressoria,quam latiniores excusoriam vocant,sub Pio 2. circiter annum 1452. Moguntiæ inuenta. Reijciunt alij ad tempora Friderici 3. De excusoria arte in Germania reperta, in hæc verba cecinit Beroaldus.

O Germania muneris repertrix,
Quo nil vtilius dedit vetustas,
Libros scribere quæ doces premendo.

Catayni. Alij Cataynis(pertinent Catayni ad extremã orientis plagam,ad Thraciæ ferme parallelum,Lusitanis in India cogniti) illud inuentum adscribunt,cuius meminit P. Iouius, episcopus Nucerinus, in suis hystorijs,hisce verbis prorumpens. Et quod maximè mirãdum videtur (inquit)habent Catayni suos typographicos artifices, libros

hystorias

hyſtoriarum more noſtro imprimentes, quorum longiſsima folia introrſus quadrata ſerie (etiam ſuorum ſacrorum cæremonias continentes) complicantur. Cuius generis volumen à rege Luſitaniæ cum Elephante dono miſſum, LEO 10. pontifex humaniter nobis oſtendit, huic facile credendum eius artis exempla, ante Luſitanorum in Indiam traiectum, per Schytas & Moſcos ad incomparabile literarum præſidium ad nos perueniſſe, hæc ille.

Eodem tempore Veneti Cyprum inſulam cupreſsiferam (teſte Sabellico) expugnarunt. Cyprus inſula, ab occaſu pelagus habet Pamphilicum, à meridie mare Aegyptiacum, ab ortu Syriacum, à Septentrione Cilicium. Hæc inſula Veneri quondam ſacra fuit. Habet vrbes Paphos duas, veterem ac nouam, & Salamina. Inter alia nomina Macaria dicta, nam mire fertilis eſt, in ſinu maximo qui Iſsicus circa Ciliciam dicitur, nouem aliquando regnorum ſedes, vt Plinius capite trigeſimo primo libri ſexti ſcribit: Smaragdo, Cryſtallo, Aere Cyprio cognominato, adamante & alumine nobilis, quam aliquando adnexam continenti fuiſſe, idem author ſecundo libro ſcribit. Lege Strabonem de hac lib. 14. Cypri ambitus eſt trium millium & quadringentorum ac viginti ſtadiorum: Eius longitudo eſt à Clidibus in Acamâtem pedeſtri itinere mille & quadringentorum ſtadiorum. Sunt autem Clides inſulæ duæ ante Cyprum ad Orientales eius partes ſitæ. Acamas, promôtorium eſt ſyluoſum, in occidentalibus inſulę partibus ſitum, tendens ad aquilonem, &c. Cyprus. Clides. Acamas.

Anno Domini 1460. natus eſt Imperator MAXIMILIANVS, genethlius vero dies, dies fuit cœnæ Dominicæ, baptizatus in die ſancto Paſchæ, decubuit in oppido Vuels, anno 1519. die 12. Ianuarij. Vixit annis 59. menſibus 9. diebus 19. Maximilianus Imper. naſcitur.

Hac tempeſtate Moguntia expugnata eſt.

Anno Domini 1469. D. ERASMVS Roterodamus natus eſt: idem finito curſu tactus δυσεντερία (dyſenteria vt tradit Archigenes vlceratio arteriarum ac viſcerum, à δὺς quod malum ſignificat, & ἔντερον quod eſt inteſtinū, ſimilitudinē habet cū Tineſmo, de quo Celſus in 4. Græcè τινεσμος eſt cum frequens ſed irrita deſidendi deijciendiq; cupiditas eſt, cum inflammatione ac tumore ſedis mucoſa & ſanguinolenta quædam egerentis, Plinius libro 28. cap. 9. ſuillum lac vtiliſsimum Teniaſmo, &c̄.) animam mēbris euolare paſſus eſt, anno 1536. quinto eidus Iulias, ſub mediam noctem. Fuit in eo incredibilis memoria: plurimarum ac maximarum rerum doctrina: D. Eraſmus Roteroda. naſcitur Diſenteria. Tineſmus.

orationis mirabilis facultas & copia, inexplicabilis lepos, iucunditas admiranda, delectabilis varietas, nitor ingens, facilitas penetrāti perspicua, ac magis proinde grata. Nam quid ego de diligentia in elaborando, constantia in perseuerando, prudentia in iudicando, dicam? Qui inde à pueritia, vsq; ad occasum vitæ extremumque spiritum nunquam distrahi se à sua bibliotheca suóque otio est passus, dicendi arte nulli secundus suis temporibus,

S. Catharina Senensis.

S. Catharina Senēsis patria, Romę extremum diem placidissimè clausit, anno salutis 1460. ætatis 33. sanctorum aggregata catalogo à Pio 2. Anno 1461. Quantis verò signis claruerit Catharina illa Tusca & Senensis, pius lector eius vitam conscriptam legens ab Antonio Archiepiscopo Florentino intelliget, qui & diuæ Claræ acta moresque & miracula complexus est.

Academia Moguntiaca.

Anno Domini 1461. Sub Diethero de Eisenburg, erectum est Moguntiæ studium publicum. In hac academia hodie enitescit D. GEORGIVS VVICELIVS, quo viro non alium habet, mea quidem sententia, Germanorum imperium, vel magis pium, vel qui Christon verius sapiat. Quis est ingenio vsque adeo stupido, fero, saxeóque quem Vviceliana suauiloquentia, & vel Nestorea illa mellitior, non excitet, non emolliat, non edomet? Est gratia in vultu, lepos in ore, venustas in toto corpore, suauitas in moribus, prudentia in pectore. Iam quid iustitiam memorem? quid fortia pro fide facta?

D. Georgij Vuicelij Encomion.

Cur te non memorem vir præstantissime? cur te
Non celebrent doctum carmina docta virum?
Humanos inter certe humanissimus ipse,
Quo mage nil dignum laudibus esse potest.
Quam bene de nobis meritus quantumque bonorum
In nos contuleris, non reticere queo.
Maiestas tanta est sanctæ virtutis, vt vllo
Non possit virtus tecta latere modo.

Studiū Friburgense in Brisgoia.
D. Henrici Glareani Encomion.

Anno Domini 1463. Friburgi Brisgoiæ studium publicum erectum est. Hic floret nostra ætate verè Catholicus doctissimusque mecœnas meus & præceptor (Anno 1541.) HENRICVS GLAREANVS, delphica laurea Poëta coronatus, & Heluetiæ suæ decus. In hoc sanè viro, admiranda & prorsus inimitabilis est in carminibus ingeniositas & inuentio. Flacci in morem Ro-

mani,

mani, & Pindari Græci, nunc iambo currit, nunc elegiaco perso-nat, nunc trimetro vel hexametro pede incedit: nunc sapphico nititur. Sine amaritudine mordet, sine bile ridet, sine felle reprehendit.

PAVLVS 2. 215.

Venetus patria, cuius temporibus omnia officia Romæ venalia erant, semper is PP. pauper fuit, quia auarus: iuxta illud. Non pauper est qui nihil habet, sed qui multa desyderat. Non diues est qui multa possidet, sed qui nulla re indiget. Silicernio seu funebri conuiuio (inquit Plutarchus) similis est vita hominis auari. Vrsi & lupi saturati rapinam relinquunt, auaris autem nulla satietas. Alexander Philippi Macedonis filius, quum audiuisset ex auctoritate Democriti Philosophi plures esse mundos: heu me inquit miserum: quod nec vno adhuc potitus sum. Qui si nec toto mundo satiebatur: quid amplius erat appetēdum, nisi cum cœlicolis noua mouere certamina? Et Socrates interroganti quis videretur sibi ditissimus, respondit, Qui paucissimis contentus est, &c. Moritur autem Paulus 2. solus in cubiculo, Apoplexia (quæ neruorum est resolutio) tactus, 2. hora noctis, gleba contentus miser senex. Et certè auaritia senilis maximè vituperanda est. Potest enim quicquam esse absurdius, quàm quò minus viæ restat eò plus viatici quærere? Quid ergo auaritia insatiabilius, immensius & incredibilius? Quæ sic hominum mentes obstrictas tenet, vt eas nullo tempore respirare permittat. Non inutile quidem est pecunias acquirere: per iniustitiam verò, longe pessimum. Pecuniæ vsum habere oportet, sed ei seruire non oportet, admittenda est pecunia in domum, at non in animum. Sedit autem Paulus 2. an 6. adijciunt alij menses 10. vacat sedes di. 9.

Auaritia reprehēditur.

Circiter annum 1475. Simon infantulus tenellus, bimulus Tridentinus, à Iudæis clam comprehensus, omnibus prius cruciatibus adfectus, demum cruci affixus est, confossus & punctus.

Tridētinus puer.

Hoc tempore, Carolus Burgundionum dux claruit armis: occubuit anno 1477. vij. Nonas Ianuarias.

Carolus Heduus.

Epitaphion Caroli ducis.

Occubuit Carolus regum festo nece strictus.
Carolus occubuit, & campos corpore texit.
Oppida trina tibi dux Carole dura fuere,
In rebus Gransen, grege Morthen, corpore Nanzen, &c.

Præsentatio nis Mariæ festum.

Festum Præsentationis Mariæ hoc tempore approbatum est.

216
Anno 1471.

SIXTUS aliàs XYSTUS, 4.

Sauonensis patria, Minoritanus, antea dictus Franciscus Ruuerus, cuius pater artem nauticam exercuisse traditur, ipse vir doctissimus, ac optimæ vitę, die sexto Ianuarij, quæ erat vigilia Epiphaniæ, naturæ debitum persoluit. Sedit ann. 13. vacat sedes dies 15.

Is PP. Iubileum in 25. annum reduxit.

Sixto 4. obedientiam iurauit potentissimus Abyssinorum Imperator, anno Domini 1482.

Scanderbegus Epirota

Anno Domini 1466. Calendas Februarias, extremum diem suum obijt Scanderbegus Epirotarum Princeps inuictissimus, anno imperij sui 24. de cuius vita, moribus ac rebus gestis, præcipuè aduersus Turcas, libros 13. conscripsit Marinus Barletius Scodrencis. Eiusdem Scanderbechij meminit Volaterranus libro 8. Geographiæ in descriptione Macedoniæ. Et Aeneas Syluius in descriptione Europæ, cap. 15. Item, Paulus Iouius in commentario rerum Turcicarum, ad Carolum 5. Imperatorem.

Hoc tempore, Maximilianus Cæsar 38. à Brugensibus, sine merito captus est, anno 1489.

Anno Domini 1477. mense Nouembri, Ioannes Basilius Moscouuiæ dux, ad fluuium Scholona conflictu Novuogardenses superans, certis quibusdam conditionibus ad deditionem eos compulit, præfectumque suo nomine vrbi imposuit. Novuogardia hodie ampla est ciuitas, & totius Russiæ caput, quam Vuolchovu fluuius nauigabilis interfluit.

Novuogardia.

Hydruntum obsessum.

Anno Domini 1480. Hydruntum (vrbs in Apuliæ & Calabriæ finibus) capta est à Mahomete Turcico, oppidanis omnibus necatis, & matribus familias constupratis, postquam 17. dies obsedisset. Ex eo littore Apolloniam versus mare non amplius centum millibus passuum expanditur. Quod pedestri continuare transitu, pontibus iactis primus Pyrrhus Epiri rex cogitauit, post eum M. Varro, vtrumque rerum aliarum impediente cura, vt Plini. cap. 10. libri tertij scribit.

Morbus gallicus

Eadem tempestate, circiter annũ Domini 1496. Morbus gallicus irrepsit

irrepsit in orbē. Rodebat hic morbus facies humanas, & cætera corporis membra, vsq; ad medullas & ossa, quibusdam etiam nares eradicabat. Parisijs grossa variola nuncupatus. In Hispania propinquiori, & in Aragonia morbus S. Sementi, vltra Hispanias, & in Granata morbus Curialis. Mathias Machoniensis, scabiem fœdam vocat. Exploratum fuit, hanc pestem plurimum esse contagiosam, & manent in hodiernum diem morbi reliquiæ.

INNOCENTIVS 8. 217

Genuensis patria, Ioannes Baptista antea vocatus, modestus & supplex vir, & in rebus gerendis prudentissimus. Sedit an. 8. di. 16.

Is PP. Secretariorum (sic vocant secretiores principum familiares, qui à secretis sunt) collegium auxit.

Hac tempestate, Ferdinandus rex Hispaniæ, Saracenis Granatæ regnum ademit, anno 1492. BOETICA à Bœti fluuio denominata fines habet à septentrione Lusitaniam, diuisam ab ea fluuio Ana: ab occasu oceanum occiduum, à meridie fretum Herculeum & mare nostrum, ab ortu lineam, quę à Balearca ciuitate ad Anā ducitur. Granata regnū recepta.

Hoc tempore, Doriphori (quos Lantzknæchthos dicunt) in Germania exorti sunt. Lancearios autem nostri vocant quos Græci λογχητοὺς καὶ λογχοφόρους appellant, à λόγχη, id est lancea gestando: Lancearij dicti, quòd ictu lanceæ perimantur. De Lancearijs Firmicus Maternus scribit in hæc verba. Quicunque habuerint horoscopum in 21. Tauri parte lanceati morientur. &c.

Hisce temporibus, Almerici nauigatio in terras longinquas, & incognita regna clara extitit. Non ineptum hoc loco fore existimauerim, si qui hæc repererunt, tanq̄ publica laude dignissimi, memoria prodātur, Nā postq̄ Columbus Ligur admirando ingentis animi captu, eruditoq; iudicio vir, & vti quibusdā apparet, Hercule Gręco inusitatę famæ gloria maior & illustrior, alterum propè terrarum orbem vasto atque intentato prioribus seculis Oceano, ad occidētem nobis aperuit, Columbo apud Hispalim defuncto, tres Hispani pari æmulatione laudis, & spe quæstus, maximè clari & memorabiles extiterunt. FERDINANDVS imprimis CORTESIVS, qui in postremū occidui littoris sinū delatus ad Mexicana regna terrestri itinere contendens, subactis Indis, Themistitana vrbe potitus est, quā fabricatis nauigijs, eam vrbem falso in stagno positam, ædificijsque, & incolarum frequentia Venetæ vrbis instar admirabilem, multis prosperè factis prælijs expugnasset: Cuius expugnationis meminit D. Petrus Sauorgnanus Foroliuiensis. Successit BLASCVS NONIVS, qui claritate nominis æquari potuit Cortesio. Nauigatio in incognita regna.

Ab hoc

Ab hoc enim diu peruagante Pariæ terræ, & Darienæ regionis littora, repertus est isthmus ad Vrabonum sinum, quo duo ingētia maria dirimuntur. A Comogio siquidem ingentis amnis ostio Dariensis littore, per inaccessos prope montes, monstrantibus iter indigenis, BLASCVS summa iuga tenuit, & subiectum in aduerso littore vastissimi pelagi sinum conspexit, in quo auri & vnionum ditissima regna reperta sunt, atq; item conspectæ aditæque aliquot insulæ earum rerum opulentia insignes, sicuti in Oceaneis decadibus Petrus Martyr Anglerius, & P. Iouius episcopus Nucerinus, scitè referunt. Sed supra Corthesium & Vaschū, portentosa nauigatione inclytus fuit MAGALANES Lusitanus exul, qui auspicio Cæsaris alterum Pariæ terrę littus in Orientem obuersum, quinq; nauium classe percurrit, legendoq; oram, præteruectus lineam capricorni atque ostia immensi Argentei fluminis, vti Hispani vocāt, Moluccam omnium aromatum productricem detexit. Neq; operæprecium esse reor, vt à legentibus hoc loco veniam deprecer, quod me ij tres viri inclytis heroibus comparandi longius abstraxerint, quando eos omni laude ad perennem nominis famam exornandos putem.

Vita D. Ioannis Keiserspergij.

Hoc tempore, floruit IOANNES GEYLERVS Cæsaremontanus, cuius sancti viri vitam placuit [illegible] describere. Si enim apud ethnicos, qui vel arte bellica, vel legum ferendarum scientia, aut quauis alia eruditione cæteris prestabant, scriptorum præconio nominis immortalitatem sunt adepti: Cur apud Christianos eorum qui sanctius vixerunt, religionemq; impensissimè coluerunt, non foret illustris ad posteritatem transmittenda memoria? Ortus est Ioannes Geilerus in vrbe Schifthusia, anteq̄ ab inclyto Austriæ ducatu desciuisset, anno redempti orbis 1445. decimasexta Martij die, patre Ioanne Geilero, matre autem Anna Zubera. Pater cum scribæ eius oppidi minister fuisset, à manu ducta vxore, anno post apud Amersuillanam plebem notarij officium est assecutus. Eo itaq;, cum temporalibus suis, quæ iam recens nato filiolo auctiores erant, commigrauit: vbi triēnio post aduersantissimam expertus est fortunam. Nam cum vrsum vineta depopulātem persequuturis socium se adiunxisset, ab immani illa bestia cui venabulum incerto ictu infixerat ita in crure altero mordicus apprehensus est, vt iam de vita eius actum crederetur. Vulnus eo congressu acceptum non longè post sacro igne (anthrace) correptum virum consumpsit. Amisso igitur patre cum iam trimatum implesset, à proauo suo ciue Cæsaremontano receptus est educādus. Cuius beneficio ac cura post prima literarum tyroci-

tyrocinia ad Friburgense gymnasium missus liberalibus disciplinis vacauit, magisteriique laurea exigentibus hoc studiis suis est coronatus. Exinde mox sacris initiari curauit. Et cum sacerdotem nil magis deceat quàm sacrarum peritia literarum, ne mysteriorum inscius à promiscua plebe nihil differat: Basileã venit theologiæ operã daturus, hic cùm ferè quinquennium studiis sacris impendisset, ad Doctorale est culmen euectus. Is cum iam nouellus doctor Theologiæ consultissimus haberetur & esset, Friburgũ est accitus, vbi viri probitas antea omnibus erat cognita, vbi Christianarũ literarũ publicus interpres cõstitutus est: Nec illic anno lõgius mansit. Nã Herbipolim quorundam ciuium persuasione ductus, futurus concionator perrexit. Sed dum Basileam pro aduehendis quos illic reliquerat libris petit, à Petro Schotto Argentoratensi senatore, viro tã graui quàm prudenti, rogatus est enixe admodum, vt si vspiam Dominici verbi enarrandi prouinciam subire vellet, Argentorati id ageret: se daturum operam ne digna laborum mercede careret. sic igitur persuasus patriæ promissa præstitit, non minus exemplo quàm doctrina monstrabilis: populum sibi creditum, frequentique accursu (Episiistasis Græcè) acceptum, annis 33. fideliter, constanter, & feruenter docuit, absque vlla assentatione, nemini vnquam adulatus. Tempus autem omne cuius sumptus (Theophrasto autore) preciosissimus est, ita dissecuit: aut enim contemplabatur, aut agebat, aut quiescebat. Ociũ vt nocẽtissimam animi pestem vsque adeo vitabat, vt somno excitatus, è lecto quoque statim exiliret. Tanta verò magnanimitate suiipsius conscius humanã gloriam cõtempsit, vt suarum lucubrationum nihil viuus ederet. Quoties declamaturus erat, dicẽda prius ad verbum domi scribebat, sed stilo extemporario & ob id incultiori, qualem theologos ætate superiori ferè omnes seruasse videmus. Bibliothecam habuit omnis generis librorum refertissimam, quam ad successores transire pientissime voluit: Ibi neq; poëtis neq; historicis sua loculamenta deerant, maior tamen eorum numerus erat qui rem theologicam suis scriptis illustrarunt. Pauperes atque hulcerosos Lazaritas, maxima semper liberalitate fouit. Hinc proiectitiis infantulis quotidie ferè aliquid dabat. Vidisses (scribit B. Rhenanus) innumeram illi quacunque transiret circumfusam multitudinem, quæ supplici voce patroni opem imploraret. Neminem vnquam passus est sine munere abire, quicquid enim ex sacerdotii censu vltra vitę necessaria supererat, id omne in vsus pauperum erogabat, &c. Hospitalitatem quoque in peregre aduectos simili studio exercuit, Eruditos ac integritate vitæ conspi

conspicuos vehementer dilexit, & inter hos vnicè quidem IACOBVM VVIMPHELINGIVM consanguineum: Hunc oculis chariorem habuit, cum hoc de sublimibus rebus dissertare consueuerat. Ob summam verò cruditionem cum vitæ sanctimonia copulatam, ab inuictissimo Imperatore Maximiliano beneuolentia haud vulgari dilectus est. Hunc interdum ad se accersire, accersitum non tam comiter quàm familiariter compellare solitus erat, Huius D. Ioānis in magnis rebus consilium non parui estimabat. Is semel ab eodem Christianissimo Cæsare vocatus, ad fauces Alpium quod vulgo Fiessen appellatur, ex eo loco amico cuidam intimo quomodo esset exceptus, inter cætera de Cæsare in hæc verba scripsit. Duo subsellia in secretissimo loco æqualia poni iussit, ibi concedimus, & locutus est quæ mihi planè loqui non licet, neque temerè me vocauit, & post pauca. Finito itaq; colloquio, sed & dialogo inter nos scriptis incepto, S. R. Maiestas, scripto sentētiam suam posuit, & vt ego è regione responderem voluit. Et non multo post. Latinus bonus, sed scripto melior quàm verbo, hæc ille. Sed vt vnde digressi sumus reuertamur neutiq̄ silentio prætereundum, quòd adolescentulos quatuor qui vexilla gestantes, sacramentum eucharistię comitarentur, ex collectiua pecunia, cui bonam partem adiecerat, primus instituit. Fuit statura procera, capillo crispo, facie macilenta, ac corpore gracili, sed salubri: & renum dolore excepto nullis ægritudinibus obnoxio.
Bis in die comedebat, vini paulo appetentior, magna tamen est semper abstinentia vsus, vt vel sacrum Quadragesimę tempus quotidiano ieiunio transigeret. Fuit Pericle eloquentior, Socrate (vt paucis multa dicam) continētior, Numa religiosior, Aiace maior, Achille fortior, Aristide iustior, Nestore prudentior, Catone seuerior, & quod de Origene fertur, qualem habuit sermonem, talem habuit & vitam. O virum recti exempli, ô vitæ integritatem, & innocentiam: ô laborum patientiam, & doctrinæ sanitatem. Dignus cui fata parcere debuissent, nisi aliter Deo Opt. Max. visum fuisset: Cui sine dubio
Eidus Martias. viuit, & pace æterna fruitur, &c. Finito tandem cursu, totius Alsatiæ lachrymis defletus, obijt syntecticus 10. Martij die paulò post meridiem, anno salutis M. D. X. Sic visum est illi, qui res humanas è duobus illis dolijs, pro arbitrio suo temperat, Vixit annis 64. mens.
Homerus Iliad. 24. 11. di. 24. Corpus eius sequenti luce est celebri pompa elatum, atque iuxta suggestum illum cęlatura imagunculisque affabre sculptis ornatissimum, terræ mandatum. Plura de viro sancto conscripsit Bea-
B. Rhenani encomion tus Rhenanus Seletstatinus, cuius doctrinā si quis contēpletur, quid rarius? si vitam, quid admirabilius? si festiuitatem, quid amabilius?
Quid

Quid non huic debes docto Germania vati?
Excolit hic nomen, progeniemq; tuam.

Obijt Argentorati 13. calēd. Iun. ætatis suæ anno 63. à Christo nato 1547. Si quis plura desiderat, legat Epitaphiō, quod supra tumulū egregij Rhenani cōposuit Gasparus Stiblingus, cuius doctissimi viri monumenta Græcè & Latinè conscripta, illum apud doctos viros plurimum commendant & exornant.

S. Stibling.

Sub INNOCENTIO 8. claruit Rodolphus Agricola Groningensis, natione Friso, mortuus Heidelbergæ mente in Deum porrectissima, sub Friderico Imperat. 3. Anno Domini 1485. Indictione 3. sepultus apud fratres minores: Cui Hermolaus Barbarus Patriarcha Aquilegiensis hoc epitaphion scripsit.

Rodolphus Agricola.

Inuida clauserunt hoc marmore fata Rodolphum
Agricolam, Frisij spemque decusque soli.
Scilicet hoc vno meruit Germania quicquid
Laudis habet Latium, Græcia quicquid habet.

ALEXANDER 6. 218

Valentinus patria, antea Rodericus Borgia nuncupatus, circiter annū 1500. Calixti ex sorore nepos: pręfuit Christianis sacris an. 11. adijciunt alij di. 8. electus imperante Friderico, & à primæua ætate in omni disciplinarum genere educatus: vacat sedes mens. 1. di. 5.

Idem PP. Sixti secutus institutum, Iubilæum non modò Romæ, sed etiam in longinquis prouincijs propè vicatim instituit, idq; maximè sui & Harpyiarum (Græci Δωροφάγους, hoc est, doniuoros & forēses rabulas, καὶ πραγματικοὺς dixere) cōmodi causa. Is PP. scribit P. Iouius Italicus scriptor, ab immani cupiditate maiores opes affectans, Colūnios pariter atq; Vrsinos varijs afflixit cladibus, pontificatumq; varia labe polluto, cuius antea nomen sanctius ac venerabilius fuerat, Italicarum rerum statum magnopere cōturbauit, hęc Iouius episcopus Nucerinus. Placet hic lepidum commentū Catonis referre: Cum ex eo quæreretur, quid maximè in re familiari expediret, respondit, bene pascere. Quid secundum? satis bene pascere. Quid tertium? bene vestire. Quid quartum? arare. Et cum ille qui quæsierat dixisset, Quid fœnerari? Tum Cato, Quid hominem occidere?

Cic. 1. offic.

Anno Domini 1500. vicesimo quarto mensis Februarij, ipso diui Mathiæ (Germanorū apostolo) festo, Philippo archiduci Austriæ natus est lepidus puellulus, qui baptismo admotus, CAROLI nomen accepit. Filium reliquit PHILIPPVM regem Angliæ, Franciæ, Neapolis, Hierusalem, Hiberniæ, &c. quem genuit Carolus 5. anno Domini 1527. die 21. Mensis Maij, Fidei Christianæ defensorem Christianissimum.

Carolus 5. nascitur.

Philippus Caroli 5. filius.

Fortes creantur fortibus & bonis,
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Cum tuas ego res bellicas diu mecũ rex PHILIPPE, multumq; cogito, vnus profecto videris, quem vniuersa Christiana respublica tãtis ac tã diuturnis fluctibus agitata, concupitę exoptatæq; quietis atq; trãquillitatis authorẽ tandẽ exoptet. Præsta ergo te eũ, quem semper omnes pij iudicarũt, Magna est hominũ opinio de te, cõmendatio magna liberalitatis, magna memoria cõsulatus tui: Cõfugit in sinũ tuum respublica Christiana: Maiestatem tuã sospitet prosperetque Dominus Iesus. Quod superest Deum Opt. Maxi. precamur, vt sua dona quæ largißimè in te cõtulit, seruare, tueri, & augere dignetur, quo simul & Christianißimorum parentum votis respondeas, & clarißimis maiorum tuorum imaginibus dignus euadas, atque ditioni cui natus ac destinatus es, par esse queas.

Oratio intensa pro rege Philippo, fidei defensore.

Domine Deus noster, Rex regũ, Dominus dominãtium, qui per Samuelem Prophetã elegisti Dauida seruũ tuum, & inunxisti illum in Regem, super populũ tuum Israël: tu nunc exaudi preces nostras, tuorũ indignorũ, & respice à sanctuario tuo ad fidelem seruũ tuum PHILIPPVM, quem elegisti, exaltare regem tuis gẽtibus sanctis, quẽ redemisti preciosißimo vnigeniti Filij tui sanguine: & inunge eũ oleo lætitiæ, protege eum virtute excelsi, pone super caput coronam de lapidibus preciosis, da illi longitudinem dierum, & in dextram sceptrum: pone illum in sedem iustam, circunda illum omnibus armis iustitiæ, fortifica illum in brachio, & subijce illi omnes linguas Barbaricas: & sit totum cor eius in timore tuo, qui te humiliter audiat: auerte illũ à fide aliena, & demonstra illi saluum conseruatorem mandatorum S. T. V. Ecclesiæ, vt iudicet populum in iustitia, & iustitiam præstet pauperibus, conseruetque filios paperum, & consequatur deinde regnum cæleste.

Anno Domini 1503. die 4. ante festum Potentianæ virginis, Maximilianus rex Romanorum diuertit ad Mollishemium, vrbiculam Alsaticam in Tribochis.

PIVS 3.

219 Senensis patria, Pij nepos, ingenio & literis clarus, summus religionis Christi princeps & assertor: pontificatum tenuit di. 17. adijciunt alij dies 13. vacat di. 14.

Hoc tem

Hoc tempore, claruit charissimus consanguineus meus(è genea- logia dulcissimæ matris Magdalenæ Racferin) IACOBVS VVIMPHELINGVS Solestatinus. Is non parũ herbescentia per Germaniam studia promouit: Longũ fuerit enumerare, quę pius pastor suis temporibus æddiderit. Hic tandē dierum sanctorũ plenus, in virilem senectutē inducitur. Ita cũ intelligeret, hinc sibi migrandũ esse, catholicus ipse pastor superioris Hierusalē veteri desiderio flagrãs, in hymnos & gratiarũ actiones totus diffunditur, omniq; lætitię significatione in cælum euolat, longæuã illic & sempiternam acturus vitã, angelorũ splendoribus consors, diuinęq; pulchritudinis perpetuus cõtemplator, Vixit annos 78. menses 3. dies 21. obijt 17. calēdas Decēbris, an. 1528. Reliquit duos nepotes, moribus & literis eleganter institutos. Quorum IACOBVS SPIEGELIVS iuris prudentia clarus ac trium Auggg. ab epistolis, & IOANNES MAIVS, natu minor, Ferdinandicæ aulæ primoribus, indolis elegantia, ac dexteritate morum iure optimo gratissimus. Iacobi Vuimphelingi mentionem facit E. Roterodamus in epistola ad nobilem & doctum virum Ioannem Vlattenum, lib. epistol. 23. D. Iacobus Vuimphelingius.

IVLIVS 2. 220

Nepos Sixti, ex Sauona oriundus, Ligur. Moritur Romæ apud S. Petrum in Palatio pontificũ, 25. Februarij, anni 1513. bellico nomine clarus septuagenarius senex, pontificatus sui anno 10.

LEO 10. 221

Florentinus patria, filius Laurentij Medices, ab Innocētio 8. pontifice maximo, summi senatus collegio adoptatus, ac puniceo donatus galero: antea dictus Ioãnes Medices, Angeli Politiani quondã discipulus. Is Leo, tertio eidus Aprilis, anno 1513. sacri Imperij thiara, seu tergeminam coronam, maiorum more accepit: moritur pontificatus sui anno 9.

Leonē 10. modis omnibus summũ & maximũ, pronũciauit E. Roterodamus: Et in epistola ad Grimannũ cardinalē, vocat Romanum pontificē Numē quoddã terrestre. Et Lutherus. Leonē beatissimum appellat, his verbis. Beatissimo patri Leoni 10. frater Martinus Lutherus Augustinianus, æternam salutē. Et meritò hoc titulo honoratur PP. dum enim hoc audit, assiduè commonetur quid ab illo præstari oporteat. Non ergo inuidemus pontifici titulum illum tergeminæ honestatis, vicarius est Christi, visitet ergo coēpiscopos inferiores, seruos Christi, scriptum enim Geneseos 25. Rab iaebod tzair, hoc est, maior seruiet minori. Beatissimus dicitur PP. non abs re.

Hoc tēpore, Martinus Lutherus, Germanus natione, Patria Sa- Lutheri ex cucullari apostasia.

xo, sub instituto fratrum Heremitarum B. Augustini, opinandi nouam licentiã, circiter annum 1518. inuexit in Germaniam, in quem verisimè istud Baptistæ Mantuani tetrastichon quadrare videtur.

Depo∫ui Benedicte tuam: rupitque Petrinam
Vestem, ditem fallere po∫se ratus.
At mihi nihil prodest ve∫tis mutatio: nam me
Prodit caluities, & mea lingua leuis.

Is Lutherus, anno Domini 1520. die 37. mensis Iulij hæreticus declaratur, Natus est miserrimus ille homo, anno 1483. Hunc cępit nigra mors, anno 1546. Februarij die 18. In cuius obitũ epitaphion tale quidam lusit.

Hic iacet heu nimium permi∫sus stare Lutherus,
Nomen habes ∫atis, cætera fama docet.
Te moneo paucis, ni∫i nominis effugat horror,
Pe∫simus ex cunctis Hære∫iarcha fuit.
Recta fides ∫tabat, iacuit ∫urgente Luthero.
Dum iacet hic ∫urgat lap∫a precare fides.

Sacramentũ ordinis negauit. Omnes Christianos sacerdotes esse dicit. Credit corpus Christi in Eucharistia panẽ. Matrimoniũ sacramentum esse negat. Vt vota omnia tollantur aut vitentur suadet.

Purgatorium Lutherus ridet. Iustum in omni opere bono peccare impudenter affirmat. Docet quoq;, quod credens se absolutũ, absolutus sit, quantumlibet contritio desit, & quòd absolutio censenda est efficax, non quia fit, à quocunq; tandem fiat, erret vel non erret, sed quia creditur. Puerumq; ac mulierẽ æquè absoluere vt Papam. Machabęorum libros, & epistolam Iacobi, ridet. Characterem in sacramento aliquo inprimi subsannat. Contra Turcas Christianum se defendere prohibet. Asserit quoque omnia quæ fiunt tam absoluta necessitate fieri, vt sit impossibile aliter fieri quàm fiũt. Christi Ecclesiam ita confundit, vt in ea solùm bonos esse contendat. Oecumenica concilia contemnit, &c. vt multa consultò prætercam.

EX HISCE excucullati erroribus, maxima tragædia, dispar religio, cruenta contentio in orbem proserpsit. Quid enim boni ex amarulento, corrupto ac fœtido fonte, emanare poterit? exierunt (vt omittam Anabaptistas & Zuinglistas, de quibus alibi diximus) de Confessionariæ Pandoræ (Lernæ illa hydra) pectore multæ hæreses, has ex Staphilo subijcere libuit.

Confessionistarum soboles.

1 ANTINOMI, de quibus infra.

2 SAMOSATENENSES, negant in principio Euangelij Ioannis dictionem, ὁ λόγος, personam significare.

INFERIANI,

INFERIANI, negant Chriſton reipſa deſcendiſſe ad inferos: 3
infernum enim eſſe ſuum cuiuſque ſepulchrum. Lubecæ & Ham-
burgæ & Bremis ea ſecta graſſatur.

ANTADIAPHORISTAE, quorum alij nōnullas cerimonias 4
admittunt, ſed quas ipſi ſibi fingunt recentiores, non veteres: alij pla-
nè nullos ritus, niſi quos Lutherus præſcripſit, ferri in Eccleſia exiſti-
mant oportere.

ANTISVENCFELDIANI, literam prorſus reijcientes, om- 5
nia in ſpiritu ponunt.

ANTOSIANDRINI, ſed hi admodum varij, vt Fridericus Sta- 6
phylus colligit. 7

ANTICALVINIANI, qui tametſi perpetuam catholicæ Ec-
cleſiæ doctrinam de Euchariſtia non amplexi ſunt, id tamen pro ca-
tholico conſenſu contra priuatam opiniōnē Caluini rectè defendunt,
corpus Domini verum & naturale eſſe in Euchariſtia, non tantùm
ἐνεργίαν corporis. 8

MANVSIMPOSITORII, qui in Pomerania altercantur, v-
trum impoſitio manuum ſit ſacramentum. Cuipſtro contendit ve-
hemēter, Frederus repugnauit obſtinatè. E Grypeſualdo ſerpſit ea
ſectaria contentio in adiacentes proximiores prouincias.

BISACRAMENTALES, Baptiſmum & cœnam Domini in 9
ſacramentis ponunt. Ita ſentit maxima pars Illyricanorum. 10

TRISACRAMENTALES, tria ſacramenta admittunt. 11

MAIORISTAE docent, quòd bona opera ſint neceſſaria ad ſa-
lutem, quòd nemo abſque bonis operibus ſit ſaluatus. 12

ADIAPHORISTAE ἀδιαφορίαν introduxerunt, aſſerentes Eccle-
ſiaſticas conſtitutiones & cerimonias eſſe res indifferentes: quas ſiue
obſerues ſiue repudies, in pari eſſe conditione atque iure. 13

QVADRASACRAMENTALES, quatuor ſacramenta ex
ſeptem recipiunt, Baptiſmum, Euchariſtiam, claues, ſacrum ordi-
nem.

LVTHEROCALVINIANI, Berengarianum dogma de Eu- 14
chariſtia ſic temperant, vt Caluini ſacramentariam hæreſim perſua-
dere conentur.

AMNESTITAE, inter Oſiandrinos & Antoſiandrinos ἀμνηστίαν 15
ſanciendam cenſent.

MEDIOSIANDRINI, hi cùm Oſiader hominē eſſentiali Dei 16
(vt alibi diximus) iuſtitia iuſtum dixiſſet, & Illyricani, hominem ſo-
lùm imputatiuè iuſtum haberi, correxerunt vtroſq; media via inter-
poſita, quòd ſcilicet in hac vita homo imputatiuè iuſtus reputetur,

in felici autem patria fore illum ea iustitia iustum, qua Deus ipse per essentiam iustus existit.

17. SCHVVENCFELDIANI, Sacraměta omnia, in primisq; vocale verbum ministerij, tanquam literam occidentem respuūt, & solo Spiritu nos debere contentos esse, blaterant. Præterea Christi humanam naturam postea quàm in cælum ascendit, in diuinam penitus mutatam esse: itemque & fidem, & charitatem, & iustitiam, quibus homo iustus efficitur, esse diuinæ naturæ particulas. Iudam non percepisse veram Eucharistiam in cœna Domini. Verba Christi, HOC EST CORPVS MEVM, eradenda esse è sacræ paginæ libris, dogmatizant. Fontem erroris Schvuenckfeldiani resuscitauit Lutherus, in suis assertionibus, & resolutionibus cōtra Eccium, affirmans, quòd hæretica sententia sit, affirmare sacraměta gratiam conferre eis, qui non opponant obicem. Idē in assertionibus artic. 16. & de formula Missæ, cum Schvuenckfeldianis asserit: Neutram speciē, sed solam fidem esse necessariam ad salutem. Hæc Schvuēcfeldianorum præcipua sunt, minus grandia omitto.

18. OSIANDRINORVM priuatum est, quòd Christus solummodo iuxta diuinā naturam iustificet hominem: quòd item homo cùm sit imago Dei, fiat omnino eadem imago Dei, quę est Christus Filius Dei & Mariæ. Contrarium sentiunt STANCARIANI. Docuit
19. idem Stancarus, corpus Domini in Eucharistia esse arabonem, seu pignus, quo quis quasi inuestiatur ad possessionem promissæ gratię.

20 ANTISTANCARIANI, contendunt Christi diuinam naturam vnà cum humana in cruce passam, mortuamq; fuisse, idque ipsius Lutheri iudicium affirmant Franfordienses Theologi. &c.

Atque vt paucis dicam, secta sectas procreauit: Bestia bestiam gignat necessum est. Exidna, excetram. Putredinem, putredo. Malus coruus malum ouum. Oui mali malus pullus. Spina non profert vuas, nec tribulus ficus. Qualis Amri, talis Athalia filia: talis item Ahab filius, 3. Reg. 21. Silenum sequitur Bacchus. Sæpe pariunt cuniculi, sed sæpius factiosi. Mala herba non facile marcesfit. Mala arbos, bonum fructum haud profert, soletque Caimus Abelum fratrem omni etiam dimota causa odisse. Ex artificio agnoscitur artifex. Vniformis res veritas, mendacium autem in varia distrahitur.

3. Reg 16. 2. Para. 12. Matth. 7. Genefeos 4

Fructus Quinti euangelij.

Affirmat Lutherus (in sermone in Dominica Aduentus) quòd ex euangelio Lutheri homines multo deteriores facti sint, quàm vnquā antè fuerint in Papatu. Nonne Lutherus coactus est visitatores mittere, qui populum in omnem licentiam ruentem cohiberent? Nōne

idem

idem dixit, se malle pristinum Papæ ac Monachorũ regnum, quàm hoc hominum genus sub euãgelij prætextu in Sogdianorum vitam sese proripientium? Quas verò cædes illa archisecta, & strages edide rit, historici ætatis nostræ loquuntur. Quis ignorat quàm cruentum fuerit infaustumq; noui istius euãgelij principium? Quis nescit Turcas Anno 1531. prælusisse in Austriam? Quis ignorat Viennam Au striacam anno 1529. obsessam fuisse à Ripheis Getis? Getas autem populos esse Thraciæ notius quàm vt vel admoneri cãdidus debeat, Appianus autem scribit, Getas esse quos & Dacos vocant. Quis nescit Anabaptistas, anno 1534. Monasterium occupasse? Nec excidit memoria, eiusdem nouitatis occasione Prussinã Germanis ereptam. Getæ
Quis ciuium seditiones agricolarumq; tumultum, à Mathia Chorsang Augustano (somniabatur Democratia) excitatum ignorat? Anno 1525.
Hanc autem seditionem popularem, in diuersis Germaniæ partibus concidit Antonius dux Lothoringiæ, & Georgius Truccesius Vualpurgus Sueuici fœderis Imperator. Magnam habuit ista choraulica seditio affinitatem cum Lutherica. Non recordaris Monetarij, Fistularij, Scagleri, & id genus nouorum euangelicastrorum, per quos tanti motus per Germaniã extitere? Hinc veridicum fit quod ait Cicero. Vt mare (inquit) quod sua natura tranquillum est, ventorum vi agitari videmus, ac turbari: sic populus sua sponte pacatus, hominum seditiosorum vocibus, & violentissimis tempestatibus concitari solet. Aequalitas pacis & tranquillitatis est altrix: inæqualitas verò seditionis seminarium, ad institutum. Iam hæc generalis seditio peperit particulares multas, præsertim in ciuitatibus alioqui egregijs. Marcus Lubecensis, quid rei nouæ conatus sit, notum est. Item, Sarcerius Erfurdiensis, & alij complusculi. Quomodo Minguicio in Misnia nexui cecidit alea? Easdem ferè pœnas dederunt Magistratui Israhelitico rebelles Ephraimitæ, qui temere bellum inferebant Iephthæ iudici, profligaturi virum Reipu. Iudaicæ vtilissimum, sed miserè occisa sunt 40. seditiosorũ millia, quod est seditionis stipendium. Id quod & Moses arguit dicens. Peribitis si fueritis inobedientes. Et quod Paulus ait, Roman. 13. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Ita nimirum rex Assuerus voluit inobedientes gladio & igne occidendos, vt non solùm hominibus, sed etiam in via bestijs in sempiternum pro exemplo essent contemptus & inobediẽtię. Quale obsecrò, supplicium meruerunt Chore, Dathan, & Abiron, cum con sectarijs 250. viris? Quid ita? Sibi vendicabant regimen synagogę, imperare affectabant, ferre imperium recusabant, at viuos terra absorpsit.

Cicero pro Cluentio

Lubecensis

Cymbrica Chersones. isthmo.

Deutero. 8.

Hester vlt.

Numer. 16.

 sorpsit:

ruit idibus Septembris, sedit mens. 20.

Is PP. domum suam Louanij magnificè extructam, in vsum vertit sanctis literis studentium, iisdem etiam in alimoniam relictis prouẽtibus annuis: Scriptum enim, Prouerb. 16. Diuitię proprię redimere possunt animam hominis: & pulcherrimum funus est pietas. Complures in hoc contubernio euoluendis orthodoxorum voluminibus adeo assiduam operam dederunt, vt doctissimi euaserint.

Hadriani 6. innocentissimam vitam, Ioannes Battus execranda malitia commaculare est adnisus. Iam verò illud sibi peculiare habet innocentia, vt quibus impetatur iaculis, ipsum reuerberet iaculatorem, & (quod vulgo dicitur) clauum clauo retrudat. Aduersus nil malè meritum, audire maledicam linguam, iniuriæ genus est. Præstat malè audire quàm maledicere. Non magna res est reprehendere, imò facillima & cuiuslibet volentis: suum verò concilium culpæ opponere, viri pij & cordati est. Qui passim maledicũt omnibus, eos palam est id naturæ vitio facere, nõ ex eorum merito quibus obtrectant. Memento (ait Ecclesiasticus) nouissimorum & desine inimicari. Lingua enim blasphema, teste Plutarcho, malæ mentis indicium est. Ecclef. 28

Hac tempestate, extremum & fatalem clausit diem D. Sebastianus Bucchingerus, patruus (Gregorij Bucchingeri patris charissimi frater dilectus) meus, Theologus non infimus, & strenuus athleta in vinea Zebaoth, ætatis suæ 96. vt ille canit. D. Sebastianus Bucchingerus.

Ferreus assiduo consumitur annulus vsu,
Et teritur pressa vomer aduncus humo.

Anno Domini 1531. die 5. Ianuarij, FERDINANDVS Hungariæ ac Bohemiæ rex, in Romanorum regem, & Imperij successorem electus est, vxorem duxit Annam, filiam Ludouici regis Hungariæ vnicam. In incõparabilis Heroinæ Annę Quiritiũ, Pannonum ac Bohemorum reginæ obitum, sequentia epitaphia ædidit Petrus Royzius Hispanus. Vitam mortе cõmutauit, an. 1547.

Multorum regina parens, pulcherrima regum
Occidit Anna graui functa puerperio.
Anna tui consors thalami, Rex magne Quiritum.
Diuitis Anna comes, delitiumque thori.
Terquina postquam fecit te prole parentem,
Lucina in medijs occubuit manibus.

Aliud.

Nascitur in partu regina atque occidit vno,
Iunxerunt cunis inuida fata rogum.

Aliud

Aliud.

Mortem olim & vitam discordes iunxit in ipso
Anna puerperio, funere facta parens.

Aliud.

Pontificem in sacris occumbere rebus, honestum est,
Pastoremq; suos inter obire greges,
Pugnando miles devicto strenuus hoste
Dux, cadere egregiam ducit vterq; necem,
Non in delitijs Auleis tectus & ostro
Quàm sub Marte graui malit vterq; mori.
Non nauta oppetere in medijs optauerit aruis,
Grata est mors madido, quæ venit vnda mari.
Si pulchra est mors, cuique suo de munere pulchrum est,
Ergo mori matrem, matris in officio.

223 CLEMENS 7.

Florentinus patria, antea dictus Iulius Medices. Is diuturno stomachi vitio tabefactus, sexto calendas Octobris ergastulo corporis exolutus, naturæ debitum persoluit, anno pontificatus 11. ætatis verò 57.

Idem PP. adiutus opera tersiloqui Francisci Quingnonij, hystoriolas aliquot sanctorum, vtriusque sexus, cum Christo in Paradiso conregnantium, succinctè & eruditè descripsit, inq; Romanum Breuiarium inseri curauit, omnibus calumniatoribus ansam amputans.

Extat epistola magni ducis Moschorum (imperat hic numerosissimis extremi aquilonis populis) ad Clementem 7. in qua, omnibus occiduis Christianis fauorabilem se exhibet. Nec hic reticendum, ab Vrbe Roma Moscham duobus millibus & sexcentis miliaribus distare compertum esse, breuissimo scilicet itinere euntibus per Rhauennam, Taruisium, Carnicas alpes, Villacumq; Noricum, & Viennam Pannonicam, &c.

Moscha vrbs ab vrbe Roma quot millia ribus distet

Idem pótifex, Carolo 5. Imperatori maximo, Bononię (cuius meminit Iustinus lib. 20.) Imperij insignia dedit, anno 1530. die 24. Februarij.

Victoriæ Caroli 5.

Ticinensis victoria.

Anno Domini 1525. Caroli exercitus, die eodem quo à Clemente 7. coronatus fuerat Cæsar, Franciscum Galliarum regem intercępit.

Anno Domini 1530. die 24. Februarij, capta est Caroli 5. in iussu, Roma septicollis, quam Græci dixere ἡρώων πόλιν, & Plutarchus ῥώμην τετράγωνον orbis aliquando caput dicta, & amplissimi imperij iure in hunc vsque diem fœlix, cælo ita indubiè, & cęlestibus dijs volentibus. Nam & syderum locum, quo cœpta est condi, obseruauerunt

Id est, heroū ciuitatem.

u auerunt vetusti, è quorũ numero fuit Lucius Tarucius Mathematicus, Chaldaicis literis eruditus, & M. Ciceroni valde familiaris, quemadmodũ ipse Cicero libro de diuinatione secundo scriptũ reliquit. Recentiores, gregatim sub Leone esse Romã conditã asserunt. Collimitij opinionem de conditæ Vrbis Horoscopo equidẽ adscripsissem, nisi hactenus nimiũ digressus fuissem. Cecidit autẽ Borbonius, dum scalã funesta manu mœnibus admouet, per inguen dextri femoris glãde traiectus, ne diræ victoriȩ suæ cõpos, tãto sacrilegio lȩtaret. Horoscopꝰ conditæ vrbis.

Anno Domini 1550. Caroli 5. exercitus, Aphrodisium (hanc Mauri minoris Africæ Mahadiam appellant) expugnauit.

Anno 1521. Caroli 5. ceruicibus sese submisit Ligur, & Venetus. De qua victoria hoc schédiasma extat. Defectio & rebellio cõtra Impera.

Victis & vinctis Cæsar nunc hostibus armis
Gallos & Venetos reddidit exanimes.

Eundem Carolum 5. Tuscus, anno 1555. horruit. Latium anno 1527. tremuit. Mauri truces, Arabes, Numidæ cesserũt anno 1535. Eiusdem Caroli auspicijs & Lusitani sororij virtute bellica, subacta est Canonora, victi Cucini, Calocuthæ, & Malachæ rex.

Anno Domini 1546. sedente in cathedra Petri Paulo 3. Ceruices Carolo 5. submiserunt, flexis poplitibus, Saxonicus dux Ioannes Fridericus (anno 1547. Aprilis 24.) septemuir, & Catthimelibocẽsium princeps Philippus. Quos rebelles suppresit pius Cæsar sine cȩde, rapinis, incẽdijs, furtis, stupris, raptibus incæstisq;. Audi tribus verbis, nã pluribus dicere, non sinit rei magnitudo, Venit, Vidit, Vicit. Venit, non tamẽ contra Imperiũ, sed vt Imperij amplitudinem & dignitatem asseteret: Venit inquam, vt pacem extorqueret, nõ vt bellum inferret. Quòd si pacem extorquere nequeat, adest Imperator fortissimus propulsurus vim à se, & rebellionem à Germania vniuersa. Venit non prædo, non latro, non sanguinarius, sed vt incolumis sit, viuatque tandem in summa tranquillitate & concordia Germania. Vidit hostem nõ imbellẽ, non mox terga ostendentẽ, sed in maximis prælijs sæpe victorẽ. Vicit populũ suũ victoria incruẽta, mitissimus pater patriȩ. Habuit in eo cõgressu Cæsar sub signis, equites Germanos 6000. ducẽtos. Cataphractos 500. Equestri armatura inferiorũ Germanorũ continebat 3700. Equestris põtificiȩ primarius, habuit sub se equites 600. Neapolitanorũ equitũ erant 300. Peditũ vexilla superioris Germaniȩ fuerũt 50. Inferioris 24. Hispanorum verò vexilla 33. Italorum signa 58. Et quoniã ad illam Caroli 5. victoriam ventum est, nõ erit alienum adijcere ligam illam Schmalcaldicam, absque offensione tamen vllius ordinis, & pace omnium. Hessiacæ & Saxonicȩ vires fractæ.

Liga Smalcaldica, anno 1535.

1. Ioannes Fridericus, Saxonum dux.
2. Henricus, dux Saxonię.
3. Mauritius, filius Henrici.
4. Ioannes Ernestus, electoris Saxoniæ frater.
5. Robertus, & huius ex fratre nepos Vuolfgangus, Palatini, & comites Veldenses.
6. Georgius, Marchio Brandenburgensis.
7. Albertus, huius ex fratre nepos.
8. Ioannes, Marchio Brandenburgensis, electoris frater.
9. Christiernus, dux Holsatiæ.
10. Ernestus, dux Brunsuicensis & Lunenburgensis.
11. Franciscus, huius Ernesti frater.
12. Philippus, dux Brunsuicensis.
13. Erichus, dux Brunsuicensis.
14. Berninus, dux Pomeraniæ.
15. Philippus, nepos huius ex fratre.
16. Henricus, dux Megapolitanus.
17. Vlricus, dux Vuirtenbergensis.
18. Philippus, Landtgrauius Hassiæ.
19. Vuolfgangus, princeps ab Anhaldt.
20. Ioannes, Gregorius, Ioachimus, fratres principes ab Anhaldt.
21. Vuilhelmus, comes à Nassau, vel Nassouius.
22. Philippus, comes à Nassau.
23. Guntherus & Hēricus, comites à Schvuartzenburg.
24. Carolus & Ludouicus fratres, comites ab Oetingen.
25. Vuilhelmus, comes à Furstenberg.
26. Conradus, comes à Deckelburg.
27. Albertus & Gebhardus, fratres, comites à Mansfeldt.
28. Bernardinus Baro à Staufen, & cæteri.

Sequuntur ciuitates.

Augusta	Nordlinga
Norinberga	Nordhusium
Lubeca	Eßlinga
Constantia	Hala Sueuorum
Argentina	Memminga
Francofordia	Dunckelspuhel
Vlma	Reutlinga
Goslaria	Hailprunna

Lindauia	Hamburgum
Campodunum	Brunsuicum
Isna	Lunenburgum
Biberacum	Embeca
Giengen	Hanouer
Bopfingum	Gottingen
Vvinsheim	Northeim
Vveissenburgum	Hala Saxonum
Nordgauiæ	Halberstadium
Gengebacum	Rauenspurgenses
Brema	vltimi huius socie
Magdeburgum	tatis fuere, &c.

PAVLVS 3.

Romanus patria, antea dictus Alexander Farnesius, Ostiensis Episcopus, exactæ ætatis, & ferè senio confectus, publico consensu, & præclara voce totius senatus, ad sublimem illum Pontificiæ dignitatis apicem conscendit, coronatúsque demum triplici thiara, secundo nonas Nouēbris. Cuius sancti viri salutares conatus fœliciter Deus Opt. Max. prouexit ad extremum vsq; spiritum. De Pauli 3. probitate & fortitudine, vide historias P. Iouij li. 4. histor. fol. 152. parte 2. tomi 2. Supremum vitæ diem clausit 9. die Nouembris. Hunc sanctissimum pastophoron, multis conuicijs incessit (mendaciter tamen) excucullatus M. Lutherus. In qua sane re Lutherus suam potius malitiam prodit, quàm pontificē lædat vel tantillum. Quid enim Christus eo deterior euasit quòd pharisæi tot in illum maledicta congesserunt? Nihil profectò. Quinimo potius in ipsorum malum cuncta reuertebantur. Sic neque summus ille pontifex ex Lutheri contumelijs detrimenti quicquam accipit, quin Lutherus magis, more expuētis (vt aiūt) in cœlum, facit, vt in sui ipsius caput recidat quod expuerit. Ostendit enim plane se maledictis istis, ad Ecclesiæ gremium haudquaquam pertinere, qui vsq; adeò contumeliose totius Ecclesiæ principem insectatur. Scriptum est enim, Exod. 22. Principem populi tui non maledices. Neq; enim Paulus Synagogæ principem (si fuisset ei cognitus) conuitijs incessisset. Sedit autem Paulus 3. annis 14. adijciunt alij annum 1. vacat sedes mens. 3. die. 2.

Eodem Paulo præsidente, anno 1541. colloquiū Ratisponæ (quæ antiquitus Augusta Tyberij) inchoatum est. Sequuntur Præsidentes ac testimonium dicentes à Cæsarea delecti maiestate. Colloquiū Ratisponse.

Federicus Palatinus vir magnitudine animi inter Germaniæ re- 1.

gulos facilè excellens, quem vniuersis imperij copijs ad Viennā præfuisse meminimus.

2. Nicolaus Peronotus à Grandeuilla, C.M. Cancellarius.

Testes & auscultatores sex.

1. Theodoricus, comes Mandarschittus.
2. Euerhardus Rudenus.
3. Henricus Hasius. Ludouici Palatini electoris Viceecancellarius.
4. Franciscus Burcartus, Cancellarius Electoris Saxoniæ.
5. Ioannes Figius, Cancellarius Hassiæ reguli.
6. Iacobus Sturmius, Argentinensis.

Congredientes sex.

Iulius Pflugius, Episcopus Numburgensis.
Ioannes Eccius, Doctor Ingoldstadiensis.
Ioannes Gropperus, doctor Coloniensis.
Philippus Melanthon, V vittenbergensis professor.
Martinus Buccerus.
Ioannes pistorius, Marpurgensis.

Capita tractandorum.

1. De venerabili sacramento Eucharistiæ.
2. Potestate Ecclesiastica.
3. Missæ sacrificio.
4. Missis priuatis.
5. Votis monasticis.
6. Coniugio sacerdotum.
7. Communione sub vtraque specie.
8. Restitutione monasteriorum & bonorum Ecclesiasticorum.
9. Veneratione sanctorum, sub qua & de tollendis imaginibus.
10. Constitutionibus, & ritibus Ecclesiasticis.
11. Ieiunio, sub quo & delectus ciborum comprehenditur.
12. Pœnitentia & communione, & contritione, satisfactione & confessione.
13. Vsu sacramentorum, tam in genere quàm in specie.
14. Constitutionibus humanis.
15. Fide iustificante, & de meritis, atque bonis operibus.

Legati quorundam principum, tum rogati de Catastrophe Ratisponensis colloquij, dixerunt, Plus poteruiæ, Plus inquietudinis, Minus pecuniæ. &c.

Tridentum. Sub Paulo 3. concilium Tridentinum inchoatum est. Tridentum vero oppidum est in Alpibus (Alpes dictæ à candore, quia perpetuis serenitatibus albescūt) ad Athesim flumē, Austriacę ditionis ciuitas, à Vene-

Venetijs iter tridui, Verona non bidui: à Brenone Senonum regulo construi cœpta, à Theodosio verò Gotthorum Rege muris anno salutis 515. cincta, mœnibus aucta est. De nomenclatura Tridentinæ ciuitatis nihil certi constat. Alij opinantur coniecturantes, à tribus torrentibus ex propinquis montium iugis prope illam cadentibus, Tridentum, quasi Torrêtem vocari fuisse cœptam. Nec desunt, qui velint illam à tribus dentibus appellari, vel ideo cœptam, quia inter tria montium cacumina, quæ veluti dentes à reliqua Alpium parte longè eminent, posita sit, transeamus ad reliqua. Decretum primæ sessionis, Tridenti pronunciatum per R. episcopum Castrimarinum Hispanum, die 7. mensis Ianuarij. Decretum 2. sessionis, pronunciatum die 4. mẽsis Februarij, per R. D. Archiepiscopum Turritanum. Sessio tertia, celebrata est 5. Aprilis. In sessione quæ in die diuæ Catharinæ virgini ac martyri sacra, quæ fuit calend. Decemb. die autem 25. Nouembris, numerati sunt sequentes. Concilium Tridentinum

Reuerendissimus & illustrissimus D. Marcellus, S. R. E. cardinalis, Crescentius, S. concilij Legatus, Romanus.

R. D. Sebastianus Pighinus, Archiepiscopus Sypontinus, Præsidens concilij, Rhegiensis.

R. D. Aloysius Lypomanus, episcopus Veronensis, Præsidẽs concilij, Venetus.

Reuerendissimus & illustrissimus D. Christophorus Madrutzius, S. R. E. cardinal. episcop. Princepsque Tridenti, Germanus.

Sacri Romani Imperij principes electores.

R. & Illustrissi. D. Sebastianus Heusestein, Archiepiscopus Moguntinensis, Germanus.

R. D. Ioannes Isemburg, Archiepiscopus Treuerẽsis, Germanus.

R. D. Adulphus ex comitibus de Schauemburg, Archiepiscopus Coloniensis, Germanus.

Oratores Caroli 5. Imperatoris.

Illustrissi. D. Hugo à Montfort & Rotenfels, Germanus.

R. D. Franciscus à Toleto, Prior, Hispanus.

R. D. Guilielmus à Pictauia, Archidiaco. Campiniæ, Flandrus.

Oratores Ferdinandi, Roman. Regis.

R. D. Paulus de Gregorianis, episcopus Zagabriẽsis, Hungarus.

R. D. Fridericus Nausea, Episcopus Viennensis, Germanus.

Oratores Electoris Brandenburgensis.

Eximius Doctor Christophorus à Strassen, Germanus.

D. Ioannes Hoffmannus Secret. Germanus.

Archiepiſcopi.

R.D.Paulus Salaputius,Archie. Turritanus & Saſſaren.Sardus.
R.D.Ludouicus Chieregatus,Archie.Antibaren.Vicentinus.
R.D.Olaus Magnus,Archiep.Vpſalenſis,Gotus.
R.D.Petrus Iagliauía,Archiep.Panor.Siculus.
R.D.Petrus Guerro,Archiepiſco.Granaten.Hiſpanus.
R.D.Balthaſar de Heredia,Archiep.Calaritan.Hiſpanus.

Episcopi.

R.D.Thomas Campegius,Epiſcopus Feltren.Bononienſis.
R.D.Gaſpar Iofredus,Epiſcopus Segobien.Valentinus.
R.D.Coriolanus Martyranus,Epiſco.ſancti Marci, Neapolitanus.
R.D.Ioannes Baptiſta Campegius, Epiſcopus Maioricenſis, Bononienſis.
R.D.Berardus Bonioannes,Epiſcopus Camerin. Romanus.
R.D.Ioannes Ioneſca,Epiſcopus Caſtellinaris,Hiſpanus.
R.D.Ioannes Salazar,Epiſcopus Lancian.Hiſpanus.
R.D.Petrus Guanguer,Epiſcopus Algaren.Hiſpanus.
R.D.Balthaſar Vauſman,Epiſcopus Miſien.Germanus.
R.D.Hieronymus de Bononia,Epiſcopus Syracuſanus,Siculus.
R.D.Ricardus Poetus,Epiſcopus Vigornien.Anglicus.
R.D.Eraſmus à Limpurg,Epiſcopus Argentinenſis,Germanus.
R.D.Cornelius de Muſis,Epiſcopus Biſontinus,Placentinus.
R.D.Iacobus Iacomell,Epiſcopus Belicaſtren.Romanus.
R.D.Franciſcus Manrique,Epiſcopus Aurien.Hiſpanus.
R.D.Franciſcus de Nauarra,Epiſcopus Pacen.Hiſpanus.
R.D.Ioannes Iobinus,Epiſcopus Conſtantienſis,Hiſpanus.
R.D.Petrus de Auguſtinis, Epiſcopus Oſcen.Hiſpanus.
R.D.Iacobus Naclantus,Epiſcopus Clodien.Florentinus.
R.D.Gregorius Flach,Epiſcopus Solonen.Germanus.
R.D.Bernardus Diaz,Epiſcopus Calaguritan.Hiſpanus.
R.D.Michaël Pugius,Epiſcopus Elnen.Hiſpanus.
R.D. A Iurre,Epiſcopus Cenetenſis,Vtinenſis.
R.D. Octauianus Preconius,Epiſcopus Monopolitanus,Siculus.
R.D. Ioannes Fernandi,Epiſcopus Legionen. Hiſpanus.
R.D. Chriſtophorus Ruſcius,Epiſcopus Oueten.Hiſpanus.
R.D. Ioannes Emilianus,Epiſcopus Tuden.Hiſpanus.
R.D. Antonius Codina,Epiſcopus Lacoren.Hiſpanus.
R.D. Martinus Aiala,Epiſcopus Guadicen.Hiſpanus.
R.D. Petrus de Acugna,Epiſcopus Aſturicen.Hiſpanus.
R.D. Nicolaus Pſalume,Epiſcopus Virdunenſis.

R.D.Chri

R. D. Christophorus Metzler, Episcopus Constantiensis, Germanus.
R. D. Franciscus Salazar, Episcopus Salamin, Hispanus.
R. D. Vincentius de Leone, Episcopus Bossanen. Siculus.
R. D. Egidius Loscarqrius, Episcopus Mutinensis, Mutinensis.

ABBATES.

R. P. Gerardus de Amerincourt, abbas sancti Bertini, Morinensis dioecæseos, Flandrus.
R. P. Marus de Brixia, Abbas sancti Vitalis, de Rauenna.
R. P. Eusebius de Parma, Abbas sanctæ Mariæ Granarum, Placentinensis dioecæseos.

GENERALES.

R. P. Christophorus de Padua, Generalis ordinis heremitarũ sancti Augustini, &c. Plures studise omittẽda (absque offensione tamen) duxi, ne garrulitate stomachum lectori moueam, transeamus ad sequentia.

Hac tempestate, claruit Fridericus Nausea Theologus & iuris consultus, Episcopus Viennæ Austriæ, prophanarum literarum cultor egregius, & in sacris literis satis eruditus, multum sudauit & alsit, nouissimè verò in exordio anni 1552. Tridenti in concilio vniuersali, quò senex, laboribus & ingrauescente ætate debilior, Ferdinandi regis nomine venerat, vita defunctus: funere ipsius à cõcilij patribus extra portas Tridentinas honorificè ac piè delato, & ab alijs per Illyricum posteà in Austriam ad sepeliendum relato. Multa conscripsit opuscula. De quibus ista feruntur. Sermones Quadragesimales, priores, posteriores, & Aduentuales. Conciones Pragenses. Homiliarum centuriæ quatuor, de Tempore & de Sanctis. Commentaria in Tobiam. Vitam Apostolorum. De Mirabilibus. De officijs mysticis. Fragmenta. Continuationes. Quid sint concilia, & vnde. Panegyrica Monodia in Erasmum Roterodamum, Vnà cum Erasmi lucubrationum omnium catalogo, atque eius vita & morte. Annotationes quædam super instituta. Catechismus, sex libris comprehensus. Catholica in symbolon Apostolorum, contra vniuersos fidei Christianæ aduersarios.

Hoc pontifice Isabella Portugalliæ regis filia, Caroli 5. vxor, primo Maij fatalem in Hispanijs clausit diẽ, anno 1539. & paulò post, Franciscus Valesius Galliæ sceptrifer, indomabili febre 18. dierũ confectus in arce Rambuletana, quod abest Lutetia iter diei, pridie Calend. Aprilis, anno ætatis 54. regni 33. migrauit hinc, anno 1547. HENRICVS octauus Anglorum rex, anno regni 38. obstructo

suppurantis tibiæ meatu, ardentissima febre correptus, 7. calendas Februa. moritur. Sed quid de fragilitate vitæ humanæ, quam alij bullam, alij fumi vmbram, alij somniũ quoddã vmbræ esse dixere?

Otto episcopus augustanus. Otto Truccesius ex illustri familia comitum de Vualdpurg oriundus ac prognatus, literarum studio vitæq; probitate longè nobilior illustriorq; factus, s. R. E. tt. s. Sabinę cardinalis, & episcopus Augustanus 58. Electus est anno 1543. Vir omni probitatis atq; equitatis genere commendandus & Rei Ecclesiasticæ affectator haudquaquam segnis, de quo item dubites, à fastu ne an à luxu sit alienior. Huc curas & studia sua referens omnia, vt & cultum diuinum in Ecclesijs augeat, & ad iustitiæ normam administret dexterrimè omnia.

Quòd te purpureo donauit Roma galero,
Fecit virtutis gloria magna tuæ.

IVLIVS 3.

225 Aretinus patria, cui prius nomen Ioannes Marius, cardinalis à monte, episcopus Prænestinus, Imperante Carolo 5. maximo Imperatore, omnium cardinaliũ suffragio & votis assumptus est in pontificalem dignitatem, anno 1549. die 8. mensis Februarij, tantæ expectationi satisfecit: Vir cum morum grauitate & doctrina coniũctam habens præstantiam, & pietatis Christianæ affectum. Qui nec immeritò Tridentini concilij negotijs præsidem se exhibuit: fatalem obijt diem, anno 1555. Sedit ann. 6.

Iubileus annus. Anno Domini 1550. Annus Iubileus celebratur Romæ. Festi huius causam & originem licet in Exodo colligere. Quum enim Iudæi agnum Paschalem manducassent die 14. mensis primi, ac deinde exirent Aegyptum, posthac die tertio tertij mensis descendit Dominus coram omni populo super montem Sinai, quoniam sic habet textus: Iã aduenerat tertius dies, & mane inclaruerat, ecce cœperunt audiri tonitrua ac micare fulmina. Ibi Moyses cum Domino loquutus est, qui cum rursus ablegauit ad populum, vt Aharonem adduceret secũ, sic ergo die quarto mensis tertij deinde data est lex in tabulis lapideis. Qui dies si colligantur omnes, inuenientur esse 50. siquidem mensis primus dies habet 29. alter 30. agnum autem Paschalem comederunt die 14. ad vesperam, & ideo ad finem sunt adhuc dies 16. ijs adiunge dies 30. mensis secundi, & quatuor tertij, habebis q; dies quinquaginta. Atq; ille numerus quinquagenarius huic rei & proposito aptissimus est, numerus enim est pœnitentię & remissionis peccatorum, & in hoc annus iubileus à Deo institutus est ad annos 50. iuxta illud verbũ legis, Leuit. 25. Numerabis tibi septem quæ simul faciunt annos 49. &c. Et sanctificabis annum quinquagesimum, &

ſimum,& vocabis remiſsionem cunctis habitatoribus terræ tuę:ipſe eſt enim Iubileus,ac deinceps enumerantur priuilegia & immunitates eius anni. Qui eodem modo in Eccleſia quoq; ſeruatus eſt vſque ad Sixtum 4.pontificem,qui anno Domini 1475. iubileum tenuit, ſimulq; conſtituit illum porrò ſemper ab annis 25. vſque in 25. rurſus ſeruari debere, eò quòd ætas hominis ſimul cum decreſcēte mundi tempore ſemper abbreuiatur. Atqui ante illum eodem tempore obſeruabatur Iubileus in Eccleſia, vt quondam in veteri teſtamēto.

Anno Domini 1550. Miſſæ officium (hoc erat, anno 1529. ipſa Dominica Reminiſcere,ſuſpenſum & abrogatum) Argentorati,ipſo Purificationis Mariæ feſto,reinceptum,controuerſijs omnibus ſublatis.

Anno Domini 1551.die 13.Septembris,Maximilianus primogenitus Ferdinandi Imperatoris,cum vxore & liberis ex Hiſpanijs reuerſus,Tridentum ingreſſus,Auſtriam repetijt. Elephantum Indicum (Luſitaniæ regis donum) in Germaniā adduxit. Elephas animal eſt docile ac ſyluaticum,magna copia in ſyluis Nigritarum regionis inuenitur. Solent magno numero cōfertim incedere,& ſi quenquam obuium habuerint,vel deuitant,vel illi cedunt:at ſi quenquam iniuria afficere velit,proboſcide ſublatum in terram deijcit, pedibus deſculcans donec mortuum reliquerit. Viuit ἰνίοτε ,qui plurimum,annis ducentis: plerique morbo correpti minus. Oculorum ægritudini ſalutare remedium eſt lac bubulū: cæteris morbis, vinū nigrum epotum prodeſt; vlceribus verò, porcinæ carnes toſtæ ac tritæ. Tametſi autem animal ſit ingens ac ferox,magno tamen numero à venatoribus Aethiopis & Indicis in hunc ferè modum capiuntur. Hi in denſis ſyluis vbi animalia quieſcere norunt,inter multas arbores ſeptum frequentium ac robuſtarum frondium conficiunt,parum interualli ab altera parte vacuum relinquentes,cui portam quæ fune leuari poteſt in plano,inſtar raſtri diſtenſam affingunt,paruoq; negotio paſſum occludūt. Elephas itaq; ſub frondibus quietem capturus, ſeptum ingreditur,quem attracto fune conſtrictum, venatores ex arboribus deſcendentes ſagittis confodiunt, dentesque extrahunt ac vendunt. Cæterùm ſi elephantem ſeptum euadere contingat, quotquot reperit homines,interficit. Alio modo (ſcribit Ioannes Leo Africanus) in Aethiopia ſuperiori & India elephātibus inſidiantur,quem ne lectori tædium ingeram,prætermitto. Elephas.

Anno Domini 1553. Hedinum arx fortiſsima in Belgica Gallia, à Philiberto Pedemontanorum principe,altero velut Achille, nomine Caroli 5. Cæſaris capta eſt;Cuius potentia tanta eſt,vt non ſolùm

Germaniæ, Hispaniæ, Italiæ, Siciliæ, Neapoli regnis, totiq; Africæ, cæterisque insulis auriferis, quorum non est numerus, nota sit: Verumetiam ad extremas vsque Indias, antea incognitas, virtute, fortitudine, & fortuna illius inuestigatas, protendatur.

226 MARCELLVS.

Tituli S. Crucis in Hierusalem Politianus Cardinalis, ex dominio Senensium, grauissimæ eruditionis, & spectatæ fidei: Post multos tandem hostium insultus, maximis iactatus calamitatibus, præpropero ereptus fato, non inuitus iugum hoc subijt, quod nascētibus nobis fata dedere, Christi regnum petijt, anno 1555. Sedit dies. 21.

227 PAVLVS 4.

Patria parthenopeus (Parthenope vrbs Campaniæ, alio nomine Neapolis, cuius Virgilius meminit ad finem quarti georgicorū) seu Neapolitanus, de familia nobili Caraffa, Hierarcha summus est à purpureo cardinalium senatu. Vir vt imaginibus, pietate & multiiuga eruditione clarissimus: Ita in rebus ad Ecclesię splendorem spectantibus, omnium iudicio, facile primus est, qui atrocissimas procellas bellorum in summam tranquillitatem serenitatemque libenter (si fieri posset) redigeret, & in sarcienda religionis prouincia alterum se Esdram exhiberet, hoc est, solertissimum restauratorem & architectum: quæ quidem virtutum commemoratio, non adulatio, sed est veri ipsius testificatio, & ad rei gerendæ constantiam ac alacritatem extimulatio. Fœlix Respublica Christiana, quæ pastorem suum sentit, experitur, fruitur, quo meliorem, dignioremque alium non potuisset, nedum inuenire. Gaudeat proinde & exultet, quicquid est vsquam Christiani nominis, vel splendoris. Lætentur gentes, iubilet Dei Ecclesia, penè afflicta. Nihil iam timeat, tuta quosque pelagi æstus, hilaris cuncta æquoris discrimina contemnat. Petri nauicula te rectorem, te gubernatorem nacta, qui Christi fidem & euangelion semper augere, amplificaréque studes: qui vnus & pastor optimus, & antistes sapientissimus, non solum super oues & gregem tibi à Deo commissum, exactissimè omnem curam & solicitudinem impartiris, sed alienas quoque ouiculas errantes, vagas, dispersas, in tuum ouile, & Ecclesiæ gremium reducere, ac congregare die noctuque inuigilas atque insudas.

Te cuncti venerantur, amant, te principe gaudent:
Communemq; vocant tē patriæ esse patrem.

Macte igit̃ noua virtute Beatissime pater, & qui maximam dignitatem adeptus es, effice ne te magis dignitas, quàm tu illam habeat.

Sumpsisti

Sumpsisti tibi nomen Pauli, cura vt illius exemplo vehementi quodam ardore complectaris Ecclesiam. Paulum Deus ad hoc elegit, velut singulare quoddam instrumentum, vt regnum cæleste gentibus annunciaret: & nos speramus te esse delectum, vt Christi nomẽ, à gentibus obscuratum, in lucem reuoces, & publicis morbis medicinam facias, & Christi gregem in vnum ouile reducas, & iram Dei, quæ nostris flagitijs debita, iam nobis incumbit, auertas. Deũ Opti. Max. precor, vt istam mẽtem, istos egregios impetus seruet fortunetque: Idem sui sideris afflatu, ad maturam segetem, herbescentem virtutem tuam prouehat. Faxitque Deus, vt te Pontifice diu Christiana perfruatur Ecclesia, qui & Petri cymbã multis antehac fluctibus agitatam fulciat, cultusque diuinos longo iam tẽpore dormientes, ac prope sepultos excitet, ac pristinæ luci, pristinoque splendori restituat, &c.

Anno Domini 1556. in oppidulo Sachazetz; Posuensis diocæseos, ex consecrata hostia mirabiliter sanguis Domini guttatim defluxit, Capharnaitis nimirum incredulis in confusionem.

Balatronum garrulum pbiectum.

Screant vulpini Hiebusæi, proijcientes ampullas & sesquipedalia verba tragico tumore. Certè, in vestra Romana Ecclesia nusq̃ (Papistæ) apparent Apostolici episcopi, Idolo Laban (garriũt) maior pars vestrorum, miris modis seruitium prẽstant, in irretiendis pecunijs solertes, ditati auaritia, inflati superbia, implicati mundanis, fastu pleni, immodicè sibi placentes, & prorsus talpæ. Quis nescit vnctas laruas, Romanos quosdam pontifices titulares, Martinum 2. Sergium 3. Alexandrum 6. Constantinum 2. Stephanum 6. Christophorum 1. Bonifacium 7. Ioannem 17. Syluestrum 2. & quosdam recẽtiores? Vach belle faciunt cum sese pascunt, ouium curam Christo mandant, ita adhẽrentes sedibus, vt spongias tardigradas esse credere posis, suis annexas rupibus. Hi cum volunt inspectores dici, habent rationem & respectum, vt equestres copias contrahant, in quas copiosissimas auri & argenti mineras impendunt, præcedentibus albis equis, quos stratos, ornatosque famuli dextrant. Quis ignorat (blaterant) Sybariticas mensas & citreas, gemmata pocula, ambitiosum strepitum, sumptuosas ædeis, & in his scalas cochlides, frequens satellitium, bombicinas & purpureas vestes: quibus stipulis rasæ laruæ, nituntur suum sacerdotium stabilire? Taceo simoniacam hæresin, quæ omnibus vobis Papistis (sic enim probrosè soliti sunt homousiastas appellare, qui S. R. E. constanter parent, & maiorum vestigia nondum tam leuiter deseruerunt) peculiaris quasi est, ita vt Simonem gratiæ Dei nundinatorem innocuum credere posis: ô q̃ aureo piscan- Simõ anno salutis 13.

reo piſcantur hamo,& quidem anguillas putres? Quis obſecro Caucaſus, quæ India, quæ Hircania, tam immanes, tam ſanguinarias beſtias, epiſcopos Papales vnquam aluit? vt reliqua vitia taceam. Nexre meminit Heſiodus in theogonia huius dex. Neæram quiſque ſuam ſequitur: Subuerſa ſunt pietatis dogmata.

Verſa in ſegnitiem fides, & omnis
In quæſtum pietas, ſimul ſecuta
Miris illecebris placens voluptas.
Nunquam delitiæ ſupiniores.
Nunquam auaritiæ altior Charibdis,
Quando ita ambitio negotiata eſt?
Quando nequius inquinatiuſue
Peccatum? patet Iliâs malorum.

Omnia Sardanapalineis ſunt obruta curis,
Omnia luxuriæ fœdat amarities.
Tempora ſunt, magni quæ prædixere Prophetæ,
Et quæ non vani concinuere viri.
Diſceſſit virgo, deſunt Saturnia regna,
Venerunt duro ferrea ſecla pede.
Aetate hac prorſum cecidit ſanctiſſima virtus,
Regnat vbiq; malum, regnat vbiq; ſcelus.
Quando adeo morum probitas tacuit, pietasq́ue!
Quando adeo fidei, iuſtitiæque decus?

Turbati ſunt pietatis ritus, epiſcopalis dignitas proſtituitur ita, vt qui maledicẽdo eſt ſeuerior, ad epiſcopatum populi acquirendum ſit prior ac potior. Euanuit honeſtas ſacerdotalis, defierunt qui gregem Domini paſcunt cum ſcientia. Nuſquam plus tributum cærimonijs: nunquam exundauit iniquitas Papiſtica licentius, refrixit omnis charitas. Verùm quid ego (blaterat apoſtaticus) in ſingula impetum facio? dies me deficiet, ſi vniuerſa non dico amplificare, ſed attingere velim. Nos pro patria, pro libertate, pro vita decertamus, publicam miſerorum cauſam ſuſcepimus. Nos (gannit apoſtaticus Vergerius, in ſuo confiċto Lauretano) à Chriſto & Paulo, puriſsimis fontibus, noſtras doctrinas haurimus. Quin igitur expergiſcimini? En illa quam ſæpè optatis libertas. Decus, gloriam, præterea libertatem atque patriam, in dextris veſtris portare memineritis. Subtrahant igitur ſeſe pij à Papiſtis, ad nos conuertantur. Hodie ſplendeſcit Euangelion purum. Nunc læta libertas. Nos illi apoſtoli Euangelici, quos Deus elegit. Thraſonica iactãtia Euãgelicaſtrorũ. Inijcite, inijcite lapides crebros, proijcite glebas, adijcite teſtas, percutite fuſtibus calumniatores Papiſtas, ſiquidem communes ſunt hoſtes, nec quiſquam è nobis euangelicis ſcilicet, exiſtit, quem non iniuria affecerint.

Reſpon-

Respondet Catholicus,

Sta Balach, ἀνόητε φράσιος. Bona verba quæso, Troianos exue cæstus, καὶ πρὸ τῆς νίκης ἐγκώμιον, Sutor non vltra crepidam: Canis (vt in prouerbio est) quiplurimum latrat perraro mordet, semper tibi verborum est plus quàm satis: nec nouum est, quòd verbositate tua audientium aures obtundas. Non magis pro te facit argumentum tuum, quàm acetum oculis suffusum ægris. Quis nescit hanc nomen claturam potius in apostaticos (quam in catholicos euomunt) competere? ponant igitur supercilium. Euge frater, trabem in oculo tuo considera atque exime, cura prius teipsum medice, tuóq; te modulo metire, & postmodum iuxta modum fidei, argue & corrige ceteros: Qui auide obtrectant alienæ laudi, magis produnt morbum suum, quàm detegunt mores alienos. Quid inquam vides acutum in oculo fratris tui, trabẽ aũt in oculo tuo nõ animaduertis? Se quisq; metiatur, & alijs erit æquus iudex. Te perpẽde prius, nec det tibi purpura fastum. Qui seipsum (inquit Theophylactus) non considerat, & solũ attendit res proximi, illásq; taxare vult, certum est quòd superbia capitur, & sui obliuiscitur. Omnino enim de se quòd non peccet sentit, & propterea alios peccantes reprehendit, hæc ille. Placabilior erit alienis erratis, qui prius sua inspexerit, & turpiter obijcit alteri vitiũ, à quo ipse immunis non est: Periculosè maledicit alteri, cui vel idẽ, vel simile, vel diuersum, sed deterius vitium potest obijci. Sæpenumero inquam, accidit, vt qui alios insectantur, ipsi grauioribus maneant vitijs. Et imprudenter in alterum vitium torquet, si in promptu est quod ipsi vicissim obijciatur. Leuiora obijcis, & grauiora cõmittis. Irascentem (inquit Augustinus homil. 5.) corripis & contabescis odio. Narrant fabulæ lamias foris oculatas esse, domi oculis in vase reconditis, nihil videre. Ita & hodie excæcati præcones in alienis perspicaces sunt, ad sua cæcutiunt. Vrtica sine aculeis adurit, ac vulnerat sola lanugine, solóq; contactu. Et hodie non parum multi non aperta vi, sed clãculum nocent. Sed ita comparata est omnium hominum natura, aliena melius vt videant & iudicent quàm sua. Cur igitur iniquũ iudicem te prebes proximo, ipse grauioribus magis obnoxius? Cur in aliorum vitijs tam oculatus, ad tragicam vsq; exaggerans ὑπερβολὴν proximi delictum, ad tua ipsius mala cæcutiẽs? Quis iam non dixerit veridicum esse Græcanicum illum Senariũ.

Id est, ne ante victoriam Encomion.

φασὶν κάκιστοι ἢ πονηροὶ τοὺς καλούς!

Quis nõ videt, apostaticos hoc operculo suã nequitiã callide tegere? ipsi viderint q̃ honeste ordinem Ecclesiast, reliquerint, & nũc etiã op

pugnent

pugnent. Desine igitur nobis insultare, & vanam tibi promittere victoriam. Nil refert, si teipsum iustifices, Christiq; gloriã te quærere affirmes, Deus est qui iudicabit, & qui non tam verba iactatoria, q̃ facta recta & pia est exacturus. Fatemur equidem, abusus & irregularitatem (pro dolor) irrepsisse in vineam zebaoth seu agrum Dominicum, & omnes catholici, quibus plusculum sani est, conqueruntur: atque vt vnico verbo dicam cum propheta, A planta pedis vsque ad verticem capitis nulla sanitas: Omnes indigemus decisione, omnes declinauimus, ea enim est (teste Seneca) humanarum rerum natura, vt nihil sit omni ex parte beatum. Non tamen mihi eripient Apostatici, quocunque verborum lenocinio allegationúmque fuco S. R. Ecclesiæ veritatem: Spero enim ardenter semper mihi ad futurum bonum illum genium, angelum domini, à quo hactenus fideliter seruatus sum. Etiamsi inquam, omnes gentes quæ ad regiam domum Antiochi pertinent eis obedierint, vt quique desciscant à patria religione sua, & acquiescant mandatis illius, ego tamen, & filij mei fratres, in fœdere patrum perstabimus, Propitius sit nobis Deus ne legem & ritus prodamus. Malumus prisca sequi sanctorum Patrum vestigia, quàm nouam, & eam quidem anfractuosissimam impietatis ingredi viam. Certus enim sum (vt cum Paulo loquar) quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundũ, nec vlla creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in CHRISTO IESV domino nostro. Quare non timebimus etiamsi subuertatur tota terra, & præcipitentur montes in medium mare, ad institutum. Iam verò quis dixerit. Quid? an non igitur abusus tollendus? Quibus itidem responderim. Quid? an propterea propter abusum, vsus tollendus? Sustulitne Hercules ille alexicacos (qui solus mortem alijs inuictam sua morte deuicit, ac sathanæ tyrannidem cælesti virtute demolitus est) Apostolatum, quando Iudas ille cacurgus limites excessit? Censuitne dominus Deus (verus euergeta, & ἱκάνομος) extirpandum esse agrum seu triticum propter lolium? Non ergo propter luxuriantem nimijs sarmentis Papalem sedem, tolli posse vsum & legittimam institutionem, censemus: Veritas (inquit iuris consultus) rerum, erroribus gestorum non viciatur. Quemadmodum enim Christus rerum omnium eximius innouator, ex tritico, per ipsos messores lolium (dogma peruersum) extirpandum censuit: sed ita, vt in eradicando lolio, triticum (puræ & sanæ doctrinæ homines) non vnà eradicaretur. Sic luxum, crapulã & fastum, sine tumultu & strepitu esse tollẽdum, omnes exoptamus,

Esa.1. 1.Mach.2. Rom.8. Psal.46.

&

& quod nostri aduersarij de superstitione & hypocrisi dicunt, contra nos nō proponunt, nam & nos omnes Giezitas, omnes tyrannicas exactiones, omnem philotimiam, hypocrisim & superstitionem, atq; vt paucis dicam, omnes abusus & cacoethes, angue & cane peius odimus. Nemo tam hebes est, qui ignoret puram & simplicem esse debere religionem & pietatem cum charitate coniunctā: solent quidem in vineto vuæ aliquando degenerare in labruscas graciles, & tota penè facies Ecclesiæ in nimiam vitiorum lernam eluxuriare, sed hæc omnia flagitant canonicæ censuræ falcem, nisi hoc factum fuerit, certè certè vereor, Ecclesiasticam disciplinam, quæ multis partibus deformata est, pristinæ dignitati & nitori minimè posse restitui, quod ingenuè fatentur & verecundè agnoscunt omnes Christi fideles. Nequaquam igitur, vt ad priora transeamus, vitium sacerdotis, dignitati & efficatiæ præiudicat mysteriorum: Etiamsi (inquit Chrysostomus) valde fuerit detractabilis, in nullo tamen ledens est ea quæ commissa sunt à Deo. Idcirco medendum vitijs, & si quid corruptum, si quid collapsum, si declinauit alicubi amussis, per congruentia media decidatur, perque legittimam authoritatem restaurantur cuncta: scabies pessima lixiuium (lixiuium fit cum ad cineres aqua dulcis adfunditur) asperum requirit. Nec tamen prorsus omnia radicitus stirpitúsq; Martiali insania & per tyrannidem euellātur, vt alicubi attentatum est, sed sublatis abusibus, res ipsa atq; status sit integer, sit incorruptus. Alioqui inquam, nisi nosipsos iudicemus, à Domino, quem nihil latere potest, iudicabimur. Necesse enim est, vt iudicium incipiat à domo Dei, quod equidem hodie videmus: dum enim nunc sacerdotes 1.Cor.11.
(quos viua templa Dei Augustinus vocat) eijciuntur, conculcātur ab hominibus, quid aliud hoc indicat, quàm diuinum de nobis iudicium? Quis verò ignorat Christon (qui [illegible]) hæc prædixisse? Sacerdotes mei (inquit) sunt sal terræ (sal autem præcipuus corruptionis expulsor est) quòd si sal infatuatum est, vnde salientur cæteri? ad nihil valet vltra, sed eijcitur foràs, & conculcatur ab hominibus ab immundo enim quid mundabitur? Hæc autem omnia nos nunc patimur: Quòd si propter iustitiam nos cribrari permittit Deus, beati nos quidem. At nunc iustè quidem, quia (ô dedecus) sal euanuit, & nostra ingratitudine offensus est Deus, iusta ergo hęc peccatorū nostrorū retributio, qua nos misericors Deus, potius admonere, q̄ funditus delere voluit, si quādo resipiscētes à nostris cessaremus delictis, & vtinā hucusq;. Væ væ vę pastoribus dissolutis, qui gregē domini charissimū, quē ter amare, ter pascere debuerāt, negligunt &

Sermo 198. de tempo.
Zachar.9.
Matth.5.
Eccles.34.

Cc deglu-

deglubunt: Atq; vt vnico verbo cõplectar, Geon harab (hoc est magnus fastus) omnium malorum vnica est causa. Ad priora regrediamur, fui enim aliquanto prolixior. Illud cauendum est, ne morbo sint atrociora remedia. Si quid irrepsit sacerdotum vitio, fiat idem quod à probis medicis fieri solet, vitia rerum tollantur, non res ipsæ: Offensus est Deus ocio, luxu, auaritia, superbia, libidine: pro delitijs studium sacrarum literarum, pro luxu sobrietatem, pro libidine castimoniam induant, pro superbia pœnitentiam. lapsus es, resurge: peccasti, desiste. Ingressus es viam peccatorum, resilito. Non tam graue est labi, quàm iacere lapsum & non resurgere: Neq; fieri potest vt veniam consequãtur illi, quos peccatorum non pœnitet: Ad Christon tendit, qui ad virtutem fertur. Diabolo se mãcipat, qui vitijs seruit, Christiani hominis est ingenti animo perfectæ vitæ propositum concipere, conceptum vrgere. Quod enim aditu videtur inexpugnabile, id fit successu mollius, vsu facile, consuetudine demum etiam iucundum, &c̃. Quòd si altera pars nihil abusuum omnino innouari patitur, altera nihil patitur relinqui, quis erit contentionis finis? dum enim vtrinque nimium tenditur funiculus contentionis, fit vt vtraque pars rupto fune in tergum cadat. Si Ecclesiæ præsules & prothomystæ, si principes prophani, sepositis mũdanis affectibus, nihil sibi proponerent nisi gloriam Domini, & Ecclesiæ spirituale commodum, Lerneum istud nostri seculi malum, absq; magno tumultu facile sedari posset, id quod etiam Erasmo in Epistola ad Neocomum, consultum videtur. Nostratibus ergo summopere desiderandus est zelus Christi, Ioã. 2. Phinees, Numeri 25. Regis Iehu, 4. Reg. 10. Heliæ 3. Reg. 19. A vobis inquam (pastores vineæ zebaoth) requiritur, vt eruditi sitis in lege, & quicquid in sacris literis continetur, pro viribus edificatis, alioquin secus facientes sacerdotio indigni eritis, cum dixerit Dominus. Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris. Et alio in loco scriptura. Væ pastoribus Israëlis qui pauerunt seipsos, an non gregẽ debent pascere pastores? Pingue comeditis, lana induimini, gregem non pascitis: debile non confortastis, ægrotum non sanastis, confractum non obligastis, propulsum non reduxistis, & perditum non quæsiuistis, quin in duritia & sæuitia dominati estis eis, & errauerunt absque pastore, fuerúntque cibus omni bestiæ agri, & palantes: Errauit grex meus in omnibus montibus, atque in omni colle excelso, & in omni superficie terræ dispersus est grex meus, nec est qui quærat aut requirat. Quæ est (inquit Cyprianus) maior aut melior cura præpositorum, quàm diligenti solici-

Marginalia: Expurgandum vetus fermentum, non abijciẽdum. — Vnde expectandus Ecclesię decor, reformatio & vnitas. — Osee. 4. — Disciplinæ dissolutus rigor. — Sopho. 3. Esai. 56. Ezech. 34. Micheæ 3. Hier. 23. — Epistol. 3. lib. 4.

ſolicitudine, & medela ſalubri fouendis & conſeruandis ouibus pro⸗
uidere, cum Dominus loquatur & dicat, quod infirmum non con⸗
ſolidaſtis? Mundus quidem (exclamat D. Gregorius) ſacerdotibus Ezech.34.
plenus eſt, ſed in meſſe Dei rarus inuenitur operarius, officium ſacer
dotis omnes ſuſcipimus, ſed opus officij non implemus. Quando Luc.10.
námq; Sol magis conuerſus eſt in tenebras, vt eſt apud Ioëlem, & Lu⸗
na in ſanguinem? hoc eſt, quando præſides Eccleſiaſtici quidem ſcien
tiæ rerum diuinarum, profani verò pietatis & iuſtitiæ, quibus præ⸗
lucere cæteris hominibus, quaſi clara luminaria, deberent, magis
expertes fuerunt? Vigilate ergo fratres chariſsimi, pacificum Hale⸗
luia apoſtolica tuba ebuccinate: manete μεγαλοπιστοι, Theophori, Hoc eſt, ma⸗ gnæ fidei.
Chriſtophori, Pneumatophori. Hebræi, id eſt docti, in euoluendis
ſacris literis indefeſſi, temporis enim iactura nihil neque pernicio⸗
ſius, neque deteſtabilius. Quod etiam decantata gentilitas abhor⸗ Temporis iactura perniciofiſsima.
ruit. Ocium (inquit Seneca) abſque literis mors eſt, ac viui ho⸗
minis ſepultura. Solon vnus ex ſeptem ſapientibus, dicere ſolebat,
ſe quotidie aliquid addiſcentem conſeneſcere. Plato ita libros affe⸗
ctabat, vt rex Dion ſuis diceret, Ariſtippus ſemper pecunias petit,
Plato ſemper libros. Ingrediens lectulum Ariſtoteles, plumbeam
manu pilam ſumebat, quæ cum in ſubiectum vas æneum decide⸗
ret, dormientem ad ſtudium excitaret. Cleantes puteorum aquas
hauriebat, noctúq; hortos irrigabat, vt interdiu commodius poſſet
in ſtudium philoſophiç incumbere: vnde vulgò φρεάντλης, id eſt, hor⸗
torum irrigator cognominatus eſt. Taceo numeroſam ſyluam exē⸗
plorum, ne ea compoſito coegiſſe in vnum videar ad inanem oſten⸗
tationem. Sint igitur Sacerdotes Hedræi, id eſt, conſtantes. Semper
habeant in ore, illud ὀκτωσίχον.

Improbus æris amor procul eſt à numine noſtro,
Non tangit diuos improbus æris amor.
Nolo magiſtratus, & nolo regia ſceptra,
Nolo diuitas Crœſe ſuperbe tuas.
Applauſum vulgi nolo, noloque fauorem,
Nolo me plebes inſcia ſuſpiciat.
Quicquid & in mundo magnum, præſtanſque videtur,
Pro nihilo ducunt numina noſtra quidem.

Deus bone, mellitum illud venenum (auri ſacra fames) in quas
curas, ſolicitudines, turbas, quæ diſpendia, dedecora, in quam men⸗
tis conſcientiæ carnificinam, in quàm infœlicem exitum, miſeros a⸗ Auri fames execranda radix.
uaros adducit? aurum ſcitiſſimè, veriſsiméq; execrãdum metallũ vo
cat Apuleius lib. 9. Nec potuit ꝑfectò Apuleius elegãtiore epitheto

& veriore auaritia taxari, quàm vt pestilens diceretur, instar enim pestilentiæ & tabis inuadit mortales, & contagione quasi quadã serpit, & per omnes articulos populorum hæc mali gangrena pestilentissima permeat. Aurum (inquit Plinius) ad perniciem vitæ repertum est, Auro pulsa fides, auro venalia iura, auro homicidia, sacrilegia, furta, stupra, denique vt summatim dicam, omnia scelera conficiuntur. Propter te quoties violata est iustitia? Propter te Sichæus truncatur à fratre. Dido patitur exilium. Polydorus membratim secatur. Recte Thebanus Crates suas opes in cæcum pelagus abiecit, mersitque illas, ne mergeretur ab illis. Nec hîc omittendus Diogenes, is interrogatus cur aurũ esset pallens, respondit, quoniam multos habet insidiatores. Quàm innocens, quàm beata esset vita, si exe cranda auri argentiq; metalla ex mortalium commercio abdicarentur, si nummus aureus argenteúsq; extorris ex vrbibus relegaretur? sicut ex Lycurgi instituto eliminatus est ex Spartana ciuitate πλοῦτος τύφλος. Nummus qui per se nihil est, quot digladiationes & acerbas contentiones excitat? Quietissimam, inquam, hodie vitam agerent homines, si hęc pronomina tollerentur, meum scilicet, & tuum. Et vt Auidij Cassij verba ex eius Epistola repetam: Quoniã, inquit, si hoc malum priuato homine indignum est, certè in mystis nefarium atq; multãdum. Belua (crassa Eidololatria) inanis intoleranda est auaritia, inquit Salustius, quo intendit oppida, agros, phana atq; domos vastat, diuina cum humanis permiscet, neq; exercitus, neq; mœnia obstant, quo minus vi sua penetret, fama, pudicitia, liberis, patria atque parentibus cunctos mortales spoliat, tanti criminis sola est auaritia parens, ex quo illa nobilis ac vehemẽs execratio, si essent inferi auaritiæ Cuniculi eos refodissent, quod ob eam rationem Crinitus obseruauit, vt facilius consideraretur, quantum ætate nostra in eorum dignitate ac imperio sperandum sit, qui ad aurum & diuitias congerendas animum semper intendunt, cum sit hoc vitium præter cætera omnia vitiosissimum. Rectè igitur Aristides ille iustus, cum diues quidam paupertatem ei obijceret, dixit: Mihi quidem nihil adferet mali paupertas: tibi verò diuitiæ non paucas perturbationes. Ex opum, & potentiæ, & claritatis cupidinibus nascuntur lites, rixæ, iurgia, pugnæ, cædes, odia. Ex illarum verò neglectione quies, & pax, & amicitia. Aquila auium rapacissima, non oppetit morbo, neque senio, sed fame. Ita auarus quo magis accedit ætas, hoc magis cruciatur habendi studio, & minus potest vti partis: Quid enim faciunt 100. millia ducatorum, vbi duo aut tres sufficiunt? Rape, congere, aufer, possideːrelinquendum est.

Cur aurum pallens. *Id est. Pluto cæcus.* *Aurum Tolosanum.* *Martialis.*

Aurum

Aurum si plueret, si Pontus funderet aurum,
Haud tamen inciperes mitior esse tibi.
Discurris, non vlla quies tibi nocte dieque,
Tantus amor falsas quærere diuitias.
Quid teipsum maceras? cur te sic perdis amando?
Quid toties lædis numina magna Dei?
Vtere diuitijs, largire inopi, sceleratam
Exue nunc mentem turpis auare tuam.

O vanas hominum curas, ô pectora cæca, ita scilicet punctalē terræ angustiam immensæ cælorum amplitudini præeligentes. Nam etiamsi terram totam quis obtineat (id tamen quod nulli adhuc hominum potuit contingere) quid ille aliud q̃ punctum rapuit (quid ille aliud quàm punctum manibus tenet? in centro dominatur, in atomo tenet imperium? Disce ô miser, infelix attende, qui pro minima recula, maximum perdis thesaurum: & pro angusto formicarum nidulo, quàm amplissimũ palatium abijcis. Nihil ergo est tam angusti animi, támq; parui, quàm amare diuitias. Nihil honestius, magnificentiúsq;, quàm pecuniam contemnere si non habeas, si habeas ad beneficentiam (vt Cicero ait, 1. off.) liberalitatémq; conferre. Pecunia auaro supplicium est. Qui non lucratur vt distribuat, sed vt custodiat. Quòd si pestis illa quæ cæca facit pectora, finis est hominum, quid obsecrò miserabilius? his verò quid turbulentius, atrocius, sæuius? inopiæ multum deest, auaritiæ omnia, id est, multis eget pauper, sed auarus omnibus, qui nec id habet quod habet. Auaritia visceribus pietatis caret, patrem nescit, matrem ignorat, fidem & amicitiam non custodit, proximo vel propinquo nō miseretur, sed propinquos velut extraneos efficit, dicente Salomone: Bene fecit animę suæ vir misericors, auarus autem etiam propinquos abijcit. Et sicut hi qui febribus laborant è diuersis diuersa capiunt, hoc est, è calidis frigescunt, è frigidis calescunt. Sic & auaritia, molestiam adfert stultis, gaudium sapienti. Breuiter, ἡ φιλοχρημοσύνη μήτηρ κακότητος ἁπάσης. Qui auro seruit, tabernā prẹfert templo, emporium sacrario. Mundus est illi regnũ Dei. Auaritia, beatitudo. Et indicæ formicæ instar, absconditum thesaurum seruat auarus, ex homine fit planè pecus & fera. Phylargiriæ finis (φίλαξ γυρία autem ab ære nomen sortita est, cuius meminit Ludouic. Viues lib. 3. de anima. Et Cicero lib. 4. Quęstio. Tuscul.) Auernus, ibi auarus Giezita iuxta atq; prodigus auri, guttulā aquæ frigidæ in refrigeriũ nō inueniet. Auarorũ (inquit Socrates) diuitiæ, vt sol post occasum, neminē mortaliũ oblectāt. Auaritia (sub qua cōprehendo Simonianā leprā) procreat proditionē, fraudē, falla

Publij dicta

Prou. 11.

Id est, Auaritia mater malitię vniuersæ.

ciam, periurium, inquietudinem: diuitiæ luxum pariunt, luxus saturitaté, saturitas ferocitatem, ferocitas odium multorum, odium perniciē. Et sicut spinę (inquit Chrisostomus, super 33. cap. Genes. hom. 59.) non sinunt semē emicare. Ita & diuitiæ (quæ multis malis quasi velum prætexunt) sarcinæ mentis, curæque temporales, spirituale semen, quod in anima seminatur, non sinunt fructum afferre: sed adurunt & suffocant sicut spinæ, profectum eius retardantes: Emasculant ciuium animos, & à vera virtute ad ociosam ostentationem traducunt. In argento viuō omnia natant, excepto auro. Nam hoc vnum ad se trahit. Et nihil incidet animo auari, præter lucrum: disciplinæ, literæ, probitas, in summo fluitant, non descendunt in pectus. Nihil tam sanctum est, quod non violari: nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia poßit. Amor pecuniæ omnes virtutes humi deijcit & pedibus conculcat: sæuit vt barbarus: fertur crudeliter vt tyrannus, debacchatur impudenter vt meretrix: nusquam miseretur, nusquam pudet: adest vbique dura, vbique terribilis, dira, inclemens, impia, truculenta, & cum lupis & vrsis ac leonibus ferocius sæuit: suauis tamē hominibus, si modò dicendi homines sunt, videtur & amabilis. Cúmq; his qui eam desiderant & exceptant gladios acuat quotidie, foueas & præcipitia paret: scopulisq; eos mille & mille naufragijs illidat: Expetitur tamen ab eis, & desideratur & quæritur, ac per mortes suas innumeras lætantur, se aliquando ad eius saltem ianuam peruenisse: Per mare pauperiem fugiēs, per saxa, per ignes. Et qui fluxis rebus, quales sunt honores, delitiæ, opes, nituntur: velut fretū continuis agitantur procellis, & nusquàm quieti sunt. Rectè itaque mari comparantur Aculeatores, iuxta illud. Impij autem quasi mare feruens, & redundant fluctus in conculcationem & lutum. Sed iam dudum tempus est, vt ad id quod institueram nostra recurrat oratio: Hæc autem (etiamsi huc non spectent, necessaria tamen) placuit prolixius Simoniacis Giezitis recētioribus in memoriam reuocare, non vt quenquam offenderem, sed vt incommoda detegerem. Discedite itaque, viri fratres, à tortuoso serpente, qui mille per mæandros, fraudésq; flexuosas quieta corda agitat. Reuocate obsecrò istud tetrastichon.

Cicer. li. act. in Verrē

Esai. 57.

Conscendi terram nudus, subiturus eandem
Nudus, quid molior? mors quoque nuda venit.
Quid genus affectas vitam mortale perennem?
Quum sis momento bulla caduca breui?

Modicum satius est iusto, quàm magnæ peccatorum diuitiæ Psal. 36.

Psal.36.Honestè posſidere pauca,multò præſtabilius eſt, quàm improbè multa(ait Gregorius Nyſſenus) poſsidere. Vt veſtes talares corpora,ſic opes immodicæ animas impediunt.Deſines igitur mirari pecuniam,ſi vera bona cum falſis, ſi fucata commoda cum veris incommodis diligenter expenderis:Si crebro tibi reuocaris ob oculos,qualem te primum terra naſcentem exceperit, qualem item receptura ſit morientem.Si ſemper cogitationi obuerſetur tuæ ſtultus ille Euangelicus,cui dictum eſt:Hac nocte repetunt à te animam tuam,& hæc quæ congregaſti,cuius erunt? Non habuit hîc Chriſtus, quo venerabile caput ſuum reclinaret:qua ergo frõte nos latifundia latifundijs iungere,aurũ & argentũ coaceruare inſtamus? Quis iam nõ dixerit,ſemper metuendũ eſſe illud Væ,quod Chriſtus diuitibus huius ſeculi minatus eſt? ECCLESIA ergo (vt tandem vela contraham) regnum Chriſti & veritatis, penitus in rebus fidei errare non poteſt,poteſt quidem in morum ſynceritate deflectentes præferre,ſed quantum ad veram religionem,ad verum cultum,ad profeſsionem ipſam atq; regulam fidei,ſiue articulos, attinet, nunquam fallitur:Giezianam labem,ambitionem,ſcortationem,& hoc genus vitia in Clero perpetitur.Aulicam item tyrannidem & pompam,torneamenta,deinde etiam varia vitia plebis,diabolus fouet in Eccleſia militante,quæ Eccleſia,licet ferat,nunquam tamen aut diſsimulauit,aut probauit.Falluntur igitur apoſtatici, qui Eccleſiam erroris alicuius fidei articulorum diſsimulant: hallucinantur item ſciſmatici,qui propter abuſum ſeu curculionem , ab ipſa matrice Eccleſia deficiunt. Nos quidem , peccatores eſſe poſſumus , hæretici verò minime.Hęreſis exotica dogmata eligit. Hypocriſis verò bona opera tantùm ſimulat:Eſt autem Hypocriſis,ſimulatio alienę perſonæ ὑποκρίνομαι,ſimulo,ago perſonam,&c. Neque fugimus lucem,quemadmodum lucifugi aduerſarij noſtri turpiter ganniunt, ſed nolumus tenebras pro luce.Nec conſtituimus nouum tribunal, ſed ad hoc prouocamus, quod perpetuò in Eccleſia cõſtitutum fuit. Nec tam præfracti ſumus,vt iudicia noſtra velimus iudicio totius Eccleſiæ præferre: In audiendo enim quem potius magiſtrum imitabimur,quàm illum ipſum Chriſtum,quem Pater ad erudiendũ humanum genus cælitus demiſit? & poſt hunc magno interuallo eos, qui Chriſtum ſunt ſecuti? Neque tamen interim vt alibi diximus, dormitantes,& tantorũ malorũ excuſantur Prælati,quorum eſt hæreſes,abuſus, irregularitatem, tumentes illos fluctus,& Behemoth iſtum terribilem,ſedulò extirpare:Si enim tollerentur abuſus,ſi extirparentur hæreſes: non ſic terra humano ſanguine maderet, non

Arrigite aures Giezitę.

Non perſonæ reſpiciendę,ſed res ipſæ.

Hæreſeos & hypocriſeos differentia.

arua cadaueribus tegerentur cæsorum, non viduę, non pupilli orbitatem suam, vere miserandam, deplorarent, Nec tot opinionum dissidijs concuteretur orbis, ac lógius abessemus omnes & à Iudaismo, simul & à paganismo, sed regnaret in nobis Christus, & sub illius vexillis felici tranquillitate frueremur, Manerent omnia incontaminata. Denique latius sese proferrẽt Christianæ ditionis pomœria: Gehenna vos comprehendet præsides Ecclesiæ nisi hic vigilaueritis: verùm non est nunc instituti nostri cuncta velle excutere, ne cui videar Satyram texere.

Paraclesis.

Agite igitur optimi commanipulones, qui organa estis Spiritus sancti, & S.R. Ecclesię ossa, Christũ dilectũ sposum amate & diligite, nihil melius esse potest, in hac sua vinea (Ecclesia) state fortiter, nemo vos ab ipsa seducat: Extra hanc quisquis sapit desipit, sapit aũt qui mũdo desipit, & nihil nisi Christũ sapit: Extra illã nihil sumus: Hac vna fruamur, huic inhæreamus, in qua vera pax est, gaudiũ, trãquillitas, vita: huc omnes gradum sistite, animos firmate, In hac sancta matre, per Christum sponsum, crescamus, donec occurramus in virum perfectum, & gnauiter obita militia, perpetuum in illa Triũphante Ecclesia triumphum agamus in cælis, confidamus in ea cum charitate & spe salutis, futuræ gloriæ: Sponsus dilectus omnia perficiet: Ipse Kanna siue Zelotypus est, hoc est, vehementer nostri amator: decet igitur & nos esse Am Kanna tobim debarim, hoc est, æmulatricem gentem bonorũm operum. Vos illi, quos Dominus eduxit de Hur Caldeorum, id est, de incẽdio vitiorum, & induxit in terram bonam, lacte & melle manantem, hoc est, ad Ecclesiasticam Religionem veram, & immaculatam, in qua quotidie spirituales delitias percipere potestis: Studeatis ergo dignos pœnitentiæ fructus agere, recuperantes quod olim perdidistis. Nemo vos seducat ad mortem, promissionem vitæ æternæ desiderate. Quid potest mundus (fucata illa meretrix) promittere? Quid excucullatus apostata? Quicquid libet promittat, fortassis in crastino morituro promittit. Reiecisti mundanos honores, in Christo longe eris honoratior. Spreuisti diuitias in hoc mundo amore Christi, in ipso veros inuenies thesauros. Neglexisti parentum affectus, hoc indulgentius fouebit te pater verus qui est in cęlis. Pro nihilo habuisti mundanam sapientiam, in Christo longè verius sapies, ac felicius. Aspernatus es pestiferas voluptates, in ipso multo alias inuenies delitias. Breuiter

vbi arcanas illas, sed veras opes Christi, dispulsa mundi caligine vi-
deris, omnia quæ prius arridebant, quę sollicitabant, ea non solum
non admiraberis, sed perinde vt pestes quasdam fugies, reijcies, a-
uersaberis. Seruus Christi est hydropota: paupertate gaudet, diui- Agon Apostolicus.
tias contemnit, non possidet copiose aurum neq; argentum, neque
pecuniam in zonis suis. In cauẽdo est prudens, in erudiendo doctus, Matt. 10.
in concupiscendo modicus: in obsequendo ei, cui se dedicauit, assi-
duus. Non caret λυτέργης seu publicus minister & vere Euangelicus,
religione, dulcis enim est veritas, iuxta prouerbium γλυκὺ ἡ ἀλήθεια. Nō
diffidit verbis IESV. Commoda terrestria non quærit: terrea floc Verè Euangelicus quis
cipendit, opum enim sarcinam lubens abijcit, quisquis ad Christon
properat, in Christo possidens omnia. Non præfert euanida cælo.
Non simulat virtutis amorem. Vnitatem non rumpit. Noua para-
doxa non profert. Non verberat immeritum fratrem. Non scribit li
bros factiosos, quid enim obsecro, tragica, & quasi veneno tincta
scōmata in proximum ædificant? Non fundit inanes sermones. Spur
ca non refert. Non disrumpit vincula pacis. Non diuendit sacra my-
steria. Seditiones non amat, neque vindictæ cupidus est: nihil enim
æque muliebre, nihil tam imbecillum, proiectiq; animi, quàm vin-
dicta lætari. Non suscitat arma Mauortia, non tristia bella, seu bel-
licum taratantara excitat. Non subsannat prætereuntem, de male e-
nim merentibus bene mereri, de maledicentibus & obtrectantibus
bene loqui, Christianæ virtutis est. Sacrum baptisma receptat. Non
sacra fluenta iterat. Ita dispensat tempus quasi diu victurus, & mox
moriturus. Rebus secundis non effertur, sed moderatus est: rebus
aduersis minime deijcitur, sed prudens est. Non circunfertur omni
vento doctrinæ, sed quod è scripturis diuinis tradidit nobis Ecclesia
catholica, firma fide tenet: quod præcipit simplici obedientia seruat:
quod promittit alacri spe expectat. Non iurat per numen inique.
Non circumuenit fratrem. Non exercet vsuram auaram, contentū
enim suis rebus esse, maximæ sunt certissimæque diuitiæ: qui nihil
(inquit Cicero Paradox. vltimo) appetit, nihil optat, hic demum di-
ues appellandus est. Neminem defraudat vere Euangelicus, ponde-
ra enim dolosa abominanda sunt Domino, Prouerb. 10. Pondus ve-
rò æquum Domino est acceptum: Bilanx æqua, itémq; mensura &
Chœnix æque vobis sint, ait Dominus, Leuitici 19. & in libro Mose-
os vltimo, 25. &c. Non sordida lucra (dorodociam) venatur, neque
enim conuenit ἀπὸ νεκροῦ φορολογεῖν. Non congerit ruiturum aurum & Id est, à mortuo tributū exigere.
peculiolas in terris, si Deus alit passerculos quorum bini asse vene-
unt, quid tu te discrutias? Non seruat quæ male sunt parta, sed reie-
ctis

ctis mundi fucis & pleonexia, in IESVM, summum bonum, omnem amorem, curam, studiúmque transfert, totus ab illo pendet, veræ enim tranquillitatis fons est bene côuenire cum Deo: feliciter desipit, qui sapit in Christo, misere desipit qui Christon non sapit. Non partas diuitias fœnore retinet, bona enim homini opinio, tutius est habere bonam famam, quàm diuitias. Non cuiuis sermoni aures suas præbet, malus enim sermo malorum operum dux est. Non certat coram iudice. Non vanè mentitur, qui enim mendax idem & furax. Non est inuidus atque rebellis: inuidet quidem dæmon, sed hominibus, nulli verò dæmoni: tu verò cum sis homo, hominibus inuides, & quomodo consequêris veniam? Nam, sicut assidua tussi concutitur & quassatur corpus, atque exulceratur, ita crebra inuidia seu ira animum exulcerat: inuidia amaricat mentem, inquietat cor, spiritum cruciat, fontem pietatis turbat, sauciat charitatem, & omne spiritualis profectus ædificium prosternit, vbi æmulatio (inquit Iacobus capit. tertio) & contentio, ibi inconstantia & omne opus prauum, &cæt. Non perniciosa docet. Non extruit sibi pulchras ædeis. Non noctes diésq; ludit. Non sorbilãdis cyathis deglutiendísq; obsonijs terit tempus, honesto nãq; viro non placent πραγίματα καὶ κῶμοι, vino forma perit, vino corrumpitur ætas: immodicus ledit ceu dira cicuta Liæus: ebrietas ex forti timidum facit, ex modesto lasciuum, iustitiam ignorat ebrius, prudentiam abolet: Ebriosis liuent oculi, pallet cutis, spiritus est angustus, lingua resoluta, vox incerta, & pedes tanquam pueris cespitantes: in ebriosos exclamat voce terricrepa sanctus vates Dei Esaias, capite 1. dicens. hoi gibborim lischtoth ioin, Hoc est, Væ (vobis) qui estis fortes ad bibendum vinum. &c̃. Non dijudicat fratrem, atque summi iudicis officium sumit, Christolatriam docet. Idololatriam dedocet. Non turpia furta facit. Non veneris myrtigeræ minister est, nec fœtida scorta colit, cicuta venenum corporis, at multò præsentius venenum animæ voluptas: & cum omni ætati luxuria turpis sit, tum senectuti fœdissima est: Quid autem hoc est, quod miseri voluptatem nominant? profectò nihil minus, quàm quod dicitur. Quid igitur? mera insania est, & plane (quod Græci dicere solent) Aiacis risus, dulce venenum, blanda pernicies, &c̃. Non turpiter ingreditur. Non contẽnit biblia sacra, & Ecclesiastica dogmata. Non adornat conuiuia tantùm Cræsis, sed subuenit esurienti, quem rabiosa fames cruciat, scriptum enim. Felix vir qui misericordia mouetur erga pauperes, & mutuo dat: dabit illi Dominus eam prudentiam, vt dispensare sciat reliqua: & alio in loco scriptura. Non contrahet

Inuidia virus animæ.

Cicer. 1. off.
Deut. 15.

trahes manum tuam, à fratre tuo mendico. Feræ (inquit S. Ambrosius off. cap. 7.) non expellunt feras, & homo excludit hominem? Nō venatur vulgi applausum. Non intumescit animo, sed honores & fasces abijcit: expende ergo quare tibi placeas, atque, vt summatim dicā, duo præcipuè prohibent à fastu, si consideres quid ipse sis in te, putredo in exortu, bulla in omni vita, esca vermium in morte, & quid Christus factus sit pro te, &c. Vere inquam Euangelicus Baptistæ vestigijs insistit. Visitat infirmos, & quos tenet carcer horrificus. Amicitiæ, leges seruat. Vocat ad μετάνοιαν. Exercet αὐτοφιλανθρωπίαν, Catechisticūs instruit. Celebrat fide Pasah & sanguinis effusionem. Exornator, rector, illustrator est. Ad vlciscendum lentissimus; Ad ignoscendum promptissimus. Non admiscet syncera vitiosis, vera falsis. Non detorquet subdola interpretatione ad suas cupiditates pestiferas cælestem doctrinam, sed fidelis est in domo Dei sicut Mosche, vigil sicut Aharō, zelosus sicut Helias, prædicator disertus, sicut Esaias. Sapiēs sicut Daniel: Solicitus pastor sicut Petrus: Doctor sicut Paulus. Sanctus sicut Syluester. Non est κακοποιός, id est, malefactor, quid enim fortius quàm seipsum vincere? Nō φιλότιμος, id est, ambitiosus, Philotimia enim radix philoniciæ. Non θυμοφθόρος, id est, perniciosus. Non commodum suum quærit, sed alterius. Non gratiam suam quærit, non suam laudem. Breuiter φθόνον, i. inuidentiam: μέθην, i. ebrietatem: ἔριδας, i. contentionē. ἔχθρας, i. occultas simultates, vel apertas: θυμούς, i. commotiones animi efferuescentis: πορνείας, i. illicitos concubitus: ἀκαθαρσίαν, i. cogitationum impuritatem: ἀσέλγειαν, i. petulantiam, tam in gestu, quàm in habitu corporis. φαρμακείαν, i. incātationē magicā: φιλοποσίαν, id est, epulationē potationē, &c. respuit, abijcit, excludit: Quandoquidē non verbis, sed operibus laus debetur, & is maxime, vt Plato ait, audiendus cuius dictis facta veniunt: Atq; vt ille ait: ἐςὶ γὰρ ἀρετῆς ἁπάσης, ἀρχὴ μὲν σύνεσις. id est, vniuersæ virtutis consultatio principium est, finis verò constantia. Hæc ergo sunt itinera, hæ scalæ, hi gradus quibus ad æternitatis apicem cōpendioso tramite conscenditur: In his state charissimi, & Domini exemplar sequimini, firmi in fide, & immutabiles, fraternitatis amatores, diligentes inuicem, in veritate sociati, mansuetudinem domini alterutri præstantes, nullum despicientes. Cum potestis benefacere, nolite differre, quia eleemosyna de morte liberat. Nullus dilectissimi fratres hîc fulgere quærat, nemo sibi arroget, nemo se iactet: Scriptum enim: Qui inuenit animam suam, perdet eam, & qui eam perdiderit propter me inueniet eam. Nolebat se Christus cognosci, nolebat prædicari in Euangelio nomen suum cum in terris versare-

Seneca dictum ex oratione Demosthenis desumptum

Mat. 10.

tur,

tur, venit vt lateret seculum hoc, & cuius vniuersa sunt caruit diui-tijs. Ergo & nos simili modo abscondamus vitam nostram Christi exemplo, fugiamus iactantiam, prædicari non expetamus: Melius est hic esse in humilitate, ibi in gloria, hominibus enim patria cęlum est. Magna dilectissimi aduersum dæmones arma sunt, vita syncera, & intemerata ad Deum fides. Credite mihi experto, pertimescit sa-thanas rectè viuentium vigilias, orationes, ieiunia, mãsuetudinem, voluntariam paupertatem, vanæ glorię contemptum, humilitatem, misericordiam, iræ dominatum, & præcipuè purum erga Christum amorem. Cogita obsecro (ait Chrysostomus in Genes. homil. 27.) di-lecte, quantæ sit virtutis magnitudo, & disce vel ex præmijs, quæ propter illam vel vniuersis Dominus promisit. Qui ab hominibus quærit, habet mercedem suam: qui autem à Deo, habet vitam æter-nam, quam pręstare non potest, nisi author æternitatis: Nemo se se-ducat, si quis videtur inter vos sapiens esse, stultus fiat, vt sit sapiens. Omnes sistendi sumus ante tribunal summi iudicis, à quo nõ est reci-procatio. Hęc igitur oĩa diligẽter seruate memoria, vt eos qui simpli-citer ac temerè scripturis, ac cũ pernicie vtũtur proximi, omni cũ sa-

Diuina Sapientia

piẽtia corrigere possitis: Hæc illa diuina SAPIENTIA, quæ nos à libidinũ impetu, & formidinũ terrore vindicat, modeste docet ferre iniuriã, omnes vias docet, quæ ad quietẽ, ad tranquillitatẽ ferũt: Hęc sanitas animi, qua nihil optabilius, nihil homine dignius: Sapientis diuini animus nunq̃ est in vitio, nunq̃ turgescit, nunq̃ tumet, nunq̃ sapiens irascitur: Sapiẽtis est accidentia præmeditari, & modicè fer-re si aduenerint: Nulla mœnia tam sunt munita, quin machinis aut suffossionibus, aut vt nihil horum, proditione capiantur: at Sapien-tis decreta sunt inexpugnabilia. Fidite Christo omni tempore quic-quid acciderit vobis, & quotquot vsquam estis populi effundite cor-da vestra, & omnia consilia velut in sinum illius: Atque vt cum Mo-

Hoc est, circuncidite præputium cordis vestri.

se tandem finiam, Malthem eth arelath lebabechem, Deuteron. 10. Hoc si feceritis, sentietis Deum nobis omnibus adfuturum, & tutatu-rum nos cõtra omnium hostium insultus. Ethnici in suis ludis circen-sibus, & luctaminibus, coronas, premiaq; plurima proposuerunt cur-soribus. Et fideles luctatores Christianos in hoc stadio, pius ille Sa-maritanus, Luc. 10. excludet? Fiducia vestra, magnam habebit retri-butionem, veniet in breui qui venturus est, & non tardabit: Qui vi-

Apocal. 21.

cerit (ait Dominus) ero ei Deus, & ille erit mihi filius, exaudiam eos, aperiam in supremis collibus flumina, & in medio camporum fon-tes, ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos

Ephes. 2.

aquarum: Non eritis hospites & aduenæ, sed ciues sanctorum, dome-

stici Dei,

ftici Dei. Poſsidebitis theſaurũ inuetuſtabilẽ, quẽ nec tineæ rodunt, Ephes. 2.
nec liuor edax diruit: Dabit Adonai hu elohim ꝑ terra ſilicẽ, & pro ſilice torrẽtes aureos: tollet archipater omnipotens Tantaleũ ſaxũ, Tityi, Ixionis, Siſyphi, Pentheiq; ſuppliciũ: Dabit gaudiũ & lætitiã, & exultabũt de cõdonatis peccatis oſſa per contritionẽ humiliata. Cogitate obſecrò ꝑ multas tribulationes intrare nos oportere in regnũ Dei. Non ad huius vitæ cõmoda vocati ſumus, neque humi defixas cogitationes & ſpes habere debemus. Neque hîc manentem ciuitatem habemus, ſed futuram inquirimus, vbi pax ſumma eſt & tranquillitas, & ſempiterna beatitas. Vbi non eſuriet quiſquam, vt eſt in Apocalypſeos lib. ca. 7. neq; ſitiet neq; cadet ſuper eũ ſol, nec vllus æſtus: vbi abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis ſanctorum.
VIGILATE ergo, vigilandũ eſt ſemper (inquit Cicero pro Plãc.) Actor. 20.
multæ inſidiæ ſunt bonis. Videmus quo tempore, cum quibus, & quàm variè luctemur. Vigilate, vigilate, ſtate in fide Eccleſiæ viriliter, & confortamini. In nullam facilis illapſus eſt, ſed exitus difficilis. Sic decliue iter ad hæreſes, reditus ad meliorem frugem non perinde facilis: Omnia veſtra in charitate fiant. Reformamini, Reforma- 1. Corin. 16.
mini, & reformate: Currite in ſtadio fortiter ne agonotheſiã negligatis: Armati ſunt hoſtes vt perdant, nos piget arma ſpiritualia capere ne pereamus? Vigilànt illi vt perimant, nos non vigilamus, quot ſumus incolumes? Ergo, inquam, cum tam formidabili, tamque difficili bello diſtringamur omnes, cumq; res nobis ſit cum hoſtibus tam multis, tam in noſtram perniciem iuratis atque deuotis, tam vigilantibus, tam armatis, tam perfidis, tam exercitatis: nos malè ſani, contrà non arma capimus? non excubias agimus? non omnia ſuſpecta habemus? Cur perinde vt in rebus bene pacatis, ſupini ſtertimus, ceſſamus, voluptuamur, atque cuticulam (vt aiunt) curamus ocioſi? Hora eſt iam nos de ſumno ſurgere: VIGILATE ergo, empti enim Rom. 13.
eſtis precio magno.

AD SPONSVM CHRISTON IESVM PIORVM qui Thau Ezechelica conſignati ſunt, προσευχὴ intenſa.

PEccauimus quidem, ô miſericors Deus, iniuſtè egimus, iniqui- Iacob 3.
tatem fecimus, in multis offendimus omnes: Tu quia pius es & miſericors, pro nobis vagiſti, ſitiſti, eſuriſti, alſiſti, æſtuaſti, laboraſti, delaſſatus es, eguiſti, vigilaſti, ieiunaſti, quare obliuioni nos tradis? miſerere noſtri obſecrò, aut in tuo flagello vindica noſtras iniquitates. Noli podeh & redemptor, tradere confitentes te, populo qui ignorat te. Si ſcelerum, quæ admiſimus

(homines fragiles) perpetuò memor esse volueris, & veluti reposita seruare apud te Domine, subsistere quis poterit? Agnoscimus tuam iustitiam, & nostram iniustitiam deploramus, sed appellamus tuam misericordiam, quæ iuxta Propheticum psalmum, superat omnia opera tua. Tu Domine ætate Ezechiæ regis Iudeæ, angelum tuum misisti, qui militum Zennacherib interfecit 85000. hominum, idem nunc quoque dominator cælorum, archipastor bone & misericors demitte angelum bonum, qui nos ad pauorem & terrorem aduersariorum nostrorum Belialitarum antecedat, vt qui sanctum populum tuum & Ecclesiam tuam sanctam, cum impia cōtumelia impetunt, potentia lacerti consternantur. Vsquequo Domine (qui es sanctus & verax) non iudicas ac vindicas sanguinem nostrum? Capper al hattothenu, & propitius esto peccatis nostris. Pugna pro nobis Domine, σὺ μόνος ὕψιστος ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, Psal. 82. Multum iam pœnarum dedimus, tot bellis attriti, tot exactionibus exhausti, tot morborum ac pestilentiarum generibus afflicti, tot inundationibus concussi, tot portentis è cælo minantibus territi, tot hæresibus oppresi, nec inter hæc mala subinde noua lassescentibus, vllus vndecunque portus apparet, sed atrociora videntur impendere. Vides quibus ventis, quibus vndis, quibus procellis, iactetur afflicta sponsa tua & in ea populus tuus. Quid superest, nisi vt demersi pereamus omnes catholici? Fac igitur seruis tuis secundum misericordiam tuam: Ecce propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis, opprobrium vicinis nostris. Pluuiam copiosissimam effundes ô Deus, & hæreditatem tuam, licet afflictam, tu stabilies. Auxiliare nobis Deus salutis nostræ autor, non tam habita ratione nostri, quàm magnifici & maiestatis plenissimi nominis tui: Libera nos à malis in quibus versamur, & remitte peccata nostra pro immensa liberalitate quæ nomini tuo respondet, sana contritos corde, atque reforma plagas vulnerum animæ nostræ, quas sauciauit maligni spiritus rabies, & suscipe mansuetos, atque humiliter de se sentientes, nō in viribus nostris, neque in iustitia nostra, sed in sola misericordia & gratia tua confidimus. Pone custodiam Domine ori nostro, ne effluamus in verba noxia & scandalosa, ne quoque prorumpamus in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, sed custodi nos à laqueo sathanæ, ne de vitio in vitium ruentes cadamus in retiaculo eius. Exurge, quare obdormis Domine? Exurge & ne repellas in finem: tutare populum tuum, & auge donis tuis, quos veluti hæreditario iure bonorum tuorum participes esse vo-

Psal. 130.

Psal. 78. Exod. 14. Id est, tu solus altissimus in omni terra.

Psal. 44.

voluisti, pasce eos, & erige eos assidue magis ac magis in perpetuũ. Noli clementissime IESV perpendere quid nobis debeatur, sed quid tuam deceat misericordiam, sine qua nec puri spiritus subsistere possent, nedum nos lutea vascula. Deus virtutum conuerte nos, & ostende misericordiam tuam, & salui erimus. Quare faciem tuam auertis? quare obliuisceris inopiæ nostræ & tribulationis? Conditor es, instaura plasma tuum. Redemptor es, serua mercem tuam. Seruator es, ne sinas nos interire qui toti ex te pendemus. Dominus es, assere possessionem tuam. Caput es, subueni membris tuis. Rex es, da legum tuarum reuerentiam. Princeps es pacis, inspira nobis charitatem mutuam. Deus es, miserere supplicum, esto iuxta Pauli dictum, omnia in omnibus. Ecce humiliata est in puluere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster: Exurge Domine adiuua nos ne pereamus, tua in Ecclesia derelicti, atque contempti, vre renes nostros, redime nos propter nomen sanctum tuum: Veal teuienu lide nisaion, aual hacilenu meraha, leamen. Matt. 6.

Finis primæ partis huius libri.

FACIES ANTI-CHRISTICAE ECCLESIAE, altera pars huius libri.

Triplex Ecclesiæ persecutio.



BSOLVIMVS TANDEM PRO MODVLO nostro, veteris S.R.E. faciem, iam de Antichristica nō pigebit paucula (properamus enim soluere lora) referre. Sciendum itaq; tres semper fuisse hostes in hoc mundo, aduersus S. R. Ecclesiam; videlicet 1. Tyrannos, 2. Hæretistas, 3. & falsos fratres. De quibus omnibus, Deo annuente, ordine dicemus.

Tyranni sunt, qui sanguinem innocentium fundunt. De hac persecutione tyrannorum Christus loquitur, dicens: Cum persequuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. (Matth. 10.)

Hæresiotæ sunt, qui veræ fidei confessores impugnant: De his loquitur Dominus. Attendite, inquit, à falsis prophetis. (Matt. 7.)

Falsi fratres sunt, qui proximo insultant: De illis loquitur Dominus. Pugnabit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suū, ciuitas aduersus ciuitatem, regnum aduersus regnum, & dirumpetur spiritus Aegypti. Retectionem falsorum fratrum (quæ omniū maior est persecutio) tractabimus in calce libri. (Esai. 19.)

DE TYRANNIS, IN S. R. E. ALVMNOS, ET quid prisci illi tyranni, ab ipsis Christifidelibus potissimum exegerint.

FOrtes Christi athletas, semper fuisse miserabiliter concussos, exēplificant facinora sceleratorum. Quis verò nescit Herodem Ascalonitam & infanticidam, proprios suos filios (Alexandrum & Aristobulum) iugulo percussisse? Quid hic non perpetraret in præcursorem) angelum Domini, Ioannem, in Christon ipsum, in flosculos martyrij seu bimulos Betleemiticos? Nec hic reticendum, quid Romani olim Imperatores, decretis publicis atq; edictis in S.R.E. excogitarint, quomodo itē conati sint illius religionē repellere

(Theomachia Herodiana, sed pudefacta. — Malach. 3. Marci 6. Luc. 1. Matt. 2.)

lere atque extinguere: sic vt nullum crudelitatis genus omissum fuerit, in quo Catholici (grata Soboles) in Ecclesia Dei, vexati atque disiecti non fuerint. Inter cætera Archityrannus iste, & hæreditarius Christiani sanguinis hostis MAXIMINVS, non minore astu, quàm sæuitia vsus est, in persequendis lacerandisque Christianis, Siquidē Io- *Maximini impetia Maxiliana* uis simulachrum (quod in vrbe Antiochia celebre fuit) sic instrui curauit commentoque callido aptari, vt in edendis oraculis, quæ tū magno cultu habebantur, de Christianis responsum hoc promeretur: Ne homines Christo dicati degerent in vrbibus, neque vllis etiam locis extra vrbes, sed procul (vt noxium genus atque veneficum & contagiosum) fugarentur, quo factum est, vt vagi palantesque & reiecti ab omnibus fuerint, tametsi pro religionis merito atque maiestate id accedebat, vt quò plures sæuiores tyranni & persecutores, eò amplior religio haberetur. Nec enim quicquam principum sæuitiā atque feritatem magis extimulat, quàm firmitudo illa, & inuicta atque impenetrabilis constantia Christianorum, quę libidinē omnem atque immanitatem, lōgè longè exuperat: neque enim veritas impiorum commenta reformidat: hisce autem verbis, & hac animositate Catholicos viros Romanos præsides vicisse, legimus. Allidite (dicebāt tyrānis) atterite nos, probatio est nostræ innocentiæ vestra iniquitas, Moriamur & in media arma ruamus: ô mirandam ἀνεξικακίαν, *Hysterō proteron.* ô laudabilem μακροθυμίαν. Sed quid illis Gymnasiarches Christus? audi Esaiam, Morao (inquit Dominus) lo thireu velo Thaaritzu, Esai. 8. Nō metuamus ergo & nos eos, quibus hîc datur corpora *Hoc est, timorem eius ne timueritis, & ne pauecatis.* nostra pro veritate occidere, cum animas nostras viuificent quodammodò, oues sumus mactationis parati ad gloriam Dei. Hic *Rom. 8.* Acheron, illic cælum: Cuius meminit D. Ambrosius, in hæc verba prorumpens, de vocati. gent. lib. 2. cap. 1. Cum sicut oues introieritis in medium luporum, nolite de vestra infirmitate trepidare, sed de mea (Christi) potestate cōfidite, qui vos vsque ad consummationem seculi in hoc opere non derelinquam, non ad hoc vt nihil patiamini, sed quod multò maius est, præstiturus vt nulla sæuientium crudelitate superemini. Etiam Ethnici norunt interiori homini tyrannos nocere non posse. Scitè Anacharsis Philosophus cum iam in tormentorum summa afflictione esset, ad lictores & tortores truculentos dixit. Agite audacter, percutite, me siquidē non tāgitis, q. d. Externum solum laniatis hominem, interiorem ferire non potestis. Quò magis autem timeri volunt tyranni, hoc magis fideles eos temnere debent, allatrare possunt non deuorare: tangunt Nerones quidem corpora nostra, animam verò *Matth. 10*

minimè possunt occidere, ad reliqua transeamus. Nec hic omittendus est IVLIANVS, qui Bisantius fuit, mirificum prorsus commentum atque adeo callidum traditur, quo Christianos populos in Ecclesia Domini congregatos, ab instituto atque incepto suæ religionis depelleret, non enim vi, non cædibus, non tormentis, sed alia ratione aggressus est, vt eos ad veterem nephandam religionem converteret. Nam prolatis præmijs ac dignitatibus, tum blandimentis etiam atque persuasionibus sic effecit, vt is multò plures occupauerit, quàm qui crudeliter eos atque immaniter persequendo atriuerit. Idem tamen edicto cauit, ne Christiani homines prouinciarum procurationes haberent, neque ius dicerent, quod ipsa, vt dicebat, lex Christianorum vti gladio prohiberet. Pari quoque edicto constituit, ne Christiani ipsi gentilium scolas atque gymnasia adire possent, quo minus in bonis studijs & disciplinis proficerent. Operæprecium fuerit & alterum stratagema referre, vt hinc fiat coniectura, quantum malitiæ texerint impij. Athanasium inuictum catholicæ veritatis propugnatorem, quoniã scripturis & argumẽtis superare non valuerunt Arrianistæ, fictis criminibus statuerãt opprimere. Constantium Cæsarem, malitiosis suggestionibus sic irritarant in virum sanctissimum, vt iusserit apud Tyrum coacto concilio cognosci de Athanasio, delegato ad id comite quodam à latere suo, qui cognitioni præsideret. Duo præcipia crimina intentabãtur, mulier vi constuprata, & brachiũ homini defuncto abscissum in vsum maleficarum artium. Conducere mulierculam, quæ huius tragædiæ partem ageret, non erat difficile: sed ad probandum maleficij crimen accersierant Arsenium quendam olim Athanasij lectorem, qui veritus Episcopi, quem offenderat, correptionem, ab eo profugerat. Hunc diebus aliquot abditum seruarunt Arriani, vt cum fide mentirentur esse mortuum. Is tamen vt intellexit, quid in Athanasium molirentur, siue exhorrens facinoris atrocitatem, siue cupiens cum Episcopo suo redire in gratiam, noctu clàm profugit è latebris, & Tyrũ ad Athanasium nauigio peruenit, eiq; rẽ omnẽ aperit. Ibi vir vt insigniter pius, ita mirè solertis ingenij, quippe qui iuxta præceptũ Domini columbinam simplicitatem cum serpentis prudentia coniunxerat, iubet Arsenio, vt abdat sese, donec in rẽ præsentẽ euocaretur. Coacto concilio prodit mulier, infertur horrendo spectaculo loculus defuncti, ostenditur brachium hominis resectũ loculo impositum. Horror etiam bonorum animos inuaserat. Quis enim crederet illa fingi? Mulier, quæ fuerat edocta narrat, se quondam Athanasium excepisse hospitio, & ab eo noctu, quum nihil ab illo metueret,

per

per vim fuisse constupratam. Athanasius introductus est, ad hæc responsurus. Is qua præditus erat solertia, submonet Timotheum presbyterum suum, vt ipso tacente mulieri respondeat. Sciebat enim se mulieri ne de facie quidē notum esse. Quum illa perorasset accusationem, Timotheus, tunc inquit, mulier ais te à me vi constupratam? Tum illa mulier peruicax, Tu inquit, tu inquam illo loco, illo tempore, per vim meam pudicitiā contaminasti. Erubuēre quidam tam facile detecta mulieris calumnia. Nec tamen absolutus est Athanasius, nec ad calumniæ pœnam vocata mulier, quòd ijdem essent iudices, qui accusatores. Itum est ad secundum crimen. En, inquiunt, ipsa res loquitur, hoc est Arsenij brachium, quod in quem vsum amputaris, tu nobis Athanasi exponito. Hic simili solertia vir prudēs rogat illos num satis nossent Arsenium, cuius hoc esset brachium? Respondent quidam se probe nosse Arsenij faciē. Petit Athanasius, vt liceret sibi accersere quēdam, quo ad eam causam haberet opus. Concessum est. Introductus est Arsenius, cuius facie nudata ecce inquit, Arsenius viuus, ecce brachium dextrum, ecce sinistrum incolume, vnde vos istud brachium amputaueritis, ipsi narrate. Quis fando audiuit vnquam facinus execrabilius? Quid profecit Satanas, quando tam indesinenter incessit membra Christi, & viros cælo dignos absumpsit? Quid? nisi quod auxerit illorum præmia, & illustrarit coronas. Sic lapidarunt Iudæi Christicidæ crudeles S. Stephanum, tanquam legis desertorem, inuocantem nomen Christi, Actor. 7. Sic coniurarunt in necem Pauli, Actor. 23. Sic tyrannidem exercuit Constantinus 4. (circiter annum 645.) in Martinum Papam. Sic Anastasius imperator Anno 492. Constātinus 6. Leonis 3. filius, circiter annum 742. Sic Leo 3. anno 721. & Leo 4. anno 777. Verùm non reticendum, vltionem diuinam in omnes tyrannos & eorū commenta crudelissimè desæuijsse: omnes inquam, duris supplicijs à Deo correpti sunt, nullum enim violentum (vt aiunt) perpetuū.

NERO μητρόκτονος seu matricida, anno dominicæ incarnationis quinquagesimo septimo, ab vrbe verò condita 807. seipsum interfecit, Ausonius. Matricida Nero proprij vim pertulit ensis. Anno vitæ suæ 31. Imperij 14. Postq̄ resciuit se hostem à Senatu P. Q. R. iudicatum, & ad furcas condemnatum. De quo Suetonius. *Tyrannorū plerūq; crudelis exitus.*

Quis neget Aeneæ magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Aeneas patrem Anchisen sustulit, cum impositum humeris ex incensa iam vrbe exportauit. Nero autem sustulit matrem, cum occidendi eius mandatum Aniceto dedit, &cæt. DOMITIANVS,

 anno

Prouer. Ne musca quidem.

anno Domini 83. ab Vrbe verò condita 833. à suis cubicularijs, tanquam effœminatus & inutilis confossus est: tantæ desidiæ fuit tyrannus, vt in cubiculo solus muscas præacuto stylo configeret: Prodigiosæ arrogantię vir, qui se Deum ac Dominum scribere in suis iussis edixit. Idem solebat exercitum populi Romani hostibus obijcere, quo rarior in patriam reuerteretur, contra Antonini Pij institutum, qui dixit se malle vnum ciuem seruare, quàm mille hostes occidere. MAXIMINVS anno 238. vrbis conditæ 988. cum filio in obsidione Aquileiensi, à proprijs militibus (Pupieno) obtruncatus: tanta fuit arrogantia, vt manus ac pedes senatoribus præberet osculandos: secutus tumorem Menecratis Syracusani, qui se Iouē esse (in epistola ad Agesilaum Spartæ regem) superba fronte sparsit. DECIVS, anno Domini 254. ab Vrbe condita 1005. in Mysia pugnans, palustri voragine obrutus, perijt, ita vt ne corpus eius extiterit vspiam. VALERIANVS, anno Domini 259. vrbis verò conditæ 1010. Persis bellū inferens, captus, scabellū regis Persarum ascensuro factus: vltimò tandem paucorum conspiratione interfectus est. MAXIMIANVS Tyrannus, à Constantino captus pœnas dedit, mortis genere (vt Eutropius scribit, lib. 11. rerū Romanarum) postremo fractis laqueo ceruicibus, vir ad omnem asperitatē sæuitiāq; procliuis, infidus, incommodus, ciuilitatis penitus expers, stolidus, &c. DIOCLETIANVS anno domini 290. ab Vrbe cōdita 1040. Cum resignasset imperio, apud Nicomediā multis varijsque morbis discruciatus, demum mente alienatus, sibijpsi vim intulit: Quæ haud dubium, facta sunt vlciscente Domino. CLAVDIANVS IVLIANVS apostata, Ecclesiam persequens (teste Sozomeno) miserè perijt in Persico bello, fertur autem manum suam sanguine impleuisse, sparcisse in aëra & exclamasse νενίκηκας, γαλιλαῖε,

Id est, vicisti Galilæe.

in corpore confessus cum blasphemia victoriam. Diuersi, de Iuliani interfectione & interitu, diuersa sentiunt. Quidam dicunt iaculū repente delatum, discurrens per brachium in latus eius mersum fuisse: Alij vnum pastorem Hismahelitarum, alij milites fame & itinere fatigatos eum interemisse, Alij quendam inuisibilium hoc fecisse, Sed siue homo, siue angelus fuerit, manifestum est, quia diuinis iussionibus ministrauit. Callistus autem, qui inter familiares eius militabat, & heroico versu eius conscripsit historiam, ait eum à dæmone fuisse vulneratum: interijt autem anno imperij sui tertio, septimo verò, ex quo Cæsar à Constantio factus est, vitæ autem 31. CONSTANTIVS, in radicibus montis Tauri apud oppidū Mopsocremen inter Ciliciam & Capadociam febri acerrima interijt, 3.

Nonas

Nonas Nouembris, consulatu Tauri & Florentij, anno imperij 38. ætatis 65. &c. Quis nescit OCHVM (vt gentilia aliena exempla proferam) filium Artaxerxis, humani sanguinis sitientissimum tyrannum, à quodam suorum præfectorum miserè interemptum fuisse? vt taceam Echetum tyrannum apud Homerum, & Antiphatem Læstrigonum pessimos? Quis non legit Pisistrati tyrannidem apud Athenienses, Dionysij apud Syracusanos, Phalaris apud Agrigentinos, & illorum successus? Quem non mouerunt lapidem Thaboritæ, Hussitæ, Vvicleffictæ aduersus pios mystas? At illi omnes, duras ærumnas experiere. Sic Anno Domini 1100. Gulielmus Rufus Angliæ rex in pios sacrificos deseuiens, & B. Anselmo Cătuariensi archiepiscopo, propter piam eius admonitionem, in exilium eiecto, templorum prouentibus ad priuatum quæstum abutens, ac sæpe dictitans pinguem esse panem Christi, & delitias præbere regibus: inter venandum apud nouæ Forestæ saltum à suo quodam intimo cubiculario sagitta transfixus, confestim perijt, Calend. Augusti, magno documento Christi ministros & sacerdotes non esse vexandos aut spernendos, quantominus irridendum Christum? O bone Deus, quot hodie sunt Rufi, Herodiani, Gaalitæ? Et certè nullum est vitium teterius, quàm auaritia, præsertim in principibus, & rempubli. gubernantibus, quæ non modò turpis est, sed scelerata etiam & nefaria. Quis, inquam, ignorat Christum reddidisse Christicidis retributionem quam catholicis retribuerunt? Vbi iam sunt illi qui S.R. Ecclesiam sunt persequuti? An non Constantinum 4. phlebotomia (scriptum enim, facilis & iucunda fit impiorum perditio) occidit? An non Anastasius fulmine interijt? Constantinus ob insolentiam morum à suis captus, excecatus est, Scriptum enim Iob 21. Lumen impiorum extinguetur. Constantius seu Constans in balneo à suis extinctus est. Sic Philippus (anno Domini 713.) Eiconoclasta, à Romanis expulsus & exoculatus est. Sic Leo 3. (Anno 721.) miserè in Messembria occubuit. Sic Alahis, crudelis tyrannus, à Chuniberto Christiano rege, miserè tractatus est. Herodes cibus vermiū factus, teste Luca Actor. 12. Simili fato ad Erebū raptus est tyrannus Antiochus Epiphanes, 2. Machab. 9. Neque item vllus Herodū, neq; Pilatus morte bona interierunt. O horrorē, ô execrabilem abominationem, vt plurima exempla consultò prętercam. At quo ore, qua indomita rabie persequitur catholicos, recentior tyrannus? doli artifices, inexhaustæq; maliciæ capita?

Nota.

Psal. 136.

Prouerb. 11.

P. Diaconus lib. 5. cap. 6. & lib. 6. capit. 8.

Nunquam adeo immitis Scyron fuit, atque Procustes,
Et Scinis & Cacus, Cercyon atque ferus.

Certè

Certè ad extremum deos sceleris vltores sensere, & veluti scoria
Psal.9. erasi sunt è reliquo hominum numero, deciderunt id foueam quam
parauerant alijs: reti illo quo alijs insidiabantur, illaqueatus est pes
eorum: Disperierunt in Endor, facti sunt vt stercus terræ, Psal.82.
Scriptum enim Abac.1. infirmabuntur impij (quibus non est pax,
Esai.57.) & auferam impios à facie terræ, dicit Dominus. Et alio in
Prouer.10. loco scriptura, Fructus impiorum perditio. Nec maleficium vllum
Deus inultum sinit, etiamsi diuturniorem impunitatem aliquando
concedat. Nemini debet malitia sua esse lucrosa: præsertim cũ aliud
agitur, & aliud simulatur, alterius decipiendi causa, vt habetur in
C.tit.si contra ius. Superbiam, inquam, ferè comitatur tristis calamitas,
& funestus exitus: Scriptum enim alio in loco. Sanguinarij
& dolosi ætatis dimidium non consequentur, peccantes in mala incident.
Et alibi, Animi eorum qui exleges sunt interibunt immaturi.
Et iterum. Exitus eorum qui legem violant malus est. Tyrannidem
quidem, Domino ad tempus conniuente, exercere possunt tyranni,
sed sponsus luctiferæ Ecclesiæ perpetuò securus & tranquillus sedebit,
& obseruabit omnia, & iam nunc parat solium suum, vt sedeat
pro tribunali, non dormitat Deus, & pœna reproborum longè non
abest. In politia tyrannis execrabilis, longè longè execrabilior in vinea
zebaoth. Redarguũtur Principes, & sacerdotes & prophetæ expilatores
apud Micheã: Et quod in theatro culpabile est, in templo
planè est horribile & execrabile: & quò tyranni sunt insipientiores,
hoc etiã sunt ferociores, cum scriptũ sit. Væ terræ cuius rex puer est.
Tyrannicum autem est (ne & hoc omittamus) improuidos adoriri.
Tyrannus quis. Tyrannicè viuit qui bene merentes Neronicè trucidat. Quid igitur
tyrannus & Lygdamis? Quis? Qui valere iussis naturæ legibus,
Gentium decretis, ciuium moribus, Priuata vtilitate metitur omnia.
Qui nulla optimorum ciuium, seu fidelium Christianorum, habita
ratione, indignos, pseudocatholicos, & votifragos, seu nequam
homines, Ecclesiasticis functionibus præficit, ijsq; deglubendos, deuorandos,
seducendósq; suos impunè permittit. Is insititius tyrãnus
est, qui amicũ & inimicũ (quorũ est Dominus) vtcunq; occasio inciderit,
eodẽ loco habet. Qui spreto innocẽtiæ delectu tormẽtis exquirit,
multat, proscribit, relegat, vltimo supplicio afficit, quos libitũ est;
quos catholicos esse nouit. Tyrãnus est (inquit S. Gregorius Moral.
12.) qui in cõmuni republica nõ verè principatur. Tyrãnus est, qui
non subditis, sed sibi imperium gerit, habens pro legibus libidinem,
In vita tyrannorum (ait Cicero lib. de amic.) nulla fides. Tyrannicum
est patriam expugnare, sic Eriaperthus, de quo Plutarchus. Tyrannus

rannus est, qui sitit sanguinem, qui miseram plebeculam tanquam pedibus proculcat: Sequitur ergo tyrannidem, seu intestinum atque externum bellum (intestina bella voco, quibus Europæ principes pro ventosis & inanibus nonnunquam titulis inter se digladiantur) hactenus non parum S.R.E. perturbasse. Sed audiamus Christi sententiam in oppressores fidelium, quid Christus huiusmodi Christicidis ex adverso dicturus sit: Quid? audi breuibus Micheam tertio capite. Audite (inquit Dominus) capita Iacob, & tyranni domus Israelis: An non conueniebat vos ius & æquum nosse? Qui bonum odistis, malum verò diligitis, qui pellem eorum ab eis diripitis, atque carnem eorum ab ossibus eorum, qui carnem populi mei deuoratis, detraxistis pellem ab eis, atque ossa eorum nudastis, clamabitis ad Dominum, sed non respōdebit, faciem suam eo tempore abscondet, quemadmodum & vos malitiæ studuistis. Redamant aquilæ, redamant amantem Delphines, cur efferatior feris me me non redamas homo? Cum dictum sit vobis, Matth. 25. Quamdiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis? Vobis semel omnia feci, vos condidi, vos sanguine asserui proprio, propriæque à morte recepi dispendio vitæ volens. Si bos agnoscit Dominum suum, si brutus asellus agnoscit altorem suum, cur populum meum tyrannus male gratus nosse recusat, cur me inquam, & conditorem & vindicem, iustum vltorem iniqui abijcit? Audite ista hæmatodipsæ tyranni, qui nihil aliud didicistis, quàm viduas facere, ouilia mactare, prædam conuehere, bona Ecclesiæ temporalia diripere? Esa. 53.

Quos non relligio traxit, sed vana libido,
Regnandi & fortis luxuriantis opes.

Flagitij principium est (inquit Cicero 4. Tuscul. qu. nudare inter ciues corpora. Sed quid tandem fiet? Nónne tres omnino cubiti te manent? Nónne paucorum lapidum moles ad custodiam miseræ carni sufficiet? Ad quid igitur emedullas? Quorsum iniquus esse pergis? Quibus verbis defendes te, cum affecti abs te tyranno iniuria, vndique circunstātes sub cōmuni iudice contra te clamauerint? Quomodo persuadebis iudici, qui falli non potest? Nullus illic orator est, nulla verborum probabilitas quæ veritatem iudici abscondere valeat. Omnia duplicia naturæ nostræ Deus dedit, binos oculos, binas aures, binas manus, binos pedes: si alterutra pars è duabus læsa fuerit, necessitati per alteram inseruimus: Animā verò vobis principibus dedit, hanc si omnes perdiderimus, quid superest quo cū in vita maneamus? Sapite igitur viri illustriores, estote fortes: καλόν γε

(dixere

(dixere veteres)βασιλεὺς, τῇ μὲν ἀνδρείᾳ κρατῶν. Nolite pręcipites esse in iudicijs sanguinis: Erudimini iudices terræ, Psal. 2. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: instabilis est humana fœlicitas mortaliúmque successus οὐ βέβαιος ἀλλὰ ἐφήμερος, vt in Phænissis scribit Euripedes, id est, non stabilis aut certus, sed diei vnius. Cauete ne vos incantent malelicæ illę assentatorum voces: osculamini Ecclesiam obsecrò matrem vestram, diligite sponsum eius, honorate eius viscera, ne irascatur Dominus, & pereatis à via, breui exardescet furor eius. Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, Psal. 31. Multorum seruus est (inquit Ambrosius de Iacob lib. 2. cap. 3.) qui subiectus est vitijs. Vultis, vultisne vineam defœdare, quam maiores vestri vobis tot sudoribus, & tanto ardore amœnā reliquere? Quā fidei constantiā Christianæ, posteris testatam relíquere? Quid istud dedecoris est viri? Quis tántus rerum tumultus? Væ væ vobis qui ridetis nunc, quoniam lugebitis & flebitis, Luc. 6. Væ omnibus, qui ad scismaticorum speluncas, ab Ecclesia declinarunt: Propterea Manliana imperia respuite. Quis vos furor exagitat? Virum illustrem non faciunt opes, non vestis Tyriæ color, non frontis nota regiæ, non auro nitidæ trabes: Vir illustris est, qui posuit metus, & diri mala pectoris, Qui tuto positus loco, infra se videt omnia. Perpendite clarissimi viri præpotentes, nouissimæ diei inflexibilem, irregressibilem, immutabilem sentētiam, ineluctabilem vltimæ tubæ clangorem: Succurrat extremi iudicij seueritas, & non retractandæ illius sententiæ metuendum fulmen: immortales Titij

Matt. 16. 13. 25.

viuent inter incendia, & inconsumptibiles flammæ nudum corpus lambent. Ardebit purpuratus Euphrænomenus diues Megapenthes lætanter epulans, duxit enim in bonis dies suos, & ergo in puncto ad inferiora descendet, cuius finis pœna erit æterna: è diuersò Micillus, & miser Lazarita in illa die saluabitur. Non miserebitur vltra Deus, omnia sistentur iusta trutinanda bilance, neque tunc exaudiet pœnitentes, sera erit illa metanæa & confessio, cumq; clausa fuerit ianua, frustra carentes oleo acclamabunt exclusi: Ibi tum qui vestem nuptialem habuerint, perpetuò cum Christo regnabūt. Qui verò nuptias hasce vestium squalore deuenustarint, eos ligatis manibus & pedibus in exteriores tenebras deturbabit, vbi fletus perpetuus erit & stridor dentium: Qui parcè seminauerit, parcè & metet, 2. Corin. 9. Præstat igitur in præsentia castigari & purgari, quàm in examen futurum transmitti, vbi tempus erit iudicij nō purgationis, & si vitam quauis morte tristiorem degunt, qui lumen solis non intuentur, quid illos pati credendum est, qui luce diuina priuati sunt?

1. Corint. 3.
Esai. 13.
Esai. 66.
Iob. 21.

ti sunt? Messis tibi respondebit semeti: Si contractus parcusq; fueris erga proximum, talem & senties remunerationem: Amaritiem semi nasti, carpe manipulos eius. Coluisti truculentiam, habe tibi quod di lexisti. Execratus es pauperē, execrabitur te ille qui nostri gratia pau per fuit. Sapite ergo, iuxta est dies purgationis, & adesse festinant tē pora: Nescitque homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur ha mo, & aues laqueo, ita homines tempore malo, cum eis extemplo superuenerit: In operibus tuis memorare nouissima tua, & in æter num non peccabis. Quàm terribilis erit illa hora nouissima re solutionis? quantus pauor mentis? quanta tunc omnium malorum memoria? Quæ obliuio transactæ felicitatis? Qui hic plorauerit, cælestis patriæ ciuis constituetur. Auolabit spiritus ille vitalis illorum, & resoluentur in terram vnde prodierant, & ipso die mor tis peribunt omnia consilia eorum. Lauamini & mundi estote, au ferte malum cogitationum vestrarum, nihil adeo virtutem promo uet quàm recordatio peccatorum, iterum dico SAPITE.

Deut. 32. | Eccles. 9. | Psal. 145. | Esa. 1.

Vulpeculæ vineæ Dominicæ deuastatrices.

2. Pars anti-christicæ Ecclesiæ.

ABsoluimus primū membrū Antichristicæ synagogæ, super est vt iam discutiamus alterum membrū quod hæreticorū est. Αἵρεσις autem (vt D. Hieronymus vult, cuius verba celebrantur 24. quæstione 3. Hæresis) electio dicitur Græcis, ac proinde quisquis diuersum à communi totius Ecclesię sensu, quod doceat, eligit, is me rito censetur hæreticus, secat enim sua electione seipsum ab ortho doxis, hoc est, ab ijs, qui cum Ecclesia rectè sentiunt: venitque à ver bo Græco αἱρέομαι, quod Latine sonat eligo. Iuxta Origenem hæreti cus est nobis habendus omnis ille, qui Christo se credere confitetur, sed aliud de veritate Christianæ fidei credit, contra definitionem tra ditionis Ecclesiasticæ, quæ consensus societatis Ecclesiasticæ est. HAE RETICVS est (inquit Augusti. in lib. de vtilitate credendi) qui ali cuius temporalis commodi, & maximè gloriæ principatusque sui gratia, falsas ac nouas opiniones vel gignit vel sequitur. Facit au tem pertinacia hæreticum, non error: cuiusuis est hominis (ait Cice ro, Phil. 12.) errare, nullius nisi insipientis & beluini in errore per seuerare. Scismaticus verò est, quicunque recusat subesse Ecclesia sticæ hierarchiæ capiti, quicunque secedit à principali cathedra, vt tunc Mosaica, ita nunc Apostolica. Et sicut lepra est multicolor, sic & hæreses sunt variæ.

Hæreticus quis. | Scismaticus quis.

1. ACEPHALI.
2. AETIANI. } hæreses illas alibi discussimus.
3. VIGILANTISTAE.

4. PETROBRVSIANI hæretici,ante 400.annos.Negabant veritatem corporis Christi in Eucharistia, negabant sacrificium Missæ.Contradicebant(cum Celestino & Iuliano)horis canonicis.Demoliebantur Christi & diuorū Eiconas.Ita infelix ille veterator, ex quo è cælo per Christon exturbatus est, nunquam destitit sponsam Christi fatigare: Semper enim ab initio capitalis ille accusator generis nostri fuit:nec vnquam ingenitum in nos odium mutat.

Recrudescunt illæ hęreses nostra tempestate.

5. ANTIDICI,seu Antidicomarianitæ Mariemastiges: S. Mariā (quam Iesaias Haalman vocat)dominam & reginam cæli negant. Ipsam sanctam virginem (quæ nobis generis humani satorem & Sotera 8.Calend.Ianuar.peperit) Hariam, hoc est,instar fimi vilem ambubaiā circulatricem(ô dedecus)blasphemantes, contra Turcarum Alcoranum,qui Mariam omni laude dignissimam pronūciat. Ex vnico vocabo, donec, initium sumpsit execrāda hæresis.Nec erubuere hac nostra tēpestate recentiores Antidici,Mariā cōparare peccatrici,&Syrophenissę.Hos impios conatus repressit 5.Synodus Cōstātinopolitana,habita iussu Vigilij PP. S. Mariā θεοτόκον declarans.

Luc.7. Matth.15.

6. AERIANI sordiduli mammonistæ:Pro defunctis vetant sacrificium.Stata Ecclesiæ ieiunia impugnarunt,vide Augusti. lib.de hæresibus,cap.55.

7. BASILIDES.

8. DONATVS, natione Apher:contra quē decertauit circiter annum 329.B.Augustinus.Dicebat impiè Filiū Patre minorē,& Filiū Spiritu sācto maiorē.Catholicos rebaptizauit.Idē hęreticus dicebat Christianū nomē de tot gētibus in orbe terrarū perijsse, & in Aphrica solū, contra id quod dixit Dominus,Marci 16. Euntes in mundū vniuersum:& more hæreticorū, cū veritate vrgebātur Donatistæ, dicebant Patres errasse.Malebant seipsos vel gladio vel præcipitio, desperatione sanè obstinatissima interimere, quàm vlla ratione, authoritate,aut cōcilio ad Ecclesiæ fidem reduci: Tales itaq; deuitare, tanq̄ proprio iudicio condēnatos iubet Apostolus, ad Titū 3. Plura de Donatistis August.contra Epi.Parmeniani,lib. 2. cap.1. & Epist. 47.Donatisticos sacrilegos acerrimè confutauit.Optatus Apher Mileuitanus Episcopus,li.6.cōtra Parmenianū. Ex Donati schola prodierūt:Montēses,Rogatiani,Circūcelliones,& id genus mōstra alia.

9. IOVINIANISTAE,circiter annum 388.de illis suprà.

10. PSALLIANI,Ex scripturis perperam intellectis moti horas canonicas

nonicas preces vanas proclamabāt, vide Aug. lib. de hęresib. ca. 57.

MANICHAEI, de illis alio in loco. 11.

AVXENTIVS (à quo Auxentiani) irrequieta rana & Pseudo-logus. Ecclesiam imperio subijcere voluit, & propterea in Acheronta immersus. Hęresis illa se extulit stygijs vndis, circiter annū Christi 368. sub Valentiniano imperatinore. 12.

FRATICELLI
BERENGARIANI } vide supra. 13.

LAMPERIANI, dānarunt vota, id quod & Vuicclessus & con sectarij fecere. 14. 15.

BVSTIRAPAE, ne in tēplis quidē beatorū reliquijs pepercere.

FELICIANI. 16.

ALBIMONTANI, scholasticā theologiā sub noīe Papę vnà cū sacra mētis Ecclesiæ & salutaribus disciplinis, funditus extirpare nisi sunt. 17. 18.

CATAPHRYGES, Montani, Priscę & Maximillæ errorem sequentes, aduentum sanctispiritus non in apostolos, sed in se latitasse mēdaciter gloriabāt: Similes illis qui hodie se ecclesiā mētiūtur, &c. 19.

HVCVSQVE DE HAERESIBVS QVAE NOSTRA tempestate recruducere, plures omitto.

ANVTIANI, S. Trinitatem negarunt esse vnius substantiæ. 1.

ALOGI, hi λόγον, id est, verbum Dei, non credunt, respuerant enim S. Ioannis Euangelion. 2.

ANTHROPOMORPHYTAE, de illis supra.

APPELLITAE & Montanistæ: tradebant Christon per phantasias visum fuisse hominibus, Euseb. lib. 5. cap. 15. & 18. Fingebant etiam Prophetas contrario spiritu fuisse inspiratos, & ideo contraria dixisse, Prophetias esse falsas nihilq; in illis esse veritatis. Emersit hæresis circiter annū Christi 195. adijciūt alij annos 32. sub Marc. Ant. 3. 4.

APOLLINARISTAE, de illis supra. 5.

ARABICI, futiliter ganniunt, animam & corpus simul mori, & simul resurgere. 6.

ADAMIANI seu Adamitæ: Nudi cum nudis fœminis ad sacra conueniebant, hac scilicet specie, Adam & Euam adhuc innocētes è paradiso nobis repræsentantes. Et tamen ijdem nuptias auersabantur. Dicebant etiam, cæteros homines seruos esse, se verò & suos liberos. Emersit hæresis, circiter annum Christi 1344. Alij ad tempora Sigismundi Romanorum regis irrepsisse existimant, vide Aeneam Syl. lib. De Origine Bohemorum cap. 41. Scribit inter alia Sylvius Pius 2. dictus, se audiuisse ex Vlrico Rosensi præstanti Regulo, quum ageret in Bohemia, fuisse apud se viros & mulieres 7.

eius sectæ captiuos, & mulieres palam dixisse, non esse liberos, qui vestibus, & præsertim femoralibus vterentur, easq; in carcere apud se peperisse, quas cum anno elapso, simul cum viris igni tradidisset, ridentes cantãtésq; flammarũ incẽdia pertulisse, ô detestãda insania.

8. ARRIANISTAE.
9. EVNOMIANI.
10. MACEDONIANI.
11. CERDONIACI.
12. EVTYCHIANI.
13. NESTORIANI. } vide supra.
14. VALENTINVS.
15. PELAGIVS.
16. PSAMOSETANVS.
17. NOVATVS.
18. PRAEDESTINATI.

19. EVCHETAE, asserebant Eucharistiã neq; prodesse neq; obesse.

20. ARTOTIRITAE, panẽ & caseũ in sacrificio obtulerunt, dicẽtes: à primis hoĩbus oblationẽ à fructibus terræ & ouiũ fuisse celebratã.

21. BARDESANISTAE, garriunt Christon cæleste corpus habuisse, nec assumpsisse carnem ex Virgine.

22. BONOSIACI, finxerũt Christũ filiũ Dei adoptiuũ nõ ꝓpriũ fuisse.

23. BORBORIANI siue Gnostici, animæ substantiam partem Dei esse existimarunt.

24. CARPOCRATES (à quo Carpocratitæ monstruosissima hydra) Christum nõ ex Maria virgine, sed ex semine Ioseph purum hominem natũ docuit. Virum quidem bonum & sanctum fuisse affirmat, cuius anima post crucifixũ corpus in cælum sit recepta, Euseb. 4. cap. 7. Emersit hæresis circiter annum salutis 163.

25. Aug. lib. de hæresib. ca. 64. HYDROPARASTAE siue Aquarij, in sola aqua sacrificium peragebãt in calice Sacramenti: cõtra ARMENIOS, qui in solo vino, vide Canones concilij Constantinopol. 7. Quòd extra vinum non fiat consecratio sanguinis, statuit cõcilium Antisiodorense, ca. 8.

26. CATHARI, è munditia quam mentiebantur, καθαροὶ dicti sunt. Gloriabantur suis meritis, peccatorum veniam negarunt. Viduas denuò nubentes damnabant.

27. HIERARCHITAE, omnes carentes homines meritis è regno cælorum excludunt, & ergo paruulos damnant. Hierarchitarũ meminit Hilarius lib. 6. de Trinit. Emersit hęresis circiter annum 195.

28. CIRCILLIONES seu Scotopitæ, Christon filiũ Dei (Bonosiaci hære-

hæresim sequentes) adoptiuum, non proprium esse, finxerunt.

CIRCVMCELLIONES, insano amore martyrij, seipsos interimebant, vt vocarentur martyres, vide Augustinum Epistol. 68. de immanitate Circumcellionum. 29.

COLATIANI, negarunt Deum posse facere mala: contra illud quod scriptum est, Esai. 45. Ego Deus creans mala, id est, bella, &c. Et Amos 3. Si est malum in ciuitate, quod Deus non fecerit? 30.

EBIONITAE (aliàs Sabbathizarij) à quodam Ebione nomen traxere. Christum ex viro & muliere purum hominem natum docuerunt: Enanthropesin illam IESV CHISTI filij Dei reijciunt. Verùm quis tâtam blasphemiam non abhorreat & execretur? quamuis & inter recentiores apostaticos quosdam esse audio, qui idem affirment. Quid enim in tanta hominum licentia non fit? Simili modo Aegyptij Deum belluam animatam finxere. Iidem Ebionitę, legem Mosaicam necessario seruandam esse statuerunt. Compellebant Christianos per legalium obseruationem iudaizãρ: & per hoc asserebant non nisi in azymo fieri consecrationẽ: ad huius hæreseos confutationem S. R. Ecclesia in fermentato consecrauit. Hæresi autem hac extincta, ad priorem ritum rediit celebrandi in azymo, quẽ & nunc tenet, cui & quilibet sacerdos se conformare tenetur. Iidem hæretici, vocant fortem fidei agonistam apostolum Paulum, apostatam legis: cuius epistolas quoque rident. Iren. lib. 1. aduers. hæres. cap. 26. Hebionitarum (quos Ignatius vocat diabolicos homines) meminit Hilar. lib. 1. de Trini. Emersit Ebionismus (dira illa pestis) temporibus Ioannis Euangelistæ, qui se huic hæresi fortiter, tanquam aheneus murus, opposuit. 31. Anno 84.

SABELLIVS, Pentapolitanus patria, quem etiam ab hæreseos occasione Patripassianum vocant. Is personarum proprietatem confundens, filium Dei negauit fuisse Christum, nec primogenitum omnis creaturæ. Idem Sanctispiritus omnem sustulit intellectum, Euseb. lib. 7. cap. 4. & 5. Hilar. lib. 5. De Trinita. Atque vt paucis dicam, Vnicam personam, Patri, Filio, & Spirituisancto adscribunt. Vide Platinam in Syluestro. Damnatus autem est Sabellius in concilio Alexandrino, vbi de tribus hypostasibus diuinis decretum est. Circiter annum Christi 256. hæresiarcha hoc suum pestiferum dogmà consuit. 32. Sabelli insania quæ.

POLYCHRONIVS, maximæ insaniæ hæresiota: voluit suscitare mortuum, in sui falsi dogmatis testimonium, sed sua falsa spe defraudatus & illusus est, vide acta Concilij Constantinopolitani 6, sessio. 15. &c. 33.

34. HELVIDIVS, discipulus Auxentij, Marięmastix Marianæ virginitati detrahens, impiè dixit. Christiparam virginem matrem Domini, 4. habuisse filios & filias ex Iosepho. Extulerunt Antimariani Heluidianistæ ex Erebo caput, circiter annum Christi 388.

35. ETINODIANI, theotocæ nomen Mariæ blasphemātes, ipsam sanctissimam matrem Domini, virginem ante partum, non post partum, improbè dixere.

36. FLORIANI, finxerunt Deum creasse mala, contra illud quod scriptum est, fecit Deus omnia bona: Eadem lepra etiam infecti fuere MARCIONITAE (vnde Manichæi, Lucianistæ, Appelliani, & Serueriani hæretici, profecti sunt) creaturas corporales malo genio & ipsi tribuentes, contra scripturam, Omnia creauit Deus simul, Ecclesiast. 18. Simili insania iidem Floriani (cum Alogis) librum Apocalypseos repudiant: contra quos scripsit Irenæus, vt confirmat Eusebius Eccles. histo. lib. 5. cap. 20.

Marcionitæ

37. LVCIFER, Caralitanus patria, à quo Luciferiani, infernalis Luciferi (quem Rhadamantum fixerunt fuisse Poëtæ) victima opima. Is sola ambitione motus suam hæresim populo obtrudit, inquit Augustinus. Luciferianistis restitit S. Hieronymus Bethleemitis: emersit circiter annum 340.

NICOLAITAE vel Nicolaini, impudentes & libidinosi priapistæ, quibus vxores erant communes promiscuo concubitu: Iezabelem illam Apocalypticam (quæ aliàs regi Achab nupsit) huic sectæ comparat Aretha Cæsariensis. Fuit Nicolaus ille vnus de 7. diaconis qui in Actibus Apostolorum electi sunt. Cuius Nicolai meminit Tertullia. De præscript. hæret. in hæc verba prorumpens. Hic (Nicolaus) dixit tenebras in concupiscentia luminis & quidem fœda & obscœna fuisse, ex hac permixtione pudor est dicere quæ fœtida & immunda sunt, & cætera obscœna. Omnes enim refert quosdam turpitudinis natos, & complexus & permixtiones execrabiles, hæc Tertullia. Vide plura in Irenæo Lugdunensi Antistite libr. 1. cap. 27. Euseb. in Eccles. histor. 3. cap. 29.

38. PETILIANISTAE, Beatitudinis promissionem Petro factā, specialiter, ad singulos Apostolos æqualiter contulerunt: & sic Iudas qui inter 12. iā receptus & annumeratus, & cū reliquis ad prædicandum iam missus fuerat, palmam obtinet. Docent etiam idem hæretici, eos qui se pro peccato interimunt debere martyres nuncupari, pro eo quòd puniunt in se, quod dolent commisisse, contra quos extant aliquot D. Augustini tractatus.

39. CERINTHVS, ab alijs, Cheritus vocatus, à quo Cerinthiani dicti;

dicti: Circuncisionem necessariam esse docuit. Idem, cum Nepote Aegyptio post 1000. annos futuram resurrectionem, & regnū Christi in terris adseruit: vnde à Græcis χιλιασὴς nuncupatus est. Actus apostolorum contempsit: Euangelion Matthæi solùm recipiens, alios tres Euangeliographos, teste Philastro, cachinno excepit, Euseb. lib. 4. cap. 14. Ruina domus oppressus Traiani tēpore, vnde Hireneus inquit. Et sunt adhuc etiam nunc, qui audierunt ab ipso, scilicet Polycarpo, quòd Ioãnes Apostolus discipulus Domini apud Ephesum, cum balneas lauandi gratia fuisset ingressus, & ibi vidisset Cerinthum, exiluit continuo, & non lotus discessit dicens. Fugiamus hinc, ne & balneæ ipsæ corruant, in quibus Cerinthus lauat, veritatis inimicus.

PHOTINVS, Christi diuinam natiuitatem negauit, eumq; natum penitus ex Maria docuit, id quod & Hebionitæ finxere, vide Hist. trip. lib. 5. ca. 5. Nos autē Euangelica lectione instructi, credimus quia IESVS CHRISTVS est filius Dei, in vna eadēq; psona, perfectus Deus, perfectus & homo, Deus ante tempora, homo ex tēpore: Deus ex patre, homo ex matre. Photiniana illa pestis, in concilio Syrucij congregato, anathemate percussa est, Hist. trip. 2. cap. 30. Emersit hæresis circiter annum Christi 340. adijciunt alij annos 34. 40.

IACOBITAE, irrepserunt in orbem è Syria. Candenti ferro characterem crucis frontibus baptizatorum inurunt & rudiculant. Hæresœs huius ansam sumunt ex verbo Ioannis dicentis. Ipse verò baptizabit vos aqua & igni. Sed non satis attendunt pseudapostoli, quòd Ioannes dicit Christon baptizare igni, non hominem, cui baptismus saltem aquæ creditus est. Eadem sentiunt cū Iacobitis MAROVINI. Docent quoque Iacobitæ hæretici non esse necessarium confiteri sacerdoti, sed sufficere soli Deo peccata confiteri. Paruulos adhuc ad vbera pendentes sub vtraq; specie communicant, sicut & Græci & Bohemi, &c. 41. Marouini.

AVDAEVS, Syrus natione. Deum humana mēbra habere existimauit, quod & Antropomorphitæ credidere. Theod. 4. ca. 10. irrepsit lepra anno 388. 42.

HELCHESAITAE, fidem in persecutione negandam docuerunt. Sancti Pauli Epistolas, & alia quædam à spiritusancto tradita negarunt. Hanc hæresim deuicit Origenes, Euseb. 6. cap. 38. Prosersit hydra circiter annum Christi 239. temporibus Decij, & Fabiani PP. 43.

MESSALIANITAE, prorsus ἄθεοι. Carnem Domini, nec pro- 44.

 desse,

desse, nec obesse docuerunt, ἐνχῦται se mentiti sunt. Theo. 4. cap. 11. circiter annum 367.

45. ARMACAN holophanta, anno 1350. Docuit turpe esse Christianis sua sponte mendicos esse. Vola. 21. in Ord. Franc.

46. ALBIANI, corpus Christi in pane, vt in alijs rebus esse, censuerunt. Creuit hæresis in comitatu Tolosano, anno 1216. Aemil. libr. 6. Albianorum hæresim sui ingenij acrimonia S. Dominicus fortiter prostrauit, Blond. lib. 7.

47. SIRENVS, tres naturas & principia finxit.

48. MONOTHELITAE, de illis alio in loco.

49. BERILLVS. Bosternæ vrbis in Arabia Aposcopôs verius, Christum non ante carnis natiuitatem fuisse, & Patris deitatem in eo tantùm habitasse, impiè asseruit. Berillum deuicit Origenes, atque ad sanctam matrem Ecclesiam reduxit, Euseb. lib. 6. cap. 21. & 33. emersit circiter annum Christi 214.

50. TATIANI seu Enclatitæ & Albanenses. Nuptias illicitas esse dicentes, fœdera nuptiarum (anno Domini 126.) damnarunt. Tatianus vir doctissimus fuit, quādiu ab opinione Iustini martyris, præceptoris sui, non discessit.

51. OPHITAE, Serpentem venerabantur pro Christo, vnde & nomen illis attributum, nam ὄφις serpentem sonat.

52. SEVERIANI, vinum non bibunt, carnes fastidiunt, vetus testamentum ac resurrectionem nōn recipiunt.

53. PRISCILLIANISTAE, cum Manichęis præpostero ordine festiuis diebus ieiunabant. Vide D. Leonem Epistola 93. ad Turbium, cap. 4. Docent præterea Priscillianistę, Animas eiusdem naturę & substantiæ esse cuius est Deus. Astruunt fatalibus stellis homines colligatos, ipsumq; corpus nostrum secundū 12. signa cæli esse compositum, constituentes in capite Arietem, Thaurum in ceruice, Geminos in humeris, Cancrum in pectore, & cætera nominatim signa percurrentes ad plantas vsque perueniunt, quas piscibus tribuunt. Hæc & alia fabulosa, vana, sacrilega, quæ persequi longum est hæresis ista contexit.

54. OREBITAE, è Bohemia exierunt. Cuius sectę homines, quoties sacerdotes catholicos intercepere, aut igne cremauerunt, aut nudos rigente hyeme super glaciem colligatos dimisere. Quos parui momenti existimarunt, desectis virilibus, abire permiserunt: Emerserunt hæretici tempore Martini 5. PP.

55. CAINI, Cain parricidam & Iudam proditorem inter pręcipuos habebant sanctos.

NAZARENI,

NAZARENI, de quibus Actor. 24. Christon filium Dei de Maria natum credunt, passum etiam & resurrexisse, sed dum volunt Christiani esse legem Iudaicam commiscentes Euangelio, vtrunque confundunt, & neutrum sunt, Beda ibidem super Lucam vt supra. 56.

TESSERESCAEDECATITAE, hoc Latini Quartodecimanos appellant, id est, qui quarta decima luna primi mensis, cum Iudæis Pascha celebrant: condemnati sunt in concilio Laodicensi, circiter annum Christi 364. &c. 57.

MELCHISEDECHIANI, dicunt ipsum Melchizedeck non fuisse hominem purum, sed fuisse Christum, aut aliã quandam Dei virtutem. 58.

PATERNIANI, inferiores partes humani corporis non à Deo, sed à satana factas opinantur. 59.

HERACLITAE, resurrectionem carnis negant, paruulos ad regnum cælorum non pertinere hallucinantur. 60.

DISCALCEATI, isti non intrãt loca sancta, nec locũ orationis, nisi sint discalceati: de quibus Augustinus libro de hæresibus. 61.

ALBIGENSES, Corporũ resurrectionem negant, defunctis nihil prodesse dicũt, nec orationes, nec sacrificium, nec oblationes quæ à viuis pro illis fiunt. Sacramentum eucharistiæ blasphemant, duo credunt cum Manichæo principia, Deum bonum, & Deum malũ, illis hæreticis restitit S. Dominicus. 62.

PEPVZIANI, tantum mulieribus dant principatum, vt eas sacerdotio honorent dignenturq;. 63.

VALESII, non solum seipsos castrabant, sed etiam eos, quos hospitio recipiebant, credentes sic Deo se debere seruire, Augustin. lib. de hæresibus, cap. 37. 64.

VADIANI, Execrantur Episcopos diuites: Pascha cum Iudæis celebrant: Deum corporalibus liniamentis figuratum effutiunt. 65.

RHETORII, docent omnes hæreticos recte ambulare, & vera dicere. 66.

SELEVCIANI, & Hermiani, dicunt materiam elementorum ex qua factus est mundus non esse factam à Deo, sed esse Deo coæternam. 67.

TVRRELVPINI, Docebant de nulla re quæ nobis est à natura donata erubescendum esse. Docent quoq; non vocaliter sed mentaliter orandum, &c. 68.

ALMARICI, Anno 1204. dicebãt nullũ esse infernum, sed qui habet peccatum mortale, illum finxerunt habere infernum in se. 69.

ANTHIASISTAE, huius hæreseos ꝓdromi fuere, Dadoes, Sabas, 70.

bas, Adelphius, Hermas, & alij. Somniorum phantasias Prophetias appellant. Auersantur operationem manuum velut malam. Dicebant diuinum cibum nihil nec prodesse nec lædere, &c.

Item.

71. Agnoetæ.
72. Contobabditæ.
73. Melchitæ.
74. Mosbotheni.
75. Psathyriani.
76. Dimeritæ.
77. Maxiministæ.
78. Calixtini.
79. Hermogeniani.
80. Sagarelli.
81. Herodiani.
82. Massiliani.
83. Hemerobaptistæ.
84. Baldenses.
85. Chiliastæ.
86. Encratitæ.
87. Menandriani.
88. Nyctages.
89. Choitæ.
90. Patriciani.
91. Sethiani.
92. Saturniani, Euseb. 4. ca. 6.
93. Theodosiani.
94. Tertullianistæ.
95. Campates.
96. Tritothei.
97. Pauperes de Lugduno.
98. Garasij.
99. Pateroni.
100. Menandriani.
101. Albati, anno 1399.
102. Arnoldistæ.
103. Speronistæ.
104. Artemonitæ.
105. Hellinistæ.
109. Corinthiani.
107. Sephandriani.
108. Setheiani.
116. Hermani.
110. Catiani.
111. Archontici.
112. Melitiani.
113. Metanchisinobitæ.
114. Pattalorinchitæ.
115. Proclionitæ.
116. Astitæ.
117. Colutiani, &c.

118. Anno Domini 1047. & circiter, in Goslar emersit (scribit Hermannus contractus) hæresis. Hæc omnis animalis esum execrabatur, Nanichæorum sectæ species.

119. Anno Domini 1512. extitere hæretici turcis turciores; qui dixerũt animã esse mortalem, & vnicam in cunctis hominibus. Sic Anaxagoras, Epicurus, & Lucianus, suos Deos negarunt, & animam mortalem constituere. &c. Hanc hæreticam insaniam Leo 10. PP. in Lateranensi concilio anathemate percussit: Omne enim hæreticum deliramentum explodendum est ex Ecclesia, & quæ in herbis necantur non facile erumpunt.

120. Eberhardus V viedense, apostata Halberstaten. versutissimus Pyrandrus. Is, quamuis concedat peccatum Originale, tamen blaterat,

rat, incertum an baptizatus puer moriens saluetur, cum nihil certi constet de huius fide, quod si fidem non recipit, filium iræ & damnationis iudicat.

Faustus hæreticus, negauit sensibilia tēpla, altaria, incensa, simulachra & sacrificia, ea sola posuit in cælestibus. Augustinus lib. 20. cōtra eundem. 121.

Christopherus Schaplerus, 12. articulos conscripsit de libertate Christiana, inter quos hic erat præcipuus, Tributa non esse pendenda magistratui. Emeriit grata Lutheri soboles nostra ætate. 122.

Hermannus Kissuich Holandrinus. Docuit, animam post hominis mortem simul cum corpore perire. Hanc quoq; hæresim D. Augustinus libro de hæresibus 83. cap. 12. impingit Arabicis. 123.

Seruetus, Negauit Spiritum sanctum, exustus est anno 1553. sub finem Octobris. 124.

Anno Domini 1218. Vvaldenses irrepserunt. Iuramentum negant, & omnes ferè sanctiones S.R.E. vide Aeneā Sylui. cap. 35. &c. 125.

Pighardi, sancto religionis negocio obstrepentes, in Eucharistiæ sacramento nihil diuinitatis esse credunt: verè proditores Ecclesiæ non oues. Iidem hæretici, Ecclesiam catholicam in angiportū Bohemiæ includere præsumpserunt: Festa diuæ Mariæ virginis respuunt. Dies tamen Dominicos, & festum Natalis Dominici, Paschæ, & Pentecostes, vel in hac re prudentiores recentioribus Hussitis, celebrant. 126.

Nicolaus Galecus, Bohemus natione, missus ad concilium Basiliēse: Docuit nullum hominem posse iustè occidi, etiamsi id ex iudicis præcepto contigerit.

Anno Domini 1543. In Frisia surrepsit nouus quidam pseudopropheta, nomine Georgius Dauid, μοιχὸς μαχόριος, & leipopsychia seu syntexi atq; leipothymia infectus. Is se Dei nepotem finxit. Asserebat cælum omnino esse vacuum, se autem ad id missum, vt filios regni cælestis hæredes adoptaret: & alia multa planè absurda blaterans. 127. Id est, Mocybo . . . tios.

Mathias Flaccius Illyricus, à quo Illyricani (quos P. Melanthon ψευδηλίτας appellat) dicti: A placitis Lutheri, siue bona illa, siue mala fuit, penitus non recedendum arbitratur, &c. 128.

Anno Domini 1538. Prodijt secta eorum, qui dicuntur Antinomi, Legem neque ante, neque post iustificationem indicant necessariam esse. Quanquam Lutherus ipse eius sectæ primus autor fuit, vt ex varijs eius scriptis ostendi potest: Posteà tamen cùm Islebius idem asserere cœpisset, edidit multas disputationes in contrariā partem. 129.

Anno

130. Anno Domini 1553. cœptum est agi de sacra παλιγγενεσία, in Rau-
ricorum vrbe Basilea. Res certè omnino mundo ridicula & Pytha-
goricæ doctrinæ affinis. In eadem Basilea visus est qui genium Petri
apostoli ducem se recepisse affirmarit. Et alius in eadem vrbe Impe-
riali, se Moseos angelum habere mentitus est. Simili insania Py-
thaghoras, animam Euphorbi Troiani se possidere inaniter dixit.
Sic & Ennius de anima Homeri sese iactitabat. Sic anno 433. Iu-
dæus quidam se Mosen esse petulanter asseruit, Soc. 7. cap. 38. Sic
Druides. etiam Druides ille Pythagoristæ, animas in alia corpora euolare fin-
xerunt. Et Iulianus ille apostata, Alexandri animam se esse sortitum
cæteris persuasit. Lege de Druidis Ammianum 13. libro, & 6. com-
mentario Cæsarem, capite vltimo 16. libri Plinium. Sunt qui Driu-
das, non Druidas vocent, &c. Sed nihil ad nos neniæ hæ, testam con
glutinat qui stultum docet: Neque vox in piscibus, neque virtus in
hominibus imperitis quærenda.

131. Anno Domini 1373. Ghorizantium secta emersit.

132. Simoniani sequuntur seu Giezitæ, Collybistæ seu Simonistę. Bo-
na temporalia pauperum malunt sibi conseruare, eaq; inutiliter dila
pidare, quàm erogare pauperibus, qui vbi callosa pedum vestigia
sistant non habent. Simoniam autem is exercet, qui gratiam spiri-
tualem pecunia vel vendit vel vult comparare: Quod cum fit & ille
vtique qui vendit & ille qui emit eadem sententia plectuntur, quia
eiusdem reatus culpæ obnoxij comprobantur: Et constat, propter Si
Proxeneta seu propola quis agat. moniã destructam esse Hierusalem. Crimen omnium nocẽtissimum
& pessimũ. Huius nefariæ impietatis caput & principiũ Simon ma-
gus (an. 53.) fuisse perhibet. Is accepto simulate baptismate, primus
Tertullia. lib. de hæresibus. omnium Christianã religionem labefactare conatus est: Spiritus san
cti gratiam volebat à D. Petro mercari: A quo Simoniaci, qui & e-
munt ipsi, & alijs eam indies venalem exponunt: Perniciosum equi-
dem genus hominum in Ecclesia. Vtinam hodie non essent qui Gie-
ziana corriperentur Elephantia, Multos quidem canones habemus
& leges Papales, in eos qui spiritualia emunt aut vendunt, quiue cor
Tanti reuẽdas, quanti emisti. poralia in Ecclesia comparando cum eis & in eis spiritualia emunt,
Paucos verò (vt dici solet) executores earundem, & nos ansam huic
malo damus, qui scientes indignos, indoctos, improbos, contra om-
nem naturalis iuris rationem pluribus donamus. Væ mundo à scan-
dalis: Vigilate ergo, scriptum enim. Maledictus qui facit opus Domi
ni fraudulenter.

VVICCLEFVS auus Lutheri, circiter annũ Domini 1393. ex
Anglia irrepsit in Bohemiam. Nebulo iste, à Christi vicarijs & ab
apostо-

apostolorum successoribus, potestatem clauium ad laicos transtulit. Idem, in sola Anglia Ecclesiā somniauit. Post Vrbanum sextum non esse aliquem recipiendum in Papam finxit. Diabolo Deum obedire debere edixit. Negauit confirmationem esse sacramentum, quod & Lutherus in libro de potestate Papæ negat. Articulorum sunt 45. In sessione octaua Constantiensis concilij anathemate per=cussi.

In hunc catalagum etiam ponendus Ioannes Husz (combustus & incineratus authoritate imperiali, ac seculari potestate, an=no Domini 1415. die 8. Iulij,) filius Vviclefi & pater Lutheri, ponendus est. Sed audiamus breuibus Schuermerianū tumultum & vertiginosum Hussitarū commentū. Hi sanguinis sacramentum popularibus omnibus & infantibus cōmunicant. Romanū pontificē reliquis esse æqualem episcopis, & non maiorem asserit. breuiter, Romam acephalam esse laterat, montem Libani veritatis caput proclamat. Preces pro defunctis in Ecclesia respuit, & paradosin, immeseri=corditer irridet, atque vt paucis dicam, Purgatorium negat. Simulacra & imagines cum Dei tum sanctorum delendas censet. Factitias mendicantium religiones dæmones inuenisse garriūt Hussitæ. Cate=chistas omneis pauperes esse debere (ipsi Iro pauperiores, scilicet) mēdicitate viuere, & eleemosyna sola contētos fingunt, cōtra illud quod scriptū est: Dignus est operarius mercede sua. Confessionē auricula=rē nugacē mentiuntur. Nihil opus esse operibus satisfactorijs. Solā fidem iustificare, nec referre cuiusmodi sint opera hominum. Matri=monium sacramentum negant. Iustum in omni opere bono peccare blaterant. Characterem in sacramento aliquo imprimi subsannant. Machabæorum libros autenticos reijciunt. D. Iacobi epistolam, quasi stramen fabaceum rident. Cæmiterij inanem vsum es=se garriunt. Sacerdotem quocunque loco posse celebrare excogi=tant. In horis canonicis tempus frustra conteri: Ieiunia nullius esse meriti, & sub vtraque specie communicandum, fingunt, &c. Arti=culorum sunt 30. Atque vt vnico verbo complectar, stramen Am=brosiæ præfert dira illa pestis contagiosa. Maximæ sapientiæ personā ac titulum sibi vendicant Hussitæ, sed reuera καὶ ἐν τῇ πορφύρᾳ πίθηκοι, καὶ ἐν τῇ λεοντῇ ὄνοι. Bone Deus quot sectas Aquilonica illa archisecta quotidie parturit? Si in veteri lege, Numero. 19. Omnis qui tetigisset humanæ animæ morticiniū, tabernaculum Domini pol=lucrat, quanto magis Ecclesiam Christi polluet, qui somniorum suorum cadauera ingesserit? Quas tragædias suscitarint Hussitę, scriptores historiarum locupletissimè demonstrāt, Bohemia experta

Id est, & in purpura simii, & in pelle leonis asini.

133.

est, Hæreseon nostrorum temporum quis finis futurus sit, Deus (scrutator cordium) nouit: Experientia rerum omnium magistra docet. Nam solent factiones contagione serpere in vicinos, vt rectè dixit Poëta Satyricus.

Grex totus in agris.
Vnius scabie cadit & porrigine porci,
Vuaque conspecta liuorem ducit ab vua.

135. Nec excludendi sunt ex hoc numero, recentiores nostri Angelici, Apostolici, Dulcinistæ, & Euāgelici supplantatores & Milesij: ita de verbo gloriantes, vt omni petulantiæ cooperculum esse oporteat. A quibus nos dehortatur Dominus.

Obseruate illos falso qui nomine vobis
Insidias faciunt, appellanturque prophetæ.
Hos ouium species vestit, sed sæua luporum
Pectora fraude tegunt, &c.

Et alius canit.

Ne pura explicitæ credas sub imagine fronti,
Raptorem occultat pellis ouina lupum.
Exteriora gerit qui simplicis ora columbæ,
Interiora vafræ pectora vulpis habet.

Scimus (inquit Paulus, 2. Corin. 11.) Satanam sese transferre posse & mangonizare in effigiem lucis, exemplum habemus, Math. 4. Hi inquam cacangelici sub Euangelij plausibili titulo, moliuntur ea, quæ ex diametro pugnant cum Euangelio. Sic Celsus philosophus libro suo contra Euangelion conscripto. nomen fecit, Verum Sermonem. Sic Simon magus appellabat seipsum virtutem Dei. Paulus Samosetanus, se Spiritū sanctum sanctimonia æquare dixit. Sic Saducæi Hebraicè se zedukim, id est, iustos appellabant. Eundem in morē Marcionitæ & Valentiniani, se orthodoxos dici voluerunt. Sic Nouatiani se catharos, hoc est, puros vocarunt, cæteros omnes impuros. Sic Arriani, cunctos orthodoxos criminabantur, tanquam fidei scripturarumq; peruersores, &c.

Vetus delirium inuoluens tectū.

Cauilli remotio.

Sed viri docti sunt (ais) recentiores nostri dulcinistæ, largiflui in pauperes, aliena non rapiunt, neminem traducunt, mites, & quid non? Responsio, Docti fuerunt Pharisæi, sed homines nequam. Doctus Apollinaris, cuius eruditio tanta erat, vt etiā omnium doctorū pias doctrinas exibilaret. Sic Fortunatus, suæ eruditioni haud vulgari confidēs, Augustinū ad disputationis cōflictū, maximo fastu & audaci proteruia, etiā corā notario prouocabat. Sic Theodorus magni inge-

ingenij vir, quatuor Euangelia elegantia & facundia singulari inter-pretatus est, sed Arriano mucore defœdata. Eunomius emūctæ naris homo, in Pauli Epistolam ad Roma. septem tomos congessit, sed hæretico dogmate infectos. Magnæ sagacitatis hæreticus Iulianus, quatuor libris Diuum Augustinum aggressus est, sed Pelagianorum illos polluit pedore. Nónne magnæ industriæ erat Gaudentius Donatista, & Felix Manicheus multæ lectionis & expertus: Pascentius quoque Arrianista in sacræ paginæ libris exercitatus, qui multum laboris D. Augustino disputando fecerunt? Doctus Tatianus in Græcia, sed improbo ausu nuptias damnabat. Et quid prodest esse doctum, & hæresibus addictum? Doctior Satan omnibus filijs mundi, tamen æternaliter damnatus. Hinc Paulus rectè loquitur, cum ait. Non enim iudicaui me scire inter vos aliquid, nisi IESVM Christum, & hunc crucifixum. Doctus est qui Christum sapit, desipit qui mundanam sapientiam amplectitur. De inflatis illis mūdi sapientibus, loquitur Dominus dicens. Perdam sapientiam sapientum & prudentiam prudentium reprobabo. An non habet sapientiæ speciem impietas Samosetani? An non est plausibilis error Pelagij? Sed istud rerū nouarum studiosis hominibus insitum natura est, vt plausibilē titulum suæ factioni prætexant: Sic Catilina, non cōiurationē, sed libertatis patriæ vendicationē, seditionem suā funestā appellat. Eodem iure censendi & Gracchi & Sylla & Pompeius. Sic etiā Menecrates Syracusanus medicus, ad id tumoris euectus est, vt in hæc verba ad Agesilaū Spartæ regē scripserit. Menecrates Iupiter Agesilao regi salutē: sed illius stultitiā subridens Agesilaus respōdit: Agesilaus Menecrati sanitatē, &c. vt interim plures remotiones obiectionis præteream consultò. Plus igitur apud me valet Christus (vera sapientia) in Ecclesia, quàm Lutherus cum omni sua inflata sapientia. 1.Cor.1. Esai.29. 1.Cor.1.

Monstra Lutheri.

E priori pudenda, fœtida lernea hydra, exiuerunt Muntzerani, verius Sataniani, Cethegi & seditionarij: Quis verò ignorat, magnā vnquam hæresin extitisse, quæ non confestim à capite in priuatas societates abierit? quæque non æquè contraria fuerit alicui alteri hæresi, atque infesta ipsi Ecclesiæ? MVNTZERANORVM sententiam laudauit Carolstadius, vt quidem Martinus Luther refert. Is Thomas Monetarius, Lutheri grata soboles, audax animo, subdolus, varius, cuiuslibet rei simulator, ac dissimulator, alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus, satis loquentiæ, sapientiæ parum, & nimis alta semper cupiens. In Mulhusen 136.

(Thuringiæ oppido)palam docuit restauraturum se collapsum Ecclesiæ statum,gloriabaturq; priuatim sibi à Deo reuelationes fieri,& ad euertendam tyrannidem impiorum,gladium Gedeonis sibi commissum esse,eadem agens quę ipse iudicauit:& alterum iudicans,seipsum condemnauit:malorum operum malus dæmon dux fuit. Ex topica Lutheri sic argumētabatur.Christiani sunt liberi: rustici sunt Christiani,ergo sunt illi liberi ab omni onere & seruitute suorū Dominorum,&c.Eduxit turmatim cohortes perditissimorum sacrilegorum & obæratorum hominum,iussitque nobilium domos diripi, & monasteriorum bona compilari: pollicitus tabulas nouas, proscriptionem locupletum,& alia nebulonum plausibilia. Pudet dicere, quas(Proteus ille)tergiuersationes,quàm astutas elabendi vias quęsierit.Impietatis suæ & stultitiæ, cum paucis complicibus consceleratis pœnas dedit vtcunque duras,scriptum enim est, Quibus consilium non est, cadunt tanquam folia: Cæteri Muntzerani consectarij omnes impunè & præter meritum & spem clementer dimissi, circater annum 1524.adijciunt alij annum vnum.

T.Muntzerus.

137. Muntzeranos subsequuti sunt retincti Heluidiani, quos ANABAPTISTAS vulgo dicimus.Huius hęreseos,pdromus seu antesignanus Bernardus Rotmā,filius Lutheri, & pater Anabaptistarū, Ex topica Lutheri sic argumentabatur.Sola fides iustificat, Ergo baptismus non est necessarius.Idem, ex charismatibus mercedem, & Baptismum tanquam stipem nostri meriti faciunt. Non se accipere, sed aliquid sacramento conferre putant. Fundamentum salutis ponunt suas vires,non gratiam baptismi, nullo alio lauacro digni, nisi eo quod est extra Ecclesiam. Pœdobaptismum negant, contra decreta concilij Carthaginensis primi,& immites infanticidæ rebaptizantur ipsi:duræ fuerunt masculis Amazones, Crudelis Progne, Sæuus Pharao,immanis Hærodes, hi tamen corpora duntaxat infantium peremerunt:Anabaptistæ verò & animas, quamuis sacro fonte ablutas,perdunt,addicunt peccato,excludunt cęlo. Sęuijt Herodes cruore,illi atramento. Ille in corpus, illi & in animam innocentium. Ille in masculos, illi & in fœmellas. Ille in vnius loci paruulos, illi in vniuersos totius orbis. Hoc assero fide, quod nil crudelius Sophocles dedit.Neque vllum tota antiquitas immanius memorat scelus, ne Scythicum quidem. Proh Deum immortalem, quanta vesania est, tot paruulorum millia fraudare velle Ecclesiastica communione, imò & ipsam S.R.Ecclesiam tot centenis annis despoliare sacramento baptismi? Erroris huius author fuit Balthasarus Hiebmayer Fridburgensis, qui

Anabaptistę

primo

primo statim limine, à seipso discordauit: aliquando enim dixit paruulos peccatum mortale non habere, cum Pelagianistis, & ideo saluari. Dein opinatus est regnum cælorum esse paruulorum. Ad extremum, priusquam combureretur in Niclausburg oppido Austriæ, anno saluatoris circiter annum 1526. totus in errore demersus, noluit etiam confiteri quicquam, an saluarentur aut condemnarentur, ideoq; & diuinæ tum misericordiæ tum omnipotentiæ credidit esse relinquendum. Antea reuocauerat (vt D. Eccius de eo scribit) semel errorem hunc catabaptismi totum, idq; Turegi, sed perfidus omnium hæreticorum more factus, resilijt ab instituto, &c. Quemadmodum autem Anabaptistæ pueris negant baptismum, Sic recentiores nostri Hussitæ, gratiam in sacramentis abnegant: Videant ergo qua traduce sint nati. Vtinam saperent amentes & Monasterienlium Anabaptistarũ nouissima intelligerent. Sed decretũ vnanimiter est, redire nolle: Malle verò aut Ecclesiam delere, aut se deleri radicitus. Miseret me istius infandæ peruicaciæ, qua tot hominum millia tam de animæ, quàm de corporis salute periclitantur. Idem etiam Anabaptistæ, iactant visiones atque somnia. Vim omnem priori baptizationi detrahunt. Sanctimoniam quandam externam præ se ferunt. Docent non licere Christianis in foro contendere: Non gerere magistratum: Non iusiurandum dicere: Non habere quid propium, sed omnia omnibus communia esse debere, fingunt. Adulterium nõ esse peccatum, sed opus misericordiæ, ganniunt. Quatuor esse omnino Prophetas fingunt, regem Dauida, Ioannem Leidensem: Pontificem Romanum, M. Lutherum: quorum duos iustos, posteriores iniustos, pronunciant. Virescere cœpit secta in Vvestphalia, anno Domini 1534. Nostra tempestate distinguitur Anabaptistica hæresis in plures sectas, numerantur enim.

ADAMITAE, de illis supra. 1.

SABBATARII, Sabbatum enim (sicut consueuerunt Iudæi) colere se dicunt oportere, tanta superstitione sabbatum colentes, vt si quid eo die inciderit in oculum, nolint eximere, quasi non sufficiat eis pro sabbato dies Dominicus, qui apostolis etiam erat sacer, aut quasi Christus non satis expresserit, quantum tribuendum sit sabbato: Nec etiam de Christi diuinitate rectè sentiunt, procliues ad Iudæorum Messiam. 2.

CLANCVLARII, existimant sibi licere, Anabaptisticam sectam negare. 3.

MANIFESTARII, impium esse ducunt se negare suam hæresim. 4.

5. DAEMONIACI, contendunt, sicut Origenistæ quondam, etiam dæmones saluatum iri.

6. STEBLERI, Hi cum censeant peccatum esse, apud Magistratū contendere, nec vim licere vi repellere, baculum portant, gladium nullum gerunt.

Vt interim consultò prætercam plures alias anabaptisticas sectas, Orantes, Silentes: Somniantes: Synceros: Impeccabiles à baptismo: Liberos: Binderlianos: Maderanos, Hoffmannicos, nuperque exortos Circumcisos: & reliquam turbam fanaticorum. Miserrimæ profectò sortis homines, & decies cæci, quibus perdere proximos semper, seruare autem vix vnquam animi est.

QVIS iam Christi fidelium non videt, quibus præstigijs, quibus technis, qua crudelitate conati sint hæretici ECCLESIAM obruere? At illa semper inuicta perstitit, nec perstitit tantùm, sed etiam victrix perculit omnes: Quid enim aliud est certare cū Ecclesia (quæ inuincibilis est) quàm irritare crabrones? Nemo perduellis de hac spolia vlla retulit: nemo de cathedra Petri & sede Apostolica violata gauisus est: Nemo ex hoc bello inimicus vnquam triumphauit: tentatur quidem à canibus (canes autem dico sectas hostiles, latrantes contra ritum Christi fidei & Christianorum) & hæreticis, varijs telorum & arietum generibus, sed hi (inquit altisonus Augustinus) sic sunt in corpore Christi, quomodo humores mali, quando euomuntur tunc releuatur corpus, sic & consectarij quando exeunt tunc releuantur pij, &c. vbi est Ecclesia Samosetana? Arriana? Sabelliana? Euanuit Aetianus, disparebit etiam gesticulator, SOLA fide sibi adeo placens. Euanuit Manicheus, dilabetur hæresis, homini libertatem arbitrij, ac per hoc rationem meriti auferēs. Perijt Vigilantius, sanctorum cultum impietati adscribens: interibit etiam Martinianista, idem Euangelion olim ab Ecclesia damnatum, excitans. Stabit Nymphi & Nymphæ autoritas, Neque enim in cassum Oecodespotes, & Petrarcha Christus, Petro dixit, TV ES PETRVS, & super hanc petram ædificabo ECCLESIAM meam, Et portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. Vbi duo prædicuntur, tum quod Ecclesia sit passura, multas & arduas persecutiones (hæ enim inferorum portarum nomine intelliguntur) tum quòd non sit vnquam ruitura: alterum impletur indies, scilicet perpetua persecutio. De altero quòd semper sit de hostibus triumphatura suis, nihil hæsitamus, quum videamus ipsam de tam multis hæresibus iam olim triumphasse. Furit quidem hæresis, aliquousque autem progressa statim dissoluitur. Stat igitur firma S.R.E. impugnatur illa, tempesta-

pestates suscipit, sed nō demergit: iacula in eā mittūtur, sed nō pforatur: Peribūt Ecclesię hostes & pyrobolarij certissimū est, vt autē citò pereāt, nō parū in nobis situm est. Illorū colluuies vt apud Deū est abominabilis, ita & minime est stabilis. Manet in radice & traduce sua, in vite sua, in charitate sua. Quisquis inuentus fuerit absque Ecclesia, alienus erit à numero filiorum Dei. Hæc mater est spiritalis, Christi sponsa est, gratia eius dealbata, præcioso sanguine dotata: totum possidet quod à sponso suo accepit in dote: illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur. Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est (quamuis hæreses de illa tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa exeant) pudica, & irreprehensibilis, omne irreprehensibile defendens: Hoc illius proprium, vt tum vincat, cum leditur: tum intelligatur, cum arguitur: tum obtineat, cum deseritur: Facilius (inquit D. Chrysostomus in homilia Pentecostes) potest cælum exterminari, quàm aliquid mali pati Ecclesia, quo scilicet consummatur, sed durabit vsq; ad finem mundi. Hæc vnam domum nouit. Vnius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Nos Deo seruat. Filios regno, quos generauit assignat. Habet S.R.E. in se fortes & infirmos: habet iustos & iniustos. Iam enim corpus Christi est, quod iustis area, postea horreum erit: Tamen cum area est, non recusat paleas sustinere, atq; vt inquit Augustinus, (Sermo. 107. de temp.) cum tēpus aduenerit, reponet triticum, & à paleis segregabit Matth. 25. Terrere nos non debet, q; in Ecclesia multi mali, & pauci sunt boni, quia lata via quę ducit ad perditionem, & multi qui ambulant per eam: tanto enim magis mali (exceptis hæreticis) tolerandi sunt, quantò amplius habundant, quia & in areæ tritura pauca sunt grana quæ seruantur in horreis, & grandes acerui palearum, qui ignibus comburuntur. Hæc quando sola militans & triumphās est, semper in ea viguit (inquit Augustinus, contra Donatistas, Epist. 162.) Apostolicæ cathedræ principatus. Hæc S.R.E. inuincibilis est, stans & regnans velut turris Libani contra aulam omnium diabolorum, vt castrorum acies ordinata: Licet omnis mundus aduersus eam pugnet: Quis enim non videt quantis incursionibus, quàm graui ariete pulsetur turris illa Dauidica? sola tamen victrix totius aduersæ impietatis existit. Hanc coronauit altissimus misericordia & miserationibus. Hæc cum consummationem expectat, finem nescit. Deuicit illa (Ecclesia) Diomedem, Lernam debellauit. Antæum subegit. Cerberum infernalem abduxit: Gerionem tricipitem extinxit. Aprum Erymantheum occidit: ceruam in Menalio nemore aurea cornua gerentem cœpit. Stymphalidas aues, in nubibus sagittis cōfodit:

Matt. 7.

Psal. 103.

fodit: Acheloum monomachia superauit: Hesperidum aurea mala rapuit, Columnas in Oceano fixit: taurum peremit: Nemæum leonem claua percussit (si vera dicunt Poëtæ) hoc est, omnes ceruices rigidas & erectas hæretistarum, cuiuscunque generis, deuicit, prostrauit, confregit, edomuit, euulsit stirpitus: auxiliante & opem ferente, laborioso illo magnanimo Alcidę, Ecclesię spōso, quiest IESVS CHRISTVS. Hæc pauca iam sufficiant, quid namque obsecro aliud est Ecclesiam laudare seu vituperare, quàm funem torquere, credere nebulas, & Isthmum fodere? quum illa, Christi promissione, & patrum authoritate roborata, radices posuerit? Sed quæris, Dic obsecrò, vnde tot hæreses nascuntur? Responsio. Ex dominationis eminentia. Omnis enim hæreticæ prauitatis initium est, suo sensui plus indulgere ac tribuere quàm catholicæ Ecclesiæ: Hinc Hieremias loquitur. Ecce paruulum dedi te in gentibus, contemptilem inter homines, arrogantia tua decepit te, & superbia cordis tui, qui habitas in cauernis petræ & apprehendere niteris altitudinem collis: cum exaltaueris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te dicit Dominus, & erit Idumæa deserta. Et Cyprianus (in Epistol. ad Cornelium PP.) ait. Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt scismata, quàm inde, quòd sacerdoti Dei non obtemperatur, cui secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersum sacerdotũ collegium quicquam moueret, nemo post diuinũ iudiciũ, post populi suffragium, post coëpiscoporum consensum, iudicem se iam episcopi, sed Dei faceret. Nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiã scinderet, nemo sibi placens, ac tumens seorsum foris nouam hæresim conderet, hæc Cyprianus. Nec reticendum hic, omnem hæresim esse peccati pœnam: tollatur itaque peccatum, & iam non erit vspiam hæresis. De pœna hæreticorum, vide Augustin. Epistola 153. 159. & 160. De fastidiosa æmulatione hæreseos, 1. Corin. 1. Iacob. 3. &c.

Leo Iuda vincit.

Vnde hæreses nascãtur

Hier. 49.

Hæresiotas interdum Deus patitur.

Castigat autem (inquit Saluianus, lib. 5.) quos castigandos putat, patitur quos putat esse patiendos. Vtrunque ad vnam rem vult proficere, vt & castigatio in catholicis peccandi refrenet libidinem, & quandoque hæreticos patientia Dei faciat plenam fidei noscere veritatem: maximè cum sciat eos forsitan catholica non indignos fide, quos videat catholicis vitæ comparatione præstare, hæc ille. Peccantes non statim vlciscitur Deus, sed tempus eis permittit ad pœnitentiam & remedium ac emendationem erroris. Oportet itaque hære-

ses

ses esse inquit Paulus, vt qui probati sunt in vobis manifesti fiant: 1.Cor.11.
Et certè nostra tempestate, nisi hęreses exortæ fuissent, tanta leuitas & inconstãtia nunquam fuisset visa, &c. Malorum igitur culpa rumpitur rete, sed non ideo elabuntur boni pisces. Hæretici scindere conantur doctrinam Euangelicam, sed Christus vndique sepiens, illorum impios conatus vertit in profectum partis syncerae: Atque vt in musica graues acutis sic miscentur, vt concentum efficiant. Ita bonis & malis vtendum in vita, vt ex vtrisque viuendi ratio temperetur.

Hæreses circa singula inter se pugnant, illis ergo minimè fidendum.

Quòd si quis omneis sectas in vnum congregauerit, adhuc inter eos constare non poterit, quæ potior dicenda sit, quorum dogmatibus potius parendum, adeò circa singula inter se pugnant, luctantur atque dissentiunt, vt quæque impietas semetipsam destruat. Perpetuamque hanc per secula litem alunt hæreses. Et quod ait Firmianus, vnaquæque secta omnes alias euertit, vt se suaque confirmet, nec vlla alteri sapere cõcedit, ne se desipere fateatur, sed in varias abit sectas, inter superciliosos enim & superbos, quibus omnis nouitas grata est, regnant iurgia, habentes non pacis sed vertiginis spiritum: Exempli gratia. Arrius vnam substantiam trinitatis negat: contrà, Sabellius proprietatem personarum confundit. Nestoriani vnum Christum in verbo & carne non credunt. Valentiniani diuersum sentiũt. Apellitæ, Apollinaristis & Eunomianis contrarij sunt. Nec cum Donato per omnia conuenit Petilianus. Nec cum Luthero concordat Melanthon: Affirmat Lutherus (in tertia disputatione de fide, & in quinta contra Antinomos) quòd ea iustitia, quæ Christi propria est, imputetur homini: & cum Christus sit extra hominem, idcirco hominem in hac vita verè iustum esse non posse. In contrarium affirmat Philippus Melanthon (in suo scripto aduersus Osiandrum, & in commentario ad Romanos vltimæ editionis) quòd Christus per fidem & gratiam in nobis habitet. Affirmat Philippus Melanthon (in locis) quòd omnia præcepta in Euangelio vim mandati habeant, & nulla sint in eo consilia. In contrarium negat Lutherus (in præfatione noui testamenti) vllum esse in Euangelio præceptum. Osiander contendit hominem iustum fieri essentiali iustitia Dei realiter. Magdenburgenses contrà imputatiua iustitia, & relatiuè tantùm. Quid in ea controuersia statuendum? hi relationem ponunt, quippe entitatis nihil: Osiander contrà ipsum Deum, entitatis summum, &c. Quis non

Diaphonia inter hæreticos.

non vidit distractum spiritum in Oecolampadio? suspecta signa facit, & tamen signa fieri cupit? Quis non dixerit, hæreses nihil esse, nisi Scyllam quandam monstrosam, Chymeram & hydram: nihil nisi minas spirare, nihil nisi fraudem proditoriam tractare? Proteus & Vertumnus varij fuerunt, sed plus varietatis possident hæresiotæ, album nigro mutant. Si quid ex scripturis ipsis opponitur, ad vsitatum hæretistarum asylum confugiunt, mox negant authenticum esse, more veterum Dogmatistarum, quorum alij Paulū, alij Lucam, alij Ioannem, alij principium aut finē Euangelij reiecerunt. Sic Cherinthus Euangelion secundum Mattheum ex parte recepit, ex parte non: Paulum reprobauit. Sic Cerdon vetus testamentum reprobauit. Sic Marcion solum admisit Euangelium secundum Lucam. Sic Encratitæ vsi sunt libris veteris testamenti quibus volebant. Simili insania Alogi hæretici, neq; Ioannis Euangelion, neq; Apocalypsim admiserunt. Sic Arriani Epistolam ad Hebręos reiecerunt. Sic Manichæi librum Geneseos, legem prophetasq; contempsere. Simili temeritate Lutherus reiecit (in Præfat. noui testamenti) è sacrorum librorum canone & catalogo, aliquot Apostolorum Epistolas, nempe Pauli ad Hebræos, Iacobi item, & Iudæ, atque etiam sacratissimam Apocalypsim Ioannis: Cur sic agis inconsideratè, καὶ ἀδιαλεκτικῶς in re am graui, Luthere?

Abyssum hæreticorū vsitatum.

Non est doctoris tam stulta & praua docere,
Sed deceptoris, stultiloquique viri.

Accidit ergo illis, quod cani Aesopico carniuoro, qui pane relicto & in vmbram eius inhians perdidit escam. Sic perfidum hoc & durę ceruicis hominum genus impetum faciens, amittit panem vitæ æternæ, & inanibus nominibus perdit viuificum veritatis verbum: Nec est vlla factio tam pestilens, cui non patrocinium ferant hodiernæ nemroitharum ambitiosulorum hæreses, si quis altius inspexerit, &c. ad institutum. Quod hæretici semper sint discordes inter se in sua doctrina, probat Irenæus lib. 5. dicens. Tales sunt omnes hæretici, & qui se plus aliquid præter veritatem inuenire putant, sequentes ea, quæ prędicta sunt, variè & multiformiter imbecille facientes iter, de eisdem non semper easdem sententias habentes, veluti cæci à cæcis circunducuntur. Item, Tertullianus in libro de pręscriptionibus, inquit. Vnde autē extranei & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diuersitate doctrinæ, quam vnusquisque de suo arbitrio aduersus Apostolos aut protulit, aut recepit? Illic igitur & scripturarum & expositionum adulteratio deputanda est, vbi diuersitas inuenitur doctrinæ: quibus fuit proposita aliter docendi necessitas, instituerunt aliter

disponendi instrumenta doctrinæ, aliàs enim non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent, per quæ docerent, hæc Tertullianus, vide plura de hac re in Athanasio in decretis synodi Ephesinæ.

Sinamus itaque hæresiotas, quando indigni sunt vt de illis omnibus verba faciamus, perpetuò valere: quorum memoria dubio procul est peritura cum sonitu, Quemadmodum non incassum propheta regius imprecatur istis, inquiens: Dispereat de terra memoria eorum. Id quod omnibus accidisse nouimus, quos nostræ tempestatis recentiores Hussitæ ex cineribus eorum resuscitare moliuntur, sed in vanum conantur omnes aduersus Domini verbum manens in æternum. HAEC autem scripsimus, candide lector, non vt quenquã iudicaremus, seu dente Theonino (testor Deum) roderemus, sed vt insaniam nostri seculi depingeremus, non totam tamen, sed particulam quandam, non paruam, sed minimam. Peccantem fratrem (inquit Tertullia. aduersus Marcio. lib. 4.) iubet corripi Dominus, quod qui non fecerit, vtiq; delinquit, aut ex odio nolens fratrem perseuerare in delicto, aut ex acceptione personæ parcens ei, habens Leuiticum: Non oderis fratrem tuum in corde tuo, & Psal. 4. Irascimini & nolite peccare, sed publicè argue eum ne habeas super illo peccatum, hæc ille. Est vbi loquendum est seuerius, est vbi blãdius, est vbi magnificentius, est vbi submissius, est vbi iucundius, est vbi durius; id si fit citra perfidiam, prudentia est. Et Socrates, qui primus moralem philosophiam ex cælo in terram deduxit, nefas esse arbitrabatur, aut veritatem occulere, aut mendaciũ concedere. Quòd si bruta animalia rationisq; expertia, palantia per agros, & à recto aberrantia, iubemur diuino oraculo ad viam suam dirigere, & suo reducere Domino: nónne potiore iure si fratrem nostrum Dei insignitum imagine, & ratione præditum, conspexerimus in aliquo opere suo à vera declinasse semita, & ad diuerticula obliqua pedem deflexisse: toto adniti studio debemus, vt in spiritu mansuetudinis & lænitatis eundem reducamus ad rectum veritatis & iustitiæ tramitem? certè tanto maiori sedulitate, quantò homo melior est oue (vt testatur Euangeliographus, Matth. 12.) & boue & asino. Aequum est igitur, & diuino iuri rectæq; rationi consentaneum, fratrem errantem (etiam hæreticos si conuerti volunt) non ex peruersitate mentis, sed pio affectu ad rectam reducere semitam veritatis. Anima vna lucrifacta sæpe criminum infinitorum molem abolere potest, & animæ nostræ redemptio fieri in die iudicij, &c. Progrediamur ad tertiam Antichristicæ Synagogæ partem.

Psal. 108.

Retectio

RETECTIO FALSORVM FRATRVM.

3. Pars Antichristicæ Ecclesiæ. Nec excludendi sunt hoc loco nostrorum temporum falsi fratres, venditantes sibi proteruo ausu Apostolicæ Ecclesiæ nomen, cum re=uera extra Ecclesiam spirent. Hi sunt isti sanguisitibundi vultures, qui nominibus seu titulis, tot factiones, tot hæreses, introduxerunt, contra authoritatem & approbatas consuetudines orthodoxæ & ca=tholicæ Ecclesiæ: De quibus Hieremias, ca. 12. Demoliti sunt (inquit Dominus) vineam meam, conculcauerunt partem meam. Hi ob assertam veritatem scilicet, non corpora hominum trucidare con=tenti sunt, sed illam perimunt etiam animam, amicam Dei, sponsam Dei, illud nobile inferorum spolium, illam tanti laboris mercedem, illud sanguine Christi quæsitum præmium pessundant, occidunt, & quantum in ipsis est deuorant. Qui, vt inquit Paulus, non propter Philip. 1. voluntatem bonam, sed propter contentionem prostituta fronte Christum prædicant: Qui nihil probant, nisi quod vel ipsimet auto=res ædiderint, Qui nihil laudant quàm quod stupidis ipsorum sen=sibus applauserit. Qui nihil rectum ducunt præter quod à suis ante=signanis & prodromis edocti sunt. Cupiunt sedere super cathedram Moysi, & ecce opera Dathan & Abyrō faciunt. Mira semper effari volunt, sed timent deprehendi in mendacio, & ergo inflatis buccis, & turgido gutture dant sine mente sonum: In alienis erratis perspi=caces & lyncei, ad propria lusciosi & talpis cæciores: Hi suis concu=piscentijs addicti, relicta fide Christi & Ecclesiæ, traditi sunt in re=probum sensum, charitatem veritatis recipere nolunt, quid aliud quàm risum mouent? Hi asinis petulantiores, felibus rapaciores, gallis contentiosiores, vt opes affectatas haberent, animarum pas=sim cædem instituêre. Hosce (filios Bosor sequentes viam Balaam) non sine mysterio Simon qui Cephas, fontes sine aqua, & nebulas turbinibus exagitatas, tradidit. Sequuntur inquam carnem in con=cupiscentia, φιλαυτίᾳ sua sibi non parum adplaudentes. Dedecorant sacri Pontificatus maiestatem, denigrant veterum Sanctorum Pa=trum memoriam, conculcant religionem Christianam Eccle=siæ faciem antiquissimam. Miscent omnia cædibus, minis & flagitijs. Christus humilis, auritos phanesios illi repræsentant. Chri=stus ieiunat, & ne crapula ructues, seu ventre distento pigrescas in=dicit, illi Papisticum esse institutum garriunt. Christus obseruauit, quam dilexit, matrem: Prurientium aurium fricatores (sic vocat Pau=lus ad Titum illecebrosos præcones) huic detrahunt. Christus ziza=niam stirpitus ex agro eradicandam esse censuit, illi hæreses semi=nant,

nant, de vna in alteram prosiliunt. Christus Ecclesiam orthodo-
xam Petro commendat, cacangelici tartarea furia persequuntur s.
R. E. Sedem Apostolicam in ea, successionem illam longissimam
& antiquissimam cachinno excipiunt. Christus mansuetissima &
melliflua doctrina peccatores conuertit neminem condemnans, illi
non ore, sed digitis loquuntur (suis thematibus οὔδε γῆς οὔδε οὐράνου
ἐπιϛάμενοι) mira vocum contentione, vultu multiformi, saltantibus
pedibus, lasciuientibus (pleuriticorum in morem) lumbis: Nunc
ardent oculi, pallent genæ, distorquetur os, spumant labia, tre-
munt membra, fremit vox, cur ita? quia exuerunt hominem:
Quis eos non dixerit spasticos, mesochoros, Cheironomos, & pror-
sus Cohobba (Callecutæ vocant Betole) inebriatos? Bone De- Herba in
us quot seditiones, tumultus, conspirationes, & nudiustertianas nouis insu-
opiniones (Euangelio perbelle mangonizatas) ad plebeculam ab lis inebriās
alto pulpito, ergastulis & latebris declamant? haud profectò se-
cus vertiginis impelluntur spiritu, ac solent Enthæi & Mimalo-
nides in Bromij festo, & quod medici secant, aut cauterio adu-
runt haud absimiles: circulatores planè agunt, petaurista iacta-
tur, exuculatus præstigiatur, venenarius inflatur, diuinaculus
hallucinatur, aretalogus nugatur, circulator illudit, gladiator
eludit, alius omnem Timonianam amarulentiam Vatiniano odio
in vnctos Domini euomit, infunditque oleum camino: Dij boni
quot hactenus confertim chartis illeuerunt? Pudicæ mentis pudi-
cus sermo, & os sanctum, sancta promit eloquia: & cum sint μω-
ρότατοι, tamen non verentur sibi Thaletis nomen vendicare: suos
consectarios (expilationes, vsuras, rapinas, & lenocinia meditantes)
lactant: Eos qui opinionibus suis non subscribunt, infantissimi &
cruenti Marcialistæ execrantur. Fronte lingunt, à tergo pungunt.
Altera manu tenebriones astutissimo popijsma panem ostentant,
altera lapidem abscondunt. In fronte pietas, in recessu hæresis & hy
pocrisis. Offerunt cum Nadab & Abiu alienũ ignem ad altare Dei: Leuit. 10.
sed non dubium quin cum Hieroboam, aliquando sint daturi pœ-
nas. Hi sunt illi contentiosuli flexipedes, qui propter vanam gloriam
inculcant quæ spiritus sanctus non suggessit. Mendaces in ore om-
nium prophetarum. Hi abiecto pudore, longe lateque depopula-
ti sunt, ac semen quod in terram mirifice fœcundam ceciderat stir- 2. Reg. 14.
pitus ferè euulserunt, in pessimæ & astutissimæ vulpis modum, vi-
neam Engaddi, Zorecque, vtranque illam electam vineam Do-
mini Dei zebaoth perdiderunt, totumque agrum sanctum tam pul
chris redimitum floribus & Christi tã bono odore fragrantẽ vt lon-

ge longè præcelluerit odores Iaacob filij Izaack, nardi, vnguentorũ, florentium vinearum, mirrhæ, balsami, mandragoræ, suauissimisque thymiamatis, infecerunt. Existimant se esse templum Dei, sed cum magis destruuntur, eò amplius reædificari confidunt, nescien-
1.Mach. 10. tes quòd ipsi sunt Dagon, Iezabel Apocalyptica, Iambres & Mambres, Exodi 7. Antea quum authoritate Ecclesiæ præmerentur, exibilabant Ecclesiæ vocabulum, Affirmantes (Lutherus in libro contra Ambrosium Catharinum, & Philippus Melanthon in Apologia) Ecclesiam esse inuisibilem & spiritualem, & sola fide perceptibilem: Nunc intellecto rei precio, Ecclesiam, Ecclesiam, Ecclesiam passim ipsi quoque sonant: Asserentes (Philippus Melanthon in præfatione explicati symboli: & Lutherus in Explicatione 10. præceptorum, & in resolutionibus contra Eccium) Ecclesiam esse catholicam, quæ errare non possit. Laborant ambitionis morbo, aliud in ore sonat, aliud in pectore clausum latet: terram cælo miscent, habentesque amicitias & inimicitias non ex re (vt Mantuanus canit) sed ex commodo. Sacra prophanis confundunt. Spirant non philosophiam, sed philochrematiam. Hi illi Nemrothici feroces, quibus antiqui clamitant vates: Gens antiqua atque peruersa, hæccine sunt quæ Deo reddis popule stulte & insipiens? Et alibi. Statuerunt oculos suos in terram declinare. Et Hieremias ait, capite 8. Quomodo dicitis sapientes sumus, & lex Domini apud nos est: Profectò mendaciter legit stylus mendax scribarum, pudefacti sunt sapientes, expauerunt, & capti sunt: Ecce verbum Domini reprobarunt, quæ ergo illis sapientia reliqua esse poterit? Et idem, cap. 4. Sapientes sunt vt faciant mala, bene autem facere nescierunt. Pedes ipsorum ad malum currunt, & properant ad effundendum innocentem sanguinem: cogitationes eorum cogitationes sunt vanæ, vastitas & contritio in vijs eorum. Viam pacis non cognoscunt, neque est iudicium in gressibus eorum. Semitas suas sic deprauant, vt omnis qui per eas transit nesciat pacem. Duabus sellis insident, semperque aquæ inhærent. In sabulum ædificant. Docent διεστραμμένα, id est, distorta & obliqua. In ventum loquuntur. Paulinos se gloriantur, & nihil minus sunt. Tanta vtuntur fluctuatione & inconstantia, vt in solido consistere possint nunquam. Negant panis & vini substantiam (Lutherus, contra Regẽ Angliæ, & de captiuitate Babylonica) transelementari in corpus & sanguinẽ Domini: Alio in loco (in sermone de Eucharistia, & in libro visitationis) affirmat Lutherus panem in verum & naturale corpus Christi, & vinum in verum & naturalem sanguinem Christi transmutari: sic de alijs
omni-

omnibus ferè materijs titubantes se orbi produnt. Et sicut spongijs adeò tenues sunt sensuum notæ, vt multi dubitent animalia sint nec ne. Ita illorum is cultus, is sermo, ea vita, vt dubites Christiani sint, an Ethnici. Quibus adeò Christus in contemptum venit vt pulchrum apostatici existiment & regium, nihil cum eo habere commercij, hoc quenque contemptiorem, quo fuerit illi copulatior. An non audis Christiane lector, quotidie ab iratis laicis, atrocis conuicij loco nobis in os iaci, clerici sacerdotis & monachi vocabula? si dissolutum clericum, aut indignum sacerdotem, aut monachum irreligiosum notarent, ferendi ex parte essent: Nunc verò virtutis professionem contemnunt, & ordine præpostero progrediuntur, meritò ergo tanquam zizania ex agro dominico eradicandi, &c. Paulum citant apostolum, & Paulum agunt Samosetanum. Quærunt Iesum non propter Iesum. De quibus Augustinus (super Ioan. tract. 4.) loquitur, dicens: Quid est sua quærentes? non gratis Christum diligentes, non Deum propter Deum quærentes, temporalia commoda sectantes, lucris inhiantes, honores ab hominibus appetentes, quisquis ergo talis mercenarius est inter filios se non cōputet, hæc ille. Apostoli iubentur prædicare Christon inter gentes, Marci 16. Illi domi degunt testudinis instar, piorum animos cōfundunt, gentes negligunt: Concilia Occumenica (vino & gloria mundi soporati) respuunt: Quæ ex proprijs cerebellis fingunt recentiores Hussitę, audacter Pontifici, Cæsari, Regi suo catholico, & cęteris omnibus Christianis nationibus opponunt. Hi luxu perditi, palatū quēadmodum dixit Cato sapientius habēt, quàm mentem: rapacitatem verò ipsorum, plusq̄ Verrinam, experimur: mollitiem autem & voluptates, an aliquis ignorat? Atq; vt Helena Terapnæa Troianis exitium fuit. Sic hi, pestes perniciosæ in orbe Christiano. De quibus Ezechiel, cap. 13. Quasi vulpes in deserto tui prophetæ erant. Euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: sacrificia eorum, tanquam panis luctus, omnes qui manducant ea, cōtaminabuntur. Hi cum Effraim, Israël & Iuda, à veteri cultu recesserunt ad Aegyptum, hoc est ab Ecclesia ad synagogam. Ponunt studia sua (inquit Oseas) vt reuertantur ad Deum suum, quoniam spiritus scortationū est in eis, vt dominū nō agnoscāt comatuli. Hi sunt, qui è theologia nihil aliud fecere, q̄ illam Grææ hirciſſantē anum, & prorsus cenologiam: Et quēadmodū qui pruritus titillatione acti, nimium scabentes sanguinem eliciunt, ita isti dum nimium indagine laboriosa schalpunt, veritatem amittunt: Hinc acutus ille Mimi versiculus, Nimium altercando veritas amittitur, & moderata disceptas

Terapnæ Helenes patria.

Oseæ 6.

Cap. 11.

ceptatione veritas excutitur, at immoderata perditur. Hi illi prophetæ Iezabelis, qui nulla alia de causa sanctis patribus iniqui sunt, nisi quod eorum religione obscurantur, Italiam quasi Gomorrham hactenus sunt detestati: nunc eheu omnes Gomorrhæos multis parasangis superant. Ex quorum officina tot portentosæ hæreses veluti ex equo Troiano prodierunt, horresco singula referre, quæ in summi Dei contumeliam scripsere Lasco, Caluinus, Carolstadius, & huius farinæ pestes: ita siquidem omnia fabulis democriticis, conuicijs, contumelijs, minisq; implent, vt præter linguam impudicam parum eis virium esse appareat, qua vna in re, ita perpetuò (homines alioquin inconstantissimi) omnes sibi constãt, vt nemini dubium esse possit, omnibus eundem esse spiritum: Non dissimiles propterea Herodi & Pilato, qui quanquam priuatis odijs & inimicitijs laborarent, in Christi tamen innocentis iniurias & necem conuenerunt. Id quod & in hodiernũ diem faciunt lunigeri Mahometistæ, Tartari, Pagani, & Iudæi: Qui omnes in perfidia consonãt, & in impietate copulantur, haud dissimiles oculis strabis, qui auersi & auersari videntur, cum vnum videant: Ideoque non immeritò cauere possint.

Vna fides nobis, in paucis fidere Christo,
Atque Dei verbo quàm tribuisse parum.
Vna fides nobis quòd tollenda omnis imago,
Tollere quòd verè biblia perdoceant.
Vna fides nobis quòd sit confessio nulla,
Crimina quòd soli sint numeranda Deo.
Vna fides nobis, non intercedere sanctos,
Ignem qui purget nec remanere pios.
Vna fides nobis quòd libera nulla voluntas,
Et quod opus nullum possit inesse bonum.
Vna fides nobis carni quòd grata voluptas,
Et quod sit nobis spiritus ille sacer.
Vna fides nobis, si vis tamen ista tacere,
Quod vix infernum credimus igniuomum, &c.

Hi vbi sacras literas in medium adduxeris, ipsi statim vafro versutiatis commentario in suum torquent sensum: vbi autem superficietenus literas habent ipsi, omnia clamoribus miscent, inuictum esse verbũ Dei, nullo opus interpretamento, sacras literas de se apertissimas esse, hominũ cõmẽtaria & glossas nõ eis lucẽ adferre, sed tenebris eas effundere: Insuper quando sacra concilia & sanctos patres cum eis sentire vident, tanquam inuictam manum in fronte exercitus collocant. Strenuè quidem clamant apostatici illi excucullati in luxum & fastum cleri, in temporalia Ecclesiæ, sed interim

ipsi

ipsi egregiè se pascunt, cuticulamque molliter tractant. De quorum asotia & luxu, huc videtur quadrare istud Horatianum.

Nos numerus sumus, fruges consumere nati
Sponsi Penelopes, nebulones, Alcinoique
In cute curanda plus æquo operata iuuentus:
Ad strepitum citharæ cessatum ducere curam, &c.

Nondum quatuor lustra exierunt, Heidelbergæ in Palatinis eramus in conuiuio, Ioannes Hermannus Iurisconsultus, & cæteri boni viri, cum quodam Catthimelibocense præcone clamoso: Is sympotes inter alia magno supercilio & garrula loquacitate, alienæ vitæ censuram exercens (nihil enim nisi quod ipse faceret, rectum existimabat) prorupit dicens. Nos Euangelici nihil diuitiarum petimus, vt vos Papistici Gieziticæ solens, Paulino tantùm more victum & amictum ad sustentationem exhausti corpusculi, facultates caducas propter Christum negligimus, & multa alia planè absurda blaterãs: O impudens ὑπερβολὴ καὶ ψεῦδος, blancellum commentum, Homerici Polyphemi figmentum apertissimum, & fabricatum specimen pietatis, Meridianus sol tenebras istas coarguit, experientia equidem hodie contrarium docet, quando sub fraudis fuco λιγαλόπτωχοι ad se aliena rapiũt, absit verbo inuidia, quãdo semel τὴν λεοντῆν induimus, quid enim contemptius (ait Cicero, lib. 1. de legibus) timiditate? Strenuè quidem clamant in ambitionem prothomystarum, in tyrãnidem (vt blaterant) Romani Pontificis, in garrulitatem Sophistarum, in preces, ieiunia, & Missas, nec ista purgari volunt sed tolli, nec omnino quicquam in receptis placet, sed zizaniam euellunt cum tritico, aut vt melius cum D. Erasmo Roterodamo (qui non parum adiuuit herbescentia per Germaniam studia) concludam, triticum pro zizania euellunt. Atquid interim nobis proferunt lychnobij melius seu dignius Euangelio? Proferant mihi quem ipsorum dogma seu Euangelion, vt ipsi vocant suum, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex commessatore sobrium, ex maledico Philopolemo benedicum, ex impudico reddiderit verecundum, & audiamus: Sunt equidem plurimi seipsis deteriores effecti: Suspensa est Missa, sed quid sacratius successit? Hæc si prophana est, si impia & blasphema, in Christũ, vt libellis æditis illam atrocissimè accusant, cur vllum eius vestigium in Ecclesijs suis esse permittunt: execrantibus illam alijs, alijs eius partem (cum omni apparatu ferè veteris cæremoniæ) approbantibus? Ipsam Missam quur vsque adeo execrentur non video: Constat Psalmodia, qui dicitur introitus, doxologia, precatione, sacris canticis, recitatione verborum pro- Missa ex quibus constet.

propheticorum aut apoſtolicorū, quam vocant Epiſtolam, recitatio ne Euangelij, profeſſione fidei catholicæ, gratiarū actione, quam appellant Euchariſtiam, ac religioſa commemoratione mortis Dominicæ: dein ſequitur pacis Chriſtianæ ſymbolum, mox communio: rurſus ſacrum canticum, & precatio. Poſtremo loco ſacerdos totum populum velut in ſuam tutelam receptum, Deo benedictione tradit atque commendat, vt perſeuerent in affectu pietatis, mutuaque charitate. Quid in his non pium ac venerandum? Quid hijs ſanctius ſucceſſit? Propterea autem Argiui illi lauernìones (quos Græci ἀρχαῖοι φῶρες vocant) illam execrantur Miſſam, non vt aliquid emendent, ſed vt qualicunque prætextu defendant ſuam tyrannidem, confirment & muniant ablata. Excuſſæ ſunt è templis econculæ, ſed nihilo ſecius colitur in animo aperta εἰδωλομανία: Nec video quo conſilio Buſtirapæ Eiconomachi tanto ſtudio demoliti ſunt imaginem crucifixi, niſi vt eſſet conſpirationis ſymbolum. Humanarum conſtitutionum iugum excuſſum eſt: Sed vbi ſunt qui ceruicem ſubmiſerunt ſuaui iugo Domini? Excuſſæ ſunt preces ſolennes, vt iam plurimi ſunt qui nihil prorſus orant, quum frequens puraque oratio ſit ſacrificium maximè proprium pijs. Abiectus eſt cum ieiunijs ciborum delectus, ſed interim grauiter indulgetur crapulæ, quæ dæmonum ſunt vehicula, & ita quidem effugerunt Iudaiſmum, vt cœperint eſſe Epicuræi: Quadrageſimale inquam ieiunium abrogatum eſt, Orgia Bacchi, ſeu trieterica ſacra Bacchi mordicus celebrantur. Excuſſa eſt obedientia, ſed ita, vt ne impijs quidem magiſtratibus pareatur: Primis temporibus Chriſtifideles ſub Ethnicis & prophanis principibus quietè viuebant, ſtudioſe cauentes ne quam conſpirationis occaſionem darent, exhibentes honorem cui debebatur, vectigal cui vectigal, tributum cui tributum: ſtimulabant ſuos vt idololatris etiam magiſtratibus obedientiam & timorem præſtarent, pro illorum incolumitate flexis poplitibus iugiter Deum deprecabantur: At iſte populus apoſtaticus, etiam Turcarum principi hodierno maximè deteſtabilis, quem ait conſpirationi natū, quos ſubinde tumultus mouet? quoties quàm leuibus de cauſis procurrit ad Mauortia arma? Quis veſtrum, callidi veteratores, abiecta hypocriſi, veram pietatem amplectitur toto corpore? Quis obſecrò, vidit in veſtris contionibus quenquam pro peccatis ſuis fundentem lachrymas, tundentem pectus, aut ingemiſcentem? Iam quanta pars conſumitur in laceranda cleri vita? Qui prædicatis non furandum, latrocinamini. Qui abominamini idola, ſacrilegium facitis. Qui in Euangelio gloriamini, per præuaricatio-

ἀ τρῖος καὶ ἴτος.

ricationes Dei verum Euangelion inhonoratis. Vbi sunt qui se castrant propter regnum cælorum? Vbi sunt, qui relinquunt vxores suas propter Christum? qui dant eleemosynam sua omnia, & sequuntur Christum pauperes voluntarij? Solus nunc sapit qui vulgo placentia prædicat; desipiunt cæteri vnà omnes, tam hîc militantes, quàm in cælo triumphantes. Soli inquam, Ἀπόχριστοι sapiunt, os orthodoxis occluditur, calamus zelosorum illiditur. Profligatus est Monachismus, sed vtinam cum cuculla simul excussissent vitia, quæ huic hominum generi dicuntur (mendaciter tamen) esse peculiaria. Hodie Apostoli habentur, qui saltem egregiè Ecclesiam Romanam, hoc est, omnes ritus salutares, communem omnium sanctorum professionem possunt sugillare: Qui veteres illos pietate verendos apostolicos heroas, eruditione spectabiles, moribus insignes, auctoritate conspicuos, atque miraculis claros aspernari non verentur. Nihil ergo mirum si in Patrum nominibus adeò sint frigidi, cum in Iesu nomine suis blasphemijs adeò turpiter delirent. Idem facientes quod tyranni solent, qui cum dominationem amplius tenere, moderatè imperando, nequeunt, ad barbaram ferocitatem & truculentiam decurrunt, contra id quod scriptum est, Roman. 14. Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Proprio Domino stat aut cadit; imò fulcietur vt stet: potens enim est Deus efficere vt stet, &cæt. Nemo inquam mammonistis illis apostaticis, sufficiens aut satis doctus hucusque fuit. Patres nostri gelasini, agasones fuerunt, imò pueri, sapientia eorum atque vitæ integritas sub scamnis detrusa sunt: Apud quos Academia nulla (quas templa Tophet, & funestam filiorum Ennon vallem, vocat Melanthon) altiloquos habuit hucusque vates, vna N. dempta: Illic Ecclesiæ columnæ, quemadmodum Iacobus, Cephas, & Ioannes. Papam antichristum conuitiati sunt. Integerrimus etiam HADRIANVS VI. PP. Germanus, patria Vltraiectinus, anno 1522. post mortem opprobrijs oppletus à sanginatis nugiuendulis maculam concepit: Quis iam non dixerit ipsos sycophanticam exercuisse? IOANNEM CHRYSOSTOMVM (quē dicunt Rutheni Slatausta, id est, aureū os fuisse, pars apostaticorum loquaculum nugonem finxit. ERASMVM Roterodamum veræ ac Christianæ Theologiæ (sic eum celebrat H. Glareanus P.L.) instauratorem, Lucianum appellant, alij Atheon Diagoram. Pars hæreticorum, veteres scriptores lacerans, Aegyptias ranas ipsos gannit. THEOBADVM THAMERVM ex Tribochis, fratrem meum in Domino dilectissimum, clamosus ille Alberus, rabiosulum & lymphaticum mendaciter traducit: Cum

Luc. 3.

Diagoras cognominatus est atheos: ex eo q negabat deos esse.

sit nemo ferè ipso doctior & magis pius. Legimus Phœbum aurata cithara insignem, Orphea fidibus canoris & feras & quercus & saxa denique mouentem. Legimus Mineruam ingeniorum & artium principem. Legimus caduceatorem Mercurium efficaci virga potentem. Legimus nouem illas sorores, studiorum atque elegantioris literaturæ præsides: Tum Charites comitatis atque humanitatis autores, Heliconia tempe, fontem vocalem. Denique legimus & Pithonem deam, quam Latini Suadelam nominant. An ista delira & nihili voces existimamus esse? Res sunt imprimis egregiæ, quas omnes vno in Thamero spectare licet.

D. Theobaldi Thameri Encomion.

Hic pugil est Christi, vitæ probitate refulgens,
Ingenio clarus, clarus & eloquio.

Nec hic reticendum, Dulcinistas nostros, Aurelium AVGVSTINVM ceu vnicum commendare. At quæso, quid vobis (Hussitæ) cum Augustino commune? Liberum arbitrium ille statuit, vos planè nagatis. Ille vocat Iustitiam, bonam vitam, idque cum aliàs, tum in libro de iustitia perfecta: vos secus. Ille Orthodoxè sentit de operibus: vos hæreticè. Ille probat sui temporis monasteria, quibus regulam tradidit, sicut & Basilius: vos ea execramini. Ille seruat cæremonias seriò, vos ea cachinno excipitis, & pro ludicris habetis. Ille negat infantes credere, vos affirmatis. Ille ponit libros Machabæorum in canonem Ecclesiæ: vos illos respuitis. Ille memorias ait fabricari martyribus: vos ea sustulistis de templis, ac ne simulachris quidem illorum pepercistis. Vtri iam adhibenda fides? apostaticis, an Augustino? DIONYSIVS Areopagita sancti Pauli auditor, ac Hierothei discipulus (in lib. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 1. Sacramenta 7 ponit: Apostatici verò non nisi tria, imò pro vsu scripturæ non nisi vnum esse garriunt, & tamen in his dissentiũt: atque vt iterum dicam, vos quot reliquistis? Quis nescit Lutherum (in lib. de captiuitate Babylonica) vnum esse tantùm sacramentum voluisse? Quis nõ scit mox alio in loco (ad Vualdenses) duo sacramẽta esse asseruisse? cui opinioni etiã Melanthon, in annotationibus ad Rom. in 11. cap. subscripsit. Nónne Lutherus (in libro de captiuitate Babylonica) ponenda esse tria sacramenta pro tempore voluit? id quod & Malanthon (in secunda editione Locorum communium) voluit. Legantur libri Lutheri, Bucceri, Zuinglij, Oecolampadij, legatur confessio Augustana de numero, & partibus, & dispensatione sacramentorum: non opinor negabitis, quin longè alia sit de eisdem vestrorum, alia hactenus fuerit Ecclesiæ vniuersalis sententia, &c. Docuit idem Dionysius diuini Pauli discipulus, ritum consecrandi præ-

Lib. 18. de ciuitate Dei, cap. 36.

Sacramenta imminuta.

præsulis, sacerdotis atque ministri: ipsi verò hęc Democritico risu prosequêtes, nos idola vncta vocant, & quod peius est, absque ordinatione, Sedentarios, pelliones, arcularios, lurcones, cerdones. Excucullatos (quibus melius fuisset, non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti, ab eo quod illis traditum est sancto mandato) & reliquam turbam furiosorum, qui potius haris quàm aris & templis præficiendi, constituunt. Qui insulsissimis ac scurrilibus conuicijs, hominum animos accendunt: in ipso autem discrimine remollescunt: Et sicut delphini quousque vnda subest comitantur natantes, in littus verò nunquã egrediũtur, Sic hodierni Nêroithæ in sereno statu rerum manent, cum asperior incipit recedunt. Verũ qui citra Ecclesiæ ordinẽ verbi ministerium sibi arrogat, nõ verum panem proponit, sed fascinationis & illusionis mendacium seminat. Petaurista, nõ euangelista: Pantinomus, nõ apostolus habendus est, &c. Idem Dionysius supercælestium rerum perscrutator egregius, Sacerdotes inter homines angelos esse dicit, ipsi verò catholicos, idololatras mendaciter ganniunt. Idem Dionysius, S. Petrum supremũ decus & antiquissimum theologorum columẽ (in lib. de diuinis nominibus) ebuccinat: ipsi Petro primatum negant. Vbi sacra illa exomologesis etiam apostolorum temporibus fuisse deprehẽditur: ipsi non solum confessionem confundunt, sed verba ad apostolos dicta, de ligandi soluendique potestate sic torquent, vt velint ea duntaxat de fide posse ac debere intelligi. Sanctorum canonizationem, pulcherrimo ac religiosissimo ritũ, temporibus Apostolorum fuisse, Dionysius (in 7. cap. Ecclesiast. Hierarchiæ) tradit: illi verò sanctam illam consuetudinem in S.R.E. Pontifice, omnino rident ac detestantur. Superest & altera antichristicæ synagogæ fœtura. Tertullianum hominem mendacem & ineptum, atque frigidum blaterans. Nec cum sanctissimo martyre Ignatio cõuenit Lutherus. Ordines sacros episcoporum, sacerdotum, atque diaconorum differenter S. Ignatius enumerat. Lutherus verò, ex quouis laico sacerdotem ordinat, immò absque consecratione, sacerdotale officium facere permittit. Petrum & coapostolum Paulum Antiochiæ fundasse ecclesiam, & dein vtrunque venisse Romã, ac illic sacra præcepta dedisse, demum Paulum gladio perijsse, ac crucifixum Petrum ad Magnesianos, Romanos, ac Tharsenses scribit. Lutherus verò de Petro qua morte, & vbi mortuus fuerit, tot millia hominum contra totius orbis cõsensum dubitare facit. Episcopo obedire debere, siue sint presbyteri, seu diaconi, siue laici, & sine illius consensu nihil fieri oportere scribit ad Magnesianos, Philadelphienses, ipse verò hanc sanctam obedientiam vbique confundit,

Lib. Eccl. Hier. cap. 5.

2. Pet. 2.

Soluẽdi officiũ non cuius credita.

confundit. Nec reticendum quomodo conueniat Lutherus cum Carolo Magno: is ante septingentos annos contra certos hæreticos, opus scripsit in quatuor libros (erat enim Græcè & Latinè doctissimus) partitum, cuius copiam Reuerendissimus ac omnium pientissimus Dominus Laurentius de Puccijs t t. sanctorum quatuor Coronatorum Cardinalis, ex innata ac miranda benignitate, pro tranquillo reipub. Christianæ statu, ex Vaticana bibliotheca Ioanni Fabri doctori celeberrimo, fieri fecit. In eo itaq; opere Carolus ille magnus quoties de Petro sermonem facit, eundem principem vocat apostolorum, aut pastorem Ecclesiæ. Et quod maius est, quãdoque solidissimam petram hanc, super quam Christus fundarit Ecclesiam. Lutherus verò Saxonicæ fidei plantator, apertissima Euangelij verba negat in Petri personam posse referri. Carolus multis nominibus sui seculi Adrianum Rom. Pontificem ac illius sedem, veneratur, extollit & laudat. Lutherus verò Saxonum secundus apostolus pro sua solita modestia sexcenties Pontificem Satanam & Antichristum vocat. Gloriabatur olim rex ille omnium optimus sese Rom. Ecclesiæ terras ab hostibus recuperasse. Tu verò Luthere, obsequium te præstitisse Deo putas, si non solum patrimonium Petri, sed & omnes omnium Ecclesiarum dotes in Pharaonis seruitutem subieceris. Placuit olim catholico illi principi per omnem Germaniam, ac Galliã, Romanum ritum & ordinem in psallendis diuinis officijs seruari. Tu verò Luthere Battologiam fugiens, non solum non psallis, sed & psallentes rides. Præcipit ille diligens fidei plantator synodos vniuersales omnes recipi, quæ præ diuersis fidei siue religionis causis diuersis locis siue temporibus, à doctis & catholicis viris celebratæ fuerunt. Tu verò concilia spernis atque refutas, quasi solus sis homo missus à Deo, qui possit ac debeat testimonium perhibere de lumine. Indignatione grauissima commotus est aduersus eos, qui in Mẽphite AEgyptiorum, Nicea Bythiniæ, Constantinopoli, ac alijs orientis vrbibus sanctorum tollebant imagines. Consectarij verò tui in hac re adeò horrenda admiserunt, vt etiã ea honoris causa cõmemorare non audeam, neq; velim. Docuit is pro defunctis spiritibus parentum & amicorum deprecari Dominum, ac etiam per Missarum solennia Deo sacrificium offerre: Tu iam post totidem secula sacrosanctum illud mysterium corporis & sanguinis Domini sacrificium posse vocari pertinacissime negas. Iubet ille sancta loca ac sanctas aras ab Episcopis consecrata venerari debere: Tu verò diruis altaria, quasi super illis sacrificemus Deo Baal, aut idolo Moloch. Exorcismos salis & aquæ ab antiqua consuetudine laudabat Carolus,

[Marginal notes: 1. lib. cap. 4. — Lib. 3. cap. 3. 7. 12. — Lib. 4. cap. 4. — 1. lib. cap. 6. — 2. lib. cap. 23 — Lib. 2. ca. 21. — Lib. 4. ca. 19. — Lib. 4. ca. 12.]

lus, Tu verò hæc oĩa rides, inter nobilissimos doctissimus ille rex virginitati cẽtesimũ fructũ ex euangelio promittit. Tu virginitatem adeo obscuras, vt etiam barbatum nostrum D. Hieronymi egregiũ virginitatis præconẽ acerrimo scõmate nõ erubueris vellicare. Testatur Alcuinus Carolum magnum cœnobia ad numerum literarũ alphabeti fundasse, ac copiose prędijs, alijsq; bonis dotasse. Lutherus verò non solũ monasteria non extruit, sed etiam solo æquare, aratro euertere, ac demum sale conspergere conatus est. Videant nunc consectarij quàm dissimiles sint Carolo magno principi, nunquam satis laudato. Simili insania, Melanthon (in apologia in locis communibus) Origenem traducẽs, inquit. Ex Origene, si tollas incõcinnas allegorias & philosophicarum sententiarum syluam, quantulum erit reliquum. Et tamen hunc authorẽ magno cõsensu sequuntur Græci, & ex Latinis qui videtur esse columnę, Ambrosius & Hieronymus: Quis autem hunc Melanthona constituit iudicem super ecclesiasticos, quos ignorantiæ insolenter insimulat? aut qua fretus authoritate hoc redarguendi primores Ecclesiæ munus aggreditur, vellem sane calamum temperasset: vbi ad reprehensionem maiorum audaculus est, & propensior æquo dentes exacuit. Debuisset potius meminisse horũ beati Pauli ad Thimotheum verborum seniorem ne increpaueris, sed obserua vt patrem, &c. Atq; vt vnico verbo cõplectar, episcopi cuncti, nosq; sacerdotes omnes sanctulis illis iustitiarijs idolũ sumus: Nemo sacerdos inquã duplici honore dignus ipsis est: iustumne id est, aduersus clarum euangelion, totum deponere exturbareq; sacerdotium? Quamuis enim Iudas, vnus inter apostolicum senatum: Ananias vnus: Simon acto. 8. aut alter, in Ecclesiã irrepãt, ob id ne Apostoli cuncti fugandi sunt & lapidandi? An propterea ecclesiastica hierarchia exterminãda? Non quis dicat, sed quid dicatur attẽde, inquit Seneca. An quia rotula vna in fenestra rotata destructa est, rotulas reliquas omneis, atq; totam fenestram cõminuamus? Non sic impij non sic: conuitiorum reprehensio non attingit illos qui secundum virtutem viuunt: Possem & ego ipsis, meo quidem iudicio, obuiare verius. Deprauatur scriptura, tollatur ergo hæresis, insurgunt seditiosi in pios Magistratus, puniantur ergo cum Catilina. Bona temporalia Ecclesiæ, hinc inde distrahuntur impijs cedentes, conuertantur ergo in pios vsus pauperum. Crucis figura abolita est, at lasciuæ imagines inflammantes perniciosam luxuriam, obuijs vlnis amplectuntur: adstruunt quidem posse fieri Eidololatriã, at illi sub prætextu auri cumulos tantum non adorant. At contentiosi minime ægreferetis (sic existimo) si è diametro à vobis dissentiam, id enim

[Margin notes: 1. Timot. 5. — Ioan. 19. Actor. 2.]

enim ſemper licuit ſemperq; licebit, non enim contentionis ſtudio, ſed veritatis defendendę gratia fit, amicus quidem Socrates, ſed magis amica veritas: forti animo, bona ſpe, magna fiducia, defendenda eſt veritas, cauſa iuſtitiæ, cauſa Eccleſiæ, quæ Dei eſt: Faceſſat igitur trepidatio, procul abeant metus, timores excidant, &c.

NVNC circumſpice (cādide lector) plebeculam iſtam (diuiſam in Baalamitas & priapiſtas) quot queſo habet adulteros, quot temulētos, quot aleatores, quot decoctores, quot vitiorum lerna infames? Agnoſcis (opinor) quas fabulas effutire poſſem, ſed nolo apertiſsima referre, nolo infundere oleum (vt ſoletis Huſsitæ) camino. Si vos ergo offendunt vitia chriſtianorum, oſtendite nobis veſtræ antichriſticę eccleſię ſpecimen quæ ſit abſq; ruga, & audiamus illam. Quód ſi noſtra ſcelera commeruerūt furorem Domini, ſolet ille per Pharaones, Antiochos, Cyros, Nabuchodonoſoras flagellare ſuos, non per Euangelicos viros quales haberi vultis. Confitemur (ó dolor) commeruiſſe eccleſiaſticos in S. R. E. atrociſsima quæque, & omnes nos iudicio quàm miſericordia digniores accuſamus: Neq; tamē ſpes confundit. Si vos flagellum eſtis altitonantis IESV, cum Attila filio Mūdzucci, vel Ziſcha, vel Monetario, vel Leydano, vel Hunis aut VVandalis, &c. fiat voluntas Domini, attamē poſt tenebras lux, ſerena dies, poſt nubila Phœbus: Nulla dies (inquit Seneca) mœrore caret: Qui ſeminant in lachrymis in exultatione metent, Pſal. 125. Superbum Saulem ſequetur mitiſsimus Samuel. Graue fateor lignum crucis, ſed magni meriti occaſio, in meſſe lætātur agricolæ, Eſa. 9. Iacob. 5. Hîc gemitus columbarum, illic in cęlis, Pæan, ió, & alleluia. Multæ tribulationes iuſtorū, ſed de his omnibus (canit Pſaltes) liberauit eos Dominus. Et iterum ſcriptura, Math. 5. Beati qui nunc fletis, quoniam ridebitis: illic cū angelis cantabimus, Exitus pulchrè comicus erit: dabit Deus his quoq; finem, neq; enim bona, neq; mala diuturna homini eſſe poſſunt.

Pſal. 33.

Probitas ſtabit tum, quando iniquitas perit.
Deus inultum hoc non ſinet, iudex erit.

Reſpirabitis aliquando Chriſtifideles, exaturabitur hoſtis tor vanis conatibus. Si enim propter decem viros iuſtos Pentapoli illi iniquiſsimæ pepercit Deus, cur nō ſperaremus & illum Germaniæ noſtræ (in qua haud dubie multa milia ſunt, qui non curuauerunt genua ſua aquilonari Baal) parſurū? Hoſtes verò in hoc nobis vtiliores ſunt, quàm amici, vt errata noſtra cognoſcamus, & cognita corrigamus. Si verò vos thraſones nemroithæ, motu & impulſu proprio veniſtis ad explenda deſideria cordis, próq; gloria nominis veſtri:

vobis erit finis longe longè pestilentior futurus, cum scriptum sit, Vę Assur virga furoris mei. Et iterum: Qui accipit gladium (violenter) gladio peribit. Quid vobis polliceamini nescio: mihi rerum proœmia, progressus & omnia signa, nihil aliud pollicentur quàm calamitosum, luctuosum exitum, & infœlicem catastrophen, tragicum enim habuit ingressum lepra. O innocentiã (etiamsi rumpantur ilia Iacobo Vvelbero de Vveinbach, & Erasmo Albero) ô Euangelion, verè doctrina Amritica & Ahabitica. O libertatem (vere Hesiodea Pandora) quam falso Christianam appellat Lutherus, cum potius Antichristiana & diabolica debeat vocari, quòd sanctæ Christi doctrinæ penitus sit aduersa, & diaboli muscipula ad illaqueandas animas. O vacua præsumptio: Quis iussit verbum illud viuificum contra Ecclesiam sponsi defendere? Imò, quis non intelligit, non Euangelion vos (priapistæ libidinosi) sed huius prætextu Craterion quęrere? Omnem licentiam arrogare? Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps. Toleraturine vos eratis, si qui de patribus vestris contra vos confœderati, sturnatim & glomeratim conspirarent, ac inuitis vobis omnia sub magistratu vestro subuerterent? Et quid magistratus cum imperio, si quod malum arcere non debet, & quod bonum tueri? Ruperunt fœdera (inquit Thucydides) non qui resistentibus resistunt, sed qui priores inuadunt. Et frustra legis implorat auxiliũ, qui ipse committit in eã. Atq; ita non fruatur beneficio pacis (§. præterea. de pace iuram. in vsib. feud.) qui ipse non pacem seruat. Sed dicitis Thaboritæ, iactanter tamẽ, vos pugnare pro verbo Christi, cum cõtra reuera pugnetis, tam contra Ecclesiam, q̃ contra patres vestros, qui vt fieretis Christiani, authores vobis extitere. Cur armastis principes vestros, alioqui egregios, in prælia? cur quo tẽpore consiliũ Tridentinũ erat congregatũ, tumultuũ fuistis authores, ac turbas consitastis repentinas? Nónne vt conciliũ vel nullum coiret, vel coactum dissiparetur? Num poteestis inficiari Dulcinistæ? Sed quid ego hæc psequor, quæ sunt innumera? Conferas obsecrò, piè lector, Orebitarum ferociam contra catholicos cum hodiernæ conspirationis actis, & fateberis congruere omnia. Quis quesò, ab vrsis istis, lupis & Harpyis, securus hactenus quieuit? nemo elapsis plurimis annis (anno 1416. incipiens) à facie illorum se abscondere potuit, ne quidem Carthusianus, aut in cellula virgo velata, monialis: Sacerdos in domo Dei: aut in desertis heremita, quin vniuersi cõtẽpti, in del moteriõ cõiecti, cõtumelijs adfecti, atq; pbris & salibus cõspersi veluti mãcipia sint: Quosdã tantũ nõ coxerũt, alios fustibus cecidere, reliquos in exiliũ miserũt. O quot pios

Esai. 10.

Ioan. 1.

L. Auxilii in fin. ff. de Minoribus

viros absorpsit noctu Moltavva, Tamesis? Quot clam carceribus enecati? quot veneno sublati, exusti ignibus, laqueis præfocati, aut gladio cæsi? hac sola causa, quod vnum Christon seruatorem ac mediatorem, adeoque authorem salutis, eiusque vnicam matrem S. Ecclesiam, aut docerent, aut confiterentur: Vt interim consulto prætercam (hæc etsi exosa videantur mea dicta, tamen vera dixisse nihil oberit, reor) Felicianos nouitios, quomodo hi deuorarint mortuos, atque eis prohibuerint gratiam, quomodo inquam, sanctorum suffoderint monumenta, reliquias subuerterint, despuerint & ridiculo habuerint, Ecclesias diripuerint, exciderint monasteria, expulerint Monachos, virgines polluerint, atque etiam iudicia tollere conati fuerint, ne quid superesset, quod pro talibus factis metuendum esset. Huiusmodi verò catorthoses seu correctiones fieri permittit Deus Opt. Max. vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes, quod presertim hoc nostro seculo palam est cernere, tot hominum millibus ab Ecclesia catholica deficientibus: Quorum occultæ quondam cogitationes, nunc palam in operibus manifestātur: quàm fuerint, inquam, multorum cogitationes abscōditæ iam patet, pleriq; etenim qui humanis coniecturis ante hos annos religiosiores cæteris putabantur, nunc (Eheu) cadunt primi: Mira rerum mutatio, qui ante fauebant S.R. Ecclesię, iam impugnant: Lusus iam Ecclesia est, qualem de pila fieri videmus, dum huc atque illuc impellitur, lusorum ictibus percussa. Sed aspicit illa ex alto Deus: & quāuis raro in terris homines digna supplicia cogit (lento enim gradu diuina vindicta progreditur) nullum tamen in supremo eius iudicio malū impunitū relinquit, cernit Deus omnia vindex: Liberum arbitrium nobis dedit, nos vt libet viuere finit, laxas dimisit mortalibus habenas: rationem tamen rerum omnium, dum iudicabit orbem, exacturus est: tumq; videbunt, an propter eos regna fuerunt instituta, an ipsi propter regna, qui suis omnia seruire libidinibus volūt, &c. Porrò quid attinet hîc immorari longius? quis tam facundus est, qui falsorum fratrum mala enumerare & detestari possit? Apostaticorum vanitates & errores, fictamque columbinam simplicitatem: si calamo explicare possem, non caperent omnes pelles Madian, cum planissime dictum sit, Omnis hypocrita nequam, & vniuersum os locutum est stultitiam, Extrinsecus sepulchra dealbata, &c. Verùm ego iamdudum oblitus mei ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδῶ: Scio quidē hostem Petrinæ nauis hæc irrisurum esse: at non mirum, quid ita? quia furiosorum quis vnquam morbum & cōfusionem agnouit suam? Et quid ego, qui humi serpo vel etiam oīm minimus, illis quibus nihil patres

orthos

Templorū excidia.

Esai. 9. Matt. 23. Id est, vltra septa transilio.

orthodoxi? Statueram ego in animo, me nihil amplius in apostaticum scribere velle; & hoc iuxta diui Pauli præceptum, qui hæreticum hominem post vnam atque alteram correptionem deuitandum censet. Perpulit me tamen ad scribendum indignitas rei: Et licet permulta sint quæ à scribendo me meritò retinere ac absterrere potuissent, maximè quod non ignorem quanta sit satanæ fraus ac versutia, nihilominus tamen cum aggressus sum excucullatum, meque contra consectariorum impressionem gladio sancti spiritus tuebor, quoad visum fuerit altissimo; proferat ergo quod visum fuerit apostaticus; sexcentis possum adhuc paradoxis (absit autem mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi) obuiare: puerile est fulgur ex vitro metuere: Cum explorator Alexandro referret maiorem esse Darij exercitum, dixit: Oues etiam licet plures ab vno aut altero lupo capiuntur. Vnus coquus non metuit multas oues. Et vt prouerbium sonat: Non Elephas culicem, nec dentati edentulos curant. Hercules (qui solet opitulari cæteris) olim aduersus hydram Lernæam & cancrum congressurus, coactus est alienum Symmachon implorare: Ego cum tot monstris dimicans quid faciam? quòd si velit me quis hostiliter inuadere, & insultare mihi infestis signis, non expectet post mortem, vbi nulla defendendi facultas superest, ne contra laruas pugnet, sed viuo colluctetur, vt collata acie pes pedi cohæreat, & si illic inermem confecerit, vel armatum deuicerit, victoriam iactet. Est nobis (laus superis) altior cothurnus: sunt longiora syrmata; dexter Apollo nondum ædeis nostras ac diuersoria deseruit: casta siquidem manu sacræ paginæ libros, thure vapido, frequentique libo veneramur. Si iusta attulerit arma, non dedignabor in prælium redire: Qualia autem esse debeant arma nostra docet Ephesios Paulus. Nec inaniter repetendum esse hoc loco opinor, hanc procacitatem (si modo procacitas est) me non libidinosè & iracundo affectu protulisse: sed quando exulceratissima hæc nostra tempora conspexi (quoniam omnia in deterius pedetentim abeunt) & quia maximæ sunt offensiones, putaui me facturum ex officio, si fortè communi patriæ prodesse possem. Eò enim me ducit non tam religio quàm natura, quæ totum quidem genus humanum, & omnes vbique gentes nobis commendat, inprimis autem eos, à quibus ortum habemus & educationem.

Viros arma decent.

VOS IGITVR NAVARCHAE (quibus orbis conditor, huius ingentis nauigij gubernacula credidit) qui præestis, torporem pellite, Expergiscimini: imò tot tamque crebris concussioni-

busiam diu experrecti, inspicite ineuitabilem necessitatem: labo-rat ex omni parte vastissimis fluctibus mirum in modum iacta-ta nauis Ecclesiæ. Reuoluite annales, & videbitis peiora non irrepsisse in orbem, Attendite vobis & vestratibus πολλάκι τοι καὶ μωρὸς ἀνὴρ κατὰ καίριον εἶπεν. Id est, sæpe etiam & stultus fuit oppor-tuna locutus. Considerate vestra culpa ferè Ecclesiam Christi penè augiæ stabulum referre: Satagite eam quamprimum expur-gare, ne irascatur Dominus, & pereatis de via iusta, Omnia in alea posita videtis, reuocate animos, pristinam excitate virtutem, Itàne abijt omnis maiorum memoria? Nihil iam (vt cum pio-rum venia loquar) illius sanguinis superest? Zelum sanctum induite: Diligite cum Regio Propheta decorem Domini, Ne no-bis & vobis exemplo Iudæorum malum, quod & 1. Corin. 10. vi-demus, contingat. Vestrum est abusus corrigere, & Ecclesiæ prospicere: atque vt inquit Esaias, cap. 21. Comedentes & biben-tes surgere, arripere clypeum: Qui vera virtute præditus est nihil spectat, nisi vt prosit reipublicæ: Ad priuatas iniurias, oportet principem esse facilem ad ignoscendum, in ijs verò quæ lędunt Re-ligionem Christianam & Rempublicam, decet esse seuerum. Gla-dius prothomystarum non sit cruentus, sed sit verbum Dei, clype-us fidei, Ephes. 6. sint lachrymæ: Errores & caçoethes anathe-matis flagello castigate: Mittere manus ad aratrum, & retrò respicere, agricolæ infelicis est, Lucæ 9. Parum illustris est qui præter imagines & cognomen nihil habet veræ nobilitatis. Vos inquam, naturæ in terris (vt Herodotus vult) simulacra: Et nul-lus est quem oporteat vel plura vel meliora scire quàm principem, cuius doctrina debet omnibus prodesse subiectis, hinc rectè Menan-der dixit. εἰκὼν δὲ βασιλεύς ἐστιν ἔμψυχος θεοῦ. In hoc ordinatus, non vt proprium commodum quærat, nec voluptati, lasciuiæ, aut vin-dictæ satisfaciat, sed vt labore, sollicitudine, cura, prouiden-tia, vigilia, conseruet humanam societatem & diuinum augificet cultum. Regale (inquit Cicero lib. 1. De diuinatione) est sape-re & dijudicare: Ita regnum gubernare, & ei præsidere, sicut corpori præsidet anima, & veluti mundo Deus. Boni principis est hoc vnum proprium lucrum, & instar infinitorum aliorum, omnia sic facere, vt & in ipso imperij tempore, & post id, iu-stitiæ ac bonorum omnium à subiectis testimonium habeat. Co-gnoscite tandem Deo vos rationem reddituros esse propter Eccle-siam: Quæ vna est periclitantium animorum portus & asylum, afflictæ conscientiæ solatium: Hanc à Christo tuendam susce-

Gladius Episcopalis. 1. Corin. 5.

Id est, viua rex planè exprimit Dei imaginem.

pistis,

pistis. Ibi sit omnis vestra cura, omnis cogitatio, omnis labor, præcipua spes vitæ æternæ. Hic primus & vnicus sit scopus, hoc votum, hoc vnum agite. Hæc præstiterunt Patres vestri, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius, Constantinus, Gottfridus, Otthones, Carolus magnus, & plerique alij: Qui omnes indefatigabili studio S. R. Ecclesiam amplíauerunt. Nimis longum foret recensere velle singula, Annales libri ista vberrimè tractant, ad hosce ergo vos remitto. Euoluite obsecro veteres & recentes historiarum libros, atque conferte horum temporum mores. Vestrum inquam esto iudicium, quàm irreuerenter, ne dicam impiè, de diuinis literis sentiant miseri apostatici, nusquam nõ hallucinantur: An non epistolam Iacobi nunc quasi stramentitiam reijciunt, nunc auream suscipiunt? Quis ignorat Gnosticos recentiores diuis ipsis nunc obloqui, nunc eosdem laudare? An non diuersis opinionibus ipsimet factiosi inter se digladiantur? Affirmat Melanthon (in locis communibus de præmijs operum) pater Confessionistarum, & filius Lutheri: Quòd bona opera, etiam præsupposita gratia, non mereantur vitam æternam. In contrarium asserit Lutherus (in assertion. artic. 29.) quòd bona opera, in gratia Dei facta, vitam consequantur æternã. Affirmat Lutherus (libro de captiuit. Babylonica) quòd omnes homines sint sacerdotes, & possint ligare & soluere, & vti clauibus. Ex opposito asserit (in locis vltimæ editionis) Philippus Brettanus, quòd sit ordo in Ecclesia, vt alij doceant & ministrent in Ecclesia, alij obediant ministris Euangelij. Affirmat Lutherus (De iudicio Christianæ cong.) quòd prorsus nullis hominum legibus teneamur. In contrarium asserit Philippus (in communi loco de ciuilibus Magistratibus) Melanthon, quòd cùm Euangelion non aboleat leges aut politias, nos oporteat illis obedire. Affirmat Lutherus (in assertionibus contra Leonem) quòd contritio ea quę pręcedit gratiam remissionis, omnino sit peccatum. In contrarium negat Philippus (in apologia & locis) Melanthon, contritionem esse peccatum, sed quòd sit prima pars pœnitentiæ. Affirmat Lutherus (in Resolutionibus & de decem leprosis) auricularem confessionem esse necessariam, sed esse carnificinam conscientiarum. In contrarium negat Melanthon (in loco communi de confessione) affirmans, quòd peccata debeant homines recensere sua iuxta decalogum, &cæt. Videant nunc quàm impiè hallucinentur, imò quàm miserè suam matrem (Ecclesiam) quæ eos in Christo genuit, & quam venerari debuerant, lacerent atque prostituant. Simili vesania in sanctorum professionem catholicam

& sacrosancta eorum monumenta, sibi virgam censoriam sumunt, hæc carpendo, illa probando. Iam mihi videte quomodo vestrũ hoc institutum respondeat mandato Iesu Christi: videte, quô vos abduxerint vestri sanguinarij susurrones: Nónne eo ipso se palam scripturæ diuinæ aduersari produnt? Væ orbi Christiano à tot scandalis, væ omnibus, væ maxime principibus & Episcopis, qui ad absurdissimas istas impietates tamdiu conniuent: En quo abduxit vos à fide & religione parentum vestrorum, vir vnus cuculatus & apostata? Non ita docuerunt (ita me Deus bene amet) quicunque hæretici, quamlibet & scelerati ac peruersi. Ego verò non omnes voco in crimen, sed eos duntaxat qui vos abduxerunt. Neque enim ignoro disparem vestratium hominum voluntatem. Multos scio honestos cordatosque viros offensos moribus Ecclesiasticorum, quos pręcones vestri assiduè populo obtrudunt & inculcant, nihil aliud secutos esse quàm reformationem Ecclesiæ, puriorisq; doctrinę opinionem. Resipiscite ergo & æquitatem & æquabilitatem è postliminio reuocate: Planta quæ subinde transfertur non fructificat: & lapis sepè volutus raró virescit. Gemite inquam, vt ignis stipulaceum Adamum amburat. State, præstat non agnouisse viam iustitiæ, quàm post agnitionem illius à sancta doctrina sibi tradita resilire, inquit Apostolus. Attendite lupum. Aperite oculos, & tot schismatarchas cernite. Arrigite aures, & tot vlulatus luporum, & tot fremitus leonum audite: manifestatus est lupus, patefactus est errorum labyrinthus, detectæ sunt hæreses, patefacta est intolerabilis libido & insania. Expergiscimini tandem, & vt inquit Esaias, Esu zedaka, hoc est, facite iustitiam. Expergiscimini inquam consopiti, tempus est, caligantesq; oculos aperite: assuescite iam tandem ęterna cogitare, & amare, & optare: simul autem peritura contemnere, condiscite à peruersa doctrina sponte discedere: Nõ solum videte quid agatur, verumetiam prouidete quid futurum sit. Hostis diabolus est, cuius satellites certe cercè omnibus neruis intendunt, vt vel arte vel vi sua zion capiant, destruant, subuertant: Quid istud est rei nouæ? Mementote Arrij, Nestorij, Sabellij: Quis nescit illorum dogma falsum primitus scintillam & fomitem fuisse, sed in magnam postmodum excreuisse flammam? consultissimum proinde fuerit, appropinquantibus hæresibus forti ausu occurrere. Id quod & Ouidianum illud instillare videtur.

Esai. 56.

Principiis obsta, sero medicina paratur
Cum mala per longas conualuere moras.

Et iterum.

Vidi ego quod fuerat, primo sanabile vulnus,
Dilatum longæ damna dedisse moræ.

Resecate itaq; putridas carnes in herbis quod aiunt, & scabiosam ouem à caulis repellite, ne omnia putrescãt, intereant, pereant. Quę est (inquit Hieronymus) ista misericordia, quæ ista bonitas, vni parcere, & omnes in discrimen adducere? Cum propter vnius hominis scelus, totam Rempublicam sępe soleat plectere Dominus in humano corpore, quoties membrum aliquod malè affectum est, vt nec de salute eius sperari posit, ne reliquum etiam corpus contagione sua totum inficiat, tum id membrum sine cunctatione præcidi solet: idem fieri videmus in ramis arborum, idem in vitium putatione, id quod Columella suasit, demutilato (inquit) cacumina virgarum ne luxurientur, &c. Et vos credite mihi, queadmodum ouis sępenumero vna totũ inficit gregẽ: ita vnus pestilens homo sæpe vniuersam, tam Ecclesiam, quàm Rempublicam. Est vtilius (inquit Cicero 5. act. in Verr.) vnius improbi supplicio multorum improbitatem coercere, quàm propter multos improbos vni parcere. Serpentem alere, & malo benefacere, idem est: neuter ad beneuolentiam beneficio trahitur. Hinc rectè dixit Hesiodus, πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ. Et sicut Magnes ipse non solùm ferrum attrahit, verumetiam aliud ad se trahit ferrum magneti affictum, ita contagio vis virtutis, aut improbitatis pernicies ab alio in alium transit. Quapropter extinguendi sunt improbi conatus, ne sensim per negligentiam nostram crescat incendium, & serũ (quod ominari reformidat animus) remedium conqueramur, quum à paruis initijs apostaticus funestũ caput extulerit, & annexerit vires. MEMENTOTE obsecrò, quãta portio Europę sit ablata: videtis Asiam ferè omnem huic nephando spurcissimóq; hosti cruento Tsuleimãno subiectam, Gręcos cunctos ab eo exterminatos, Rascianos principes, Triballos, & Thraces euersos, Illyricos perdomitos, Peloponnesum subactum, Macedoniã atq; Epirum cum maxima parte Hungariæ direptam, incensam, deuastatam. Quo Trapezuntium migrauit imperium? Vbi Athenæ? vbi Lacedęmonia, quæ sola gignebat masculos? Quid hìc pergam ea cõmemorare, quorum adeo recens est memoria, vt ipsę res etiam oculis atq; auribus, cunctisq; sensibus omnium inhæreant? Rhodũ captam, quid toties cruentas incursationes factas in reliquam Hungariæ partem? quid extinctum Ludouicũ regem, & Tripolim? Magna Europæ pars amissa est, de tota periclitamur, quorsum res euasuræ, Deus nouit. At quid bouem ad ceroma (vt cum pacificorum venia loquar) mitto, quum plurimos regina discordia sopire fecerit? Quid

queso in quacunque republica calamitosius atque pestilentius quàm capitum disparitas? Sed vnde ea disparitas? profectò negare non potestis, controuersias in negotio fidei & religionis, primariam esse causam hodiernæ tragœdiæ: vbi enim inconstantia, ibi & contentio, Iac. 1. & 3. Ex qua tandem disparitate seditiones factionesque exoriuntur, & vt scriptum est, Regna inter se diuisa desolantur. Quod experientia, rerum omnium magistra, non vno docuit euentu. Etheocles & Polynices fratres, concurrentes dissociatis animis fortè in pugna, ambo mutuis vulneribus consumpti sunt & occubuerunt: quid enim monomachia & gladiatoria lanięna crudelius aut immanius? quis non dixerit segetem omnium incommodorum esse dissensionem & elatam mentem? Et certum est, Turcas (tenuem, obscuram, & barbaram nationem) è Scythię latebris prorepentes, nostris creuisse dissidijs, & hanc imperij molem exedificasse. Atque sicut θάλασσα πάντα τ' ἀνθρώπων κακὰ: ita bellum operit omnium scelerum sentinam. Et Gręci quãdiu coniunctis viribus se defendebant, erant inuicti: distractis autem animis, & in sua priuatim commoda respicientibus, facti sunt præda tyrannis, & ita pessundati, nullus vt hodie sit fere populus calamitosior. Quo tempore Iulius & Pompeius exercebãt odia, sic erãt debilitatę fractæque Romani imperij vires, vt si quis tunc alius fuisset adortus eos, insignem reportasset victoriã. Ex dissensione cõtigit lapsus Luciferi: eiectio Adami ex paradiso: Troiæ destructio. Petendum igitur à Deo Opt. Max. q̃ diligenter et assiduè, vt istiusmodi seditiones atque discordias (quas in præsenti seculo videmus, tanquam in speculo) tollat: quoniã id à Catone ciuitatis venenum verissimè est appellatum, & placida pax desuper in orbem mittatur. Pacem (quã tranquillam libertatem vocat Cicero Philipp. 11.) docet Hesiodus à dijs procreatã: Bellũ autẽ à gigantibus. Alecto, crimina belli serit, principes stimulis (quibus ignescuntur animi) agit: fratres vnanimes armat in prælia, funereas infert faces: Odijs versat domos, vipereas inspirat animas. Leges & iudicia (inquit Cicero) esse non possunt pace sublata: Hinc vulgo dicitur, ἀνὴρ γὰρ ἄνδρα καὶ πόλις σώζει. Et alio in loco χεὶρ χεῖρα νίπτει, δάκτυλος τὸν δάκτυλον. Paci Phœbus præest comosus formosus vates.

Capitũ disparitas exitiosissimũ malum.

Id est mare eluit oim hominum mala.

Cicer. Philip. 8.

> *Pace vrbes florent pagique & pinguia rura.*
> *Musarũ studia & munera pace vigent.*

Bello Mars terrificus, galeatus, hastatus, deformis & impius, vnde Lucanus.

> *Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur.*

Nihil est tam populare quàm pax, qua non modò ij quibus sensum natura

sum natura dedit, sed etiã tecta atq; agri mihi (inqt Cicero) lætari vi= *Pro lege Agrar. contra popul.*
detur. Crates Thebanus vbiq; illud studuisse legitur, vt pacificis ser=
monibus dissidẽtes familias concordiæ pristinæ restitueret, lites diri=
meret. Pari consilio dissidentes fidei causas legimus sustulisse D. Gre
gorium Nazianzenũ, D. Hieronymi præceptorem. Nec reticendum
ὁμόνοιαν seu concordiam, esse vnum in vita moribusq; animum: Qua
ergo audacia (proh Deum atq; hominum fidem) audent mortales
homines inimicitias immortales exercere? possuntne homines adeo
esse immites, & vt efferi sint magis quàm implacabiles feræ? Quis
leo leonem iugulat? Quis vrsus vrsinos fœtus rapit? Quæ tigris inter=
rimit tigres? & quare nunc in propria viscera grassamur? Concuti=
tur hodie bellis Germania, Italia armis vastatur; concurrunt infestis
signis Hispani & Galli. Angli cum Scotis belligerãtur: in Dacia nul
lus paci est locus: Nec Polonus cedit Moscouitis: quantulum ergo
abest, quo minus vniuersus orbis Christianus bello à seipso dissideat,
& suo, quod dici solet, gladio iuguletur? Reuera bellũ diabolica res
est, quippe quo malorum Ἰλιὰς redundat in orbem, tot corporum mi=
lia exanimantur, quàm horrenda verò & tartarea pestis est, vbi in=
numeræ animarum myriades hæresũ ac scismatum contagio, vene=
no pereunt? Apis non solum mutum, verumetiam exiguum ani=
mal, in cõmune laborat: Et quare viri nominis Christiani Christia=
nismum disturbãt? cũmq; bellũ res sit adeo immanis, vt feras nõ ho=
mines deceat, adeo insana, vt Poetæ quoq; fingant à furijs immitti;
adeo pestilens, vt vniuersam morum luem simul inuehat; adeo iniu=
sta, vt à pessimis latronibus optimè soleat administrari: adeo impia,
vt nihil cohæreat cum Christo: cur omnibus omissis, mortales ho=
die iniustè bellum suscipiunt? In bellis & luctifica discordia discunt
homines sæuire, furere, insanire, vt ne commemorem interim, quan=
tam malorum lernam tegat vmbra belli: in pace verò bene beateq;
viuendi rationem apprehendunt. Quis non dixerit constare corpus
ex membrorum harmonia? quis negarit principum fide & concor=
dia patriæ salutem constare? Quamdiu pacem coluit Germania, po=
terat exteras nationes omneis fere facile cõtemnere. Posteaquã verò
Religionis diuersitas hominum voluntates immutauit, ipsa quoque
Respub. lãguere cæpit & debilitari. Priuatum suum quisq; commo=
dum spectat, & quomodo consistere possit, suũmq; statum tueri, ne
quando à vicinis opprimatur, cogitat. Hãc omnium pulcherrimam
nactus occasionem hæreticus, tumultuatur & sæuit, omnemq; spem
præcludit veteris tranquillitatis. Tantum igitur in pace boni, vt ad
eam rem perficiendam, deorum atq; hominum munera videantur
concur=

concurrere. Omne vnum (ait Boetius, lib. 4. de philosophica consolatione) persistit quamdiu manet vnum, sed interit atque dissoluitur quando vnum esse desinit. Exemplum nobis est Scilurus Scytha: is octoginta liberos masculos habens, quum esset moriturus fasciculum iaculorum singulis porrexit, iussitque rumpere, id cum singuli recusassent, eo quod videretur impossibile, ipse singula iacula exemit; atque ita facilè confregit omnia, filios admonens his verbis: Si concordes eritis, validi inuictique manebitis, contra, si dissidijs & seditione distracti fueritis, imbecilles eritis, & expugnatu faciles. Non potuit Scytha magis Scythicè rem ob oculos ponere.

Lapis Tirrheus grādis innatat, cōminutus sidit.

O proceres Latij: tuque o Germania fortis,
Et tu Papa, sacer Christi defendite nomen.
Inter vos pietas, sit pax, constantia firma.
Pax plenum virtutis opus, pax summa laborum,
Pax belli exacti preciū est, preciumque pericli.
Sydera pace vigent, consistunt terrea pace:
Nil placitum est sine pace Deo; nec munus ad aram &c.

Ad institutum vnde paululum digressi sumus. VESTRVM igitur fuerit viri, eam fidem quā à maioribus suscepistis ad sanguinem vsque defendere nec quicquā immutare in ijs quæ orthodoxæ fidei morumque sunt, quod à Patrum vestigijs diuariet: & id curare, vt subditi ab omni labe hæreseos sint immunes, sint cōstantes, sint dicto obsequentes eorū, qui Ecclesijs moderādis legitimè præsunt. Meminerint principes cur gladij vsum habeāt, cur illis relictus sit à Christo, à Iohanne, denique à tota Ecclesia. O Ecclesiæ magnates, qui à matrice Ecclesia stare contenditis, ipsam tandem audite, quam si in hanc diem audiuissetis, non audiretis iam vobis insultantes hæresiotas, quibus quod respondeatis nihil habetis. Sectæ iracundę quidē quiduis effutiunt, sed abusus verè taxant. Lauamini, mundi estote, auferte nequitias ab animabus vestris: cessate à nequitijs vestris, discite bonum facere, quærite iudicium, liberate iniuria oppressum, iudicate pupillo, & iustificate viduam. Conuertimini, conuertimini, idque citissimè: attendite iram Dei vndique insonantem, & securim arbori appositam: immodicus libertatis vsus seruitutis quandoque occasio fuit. Conuertimini, conuertimini, & vos ipsos tandem reformate, dū adhuc pœnitentiæ locus est. Audite & contremiscite districti iudicis verbum, Hierem. 50. Nolite esse sicut leo in domo vestra, euertentes domesticos vestros & opprimentes subiectos: Si me (inquit Dominus) exaudieritis, bona terræ comedetis: Si autem nō, gladius vos deuorabit. Eheu, quid gemitu feras preces eructo? Sicut cerui cum erexere aures acerrimi sunt auditus, cum remisere surdi, ita & nunc

Esai. 1.

Esai. 1.

non

non parum multi (qui vel Betho aëre crassiores) si quid arridet id procul etiam percipiunt, si quid secus non intelligunt, obsurdescũt & lapidescunt. Vter vento repletus cum acu pungitur flaccescit: & ad multorum (inquit Cicero 5. act. in Verr.) amicitiam faciliorem aditum habet nequitia, quàm cuiusquam virtus & integritas. Heroës, vestræ animæ luent, vestra corpora dependent in gehennæ flãma, si tot ac tam immanibus flagitijs, authoritate severitateq; vestra obuiam non itur. Adictis membranaceis nihil proficitur, nisi manũ quoq; Dei ministram admoueritis. Officium Spiritus sancti est, vt fiamus ac simus Christiani. At per vos stat, ne simus aut fiamus propalam gentes. Nec est quòd istam meam admonitionem sinistrè accipiatis: nam qui degenerandi pericula commonstrat, non derogat ordini, sed rẽ ordinis agit. Eiusmodi verò quasi funiculis peccatorũ, mystarum (vt diuini vates testantur) Heroum, atq; plebeorum peccata sunt cõpacta, vt difficile sit de vnius ordinis delictis inquirere, quin reliquorum simul ordinum peccata emergant. Quis nescit, præsenti tempore luxatam omnẽ disciplinã, aruisse messem terræ? mores huius seculi corruptos? Malitia supra maliciã in dies horasq; accreuit. Trahit sua quosq; voluptas. Corruit in plateis veritas: tradita est veritas in obliuionem. Non est veritas, non est misericordia, & nõ est scientia Dei in terra. Nulla sanitas in carne tota. Nullus lædendi finis, quoties misera vicissitudine conuitium conuitio, iniuria cõduplicatur iniuria. Pax sepulta est. Tempus malũ (inquit Amos) iustitia relictis terris in cælũ aufugit. Vitiũ vitiũ inuitat. Negotiũ è negotio seritur. Calumniatores vendunt mendacium. Alia ex alia nascitur calamitas. Laborat iustitia, premuntur inferiores, omnis ordo ferè bonus sublatus atque euersus: Defecerunt ministrandi pauperibus rationes ad priuatos vsus. Perijt æquũ iudiciũ in mundo. Nemo non instituit viam ad arbitrium cordis sui, malitia est immensa, populus admonitiones non audit, præfecti loqui libere non audent: Suo quisque studio maximè ducitur. Multæ (inquit Cicero) in naturis hominũ dissimilitudines sunt, vt alios dulcia, alios subamara delectent. Alij libidinosi, alij iracundi, aut crudeles, aut superbi. Alij gloriæ serui sunt, alij pecuniæ: rari sunt qui cæteris omnibus pro nihilo habitis, rerũ naturã studiose intueantur, &c. συγκέχυκε νῦν τὴν πίστιν ἡ καθ' ἡμᾶς ἔθος in precio preciũ est. Vulgo ingẽs probrum est paupertas: magna gloria diuitijs per fas nefásq; partis abundare. Euersa sunt veritatis dogmata, confusæ leges pietatis. iam pudori, probitati, virtuti, rectis studijs nihil est loci. iam stat in extremis ruitura fides. Magna est illecebra peccãdi impunitatis spes. Corrupti sunt deprauatiq;

Ioel. 1. Apo. 14. Esai. 59. Ose. 4.

Id est Aetate nostra fides omnis cõfunditur.

uatiq; mores admiratione diuitiarum. Aurum omnes vincta iam pietate colunt. Fratrum quoque gratia rara est, nec hospes ab hospite tutus, vt ferrum acuit ferrum, sic homo hominem irritat.

Rarescit virtus: omnis iacet ardor honesti.
Cessauit pietas, rectum cessauit, & aequum.

Egressus est à filia zió omnis decor eius. Nunquam polyphagia, & polyposia frequentior. Dilectio Dei & proximi nunquā frigidior: Philautia, Cenodoxia, Colacia, Tryphe nunquam feruentior: iacet cura praesidentium, friget studium omnis ordinis. Babylon in toto mundo in malis hominibus. Cerbereos legit haec aetas miseranda seruatus, Bellorum fructus colligit omnis homo. Quis hominum alterum non mutuò prosequitur? Quis ciuis non inuidet ciui? Quis plenam vicino exhibet charitatem? Et quando bella Crebriora, tumultus & seditiones maiores & atrociores extitere? Quando magis, non dico gens contra gentem, aut regnum aduersus regnum, sed ipsę in sese gentes collisae, regnáq; diuisa insurrexerunt? Ferae mutuo laniatu viuunt: & quisquis hodie potentior, malo inferioris ditescit ac crescit. Omnes amici, & omnes inimici: Omnes necessarij, & omnes aduersarij: omnes domestici, & nulli pacifici: omnes proximi, & omnes quae sua sunt quaerentes. Omnes ferè à iustitia ad flagitia deflectunt. Omnes praeesse, omnes imperare volunt, parére nemo. Pauci commune bonum & commodum procurant. Elephantus numen agnoscit, & cur mortales negligunt? Et quando luxus solutior? Quando stupra, adulteria vel latius patuerunt, vel impuniora fuere, vel minus in probro? vbi sunt qui calcatis opibus, spretis mundanis falsis honoribus, per pios labores ad caelestem illam patriam expediti festinant? Quando vera probitas despectior? Quando vnquam tyrannis, quando auaritia regnauit, aut latius aut impunitius? Quando licentius exundauit iniquitas? Quando sic refrixit charitas? Quid affertur, quid legitur, quid auditur, quid decernitur, nisi quod ambitionem quaestumq; sapiat? quando sic in precio habitae diuitiae vndecunque partae? Hodie puerascunt & per transennam conspiciunt, non parū (cum piorum venia) multi. Hodie ouium numerosa multitudo, pauciores veri pastores, patres paucissimi, contra illud Christi mandatum, Ioannis vltimo. ποίμαινε τὰ προβατάκια. Alius libidini seruit, alius auaritiae, alius ambitioni: Auro pulsa fides, auro venalia iura. Suum velle nunc cuiq; est rebellio: Spreta est omnis potestas, iudex quisq; esse vult sui, tantum curans tyrannide potiri. Vix quintus quisque hominum (pro dolor) Dei praecepto viuit. Maiorum constitutio inualida est, vulgóque palā ridetur. Hodie fallaces opes

Id est, pasce oues meas.

Hebri,

Hebri, Tagi, Pactoli, Gangis admiramur, & tantũ non adoramus: Pauci pias gazas cælestia munera, thesaurum (dona beata) æternum & inuectustabilem, quærunt. Hodie ardentius ad inferna (prò dolor) currimus, quàm superna: facilis descensus Auerni. Hodie τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται. Hodie non parum multi sacras conciones audiunt, non vt imitatione meliores fiant, sed vti delectentur. Quot modis viciatur triticum ac farina? quot modis vinum ac ceruisia? quot modis pannum reliquaque texta? omitto nunc in promissis perfidiam: in cõmercio supercilium ac morositatem. Nullũ sceleris genus non regnat: Nec vlla platea ab impostura & dolo immunis est. Vniuersi (inquit Psalmographus) à Deo defecerũt, & abominabiles penitus facti sunt, nec est qui bene agat, ne vnus quidẽ. Est extinctus amor, terris nox incubat atra, atq; ingens hominũ pectora frigus habet. Aurea, quã sancto ritu coluerũt, secula: aut nulla aut non est tẽpore rara fides. Perfurit & totum miscet Mars impius orbem. Quantum mortalia pectora cæcæ noctis habent? Olim vigebat florebatq; Christiana religio, amor dum erat & fides. Ea inuersa nunc omnia: scelus crescit, non pœna nec pœnitudo. Decepti homines cæcutiunt: seditio regnans gignit, Quòd mundo nusquam fides, &c. Sed quæ causa tantæ calamitatis?

Id est non pulchra pulchra videntur.

Psal. 14.

Cur ô mortales patimur non cognita priscis
Vlcera? cur pestes? mortis & omne genus?
Cur homicidia tot? saui cur arma Gradiui?
Tamque diu exanguem gens miseranda famem?
In promptu causa est spreta virtute voluptas
Regnat in orbe nocens, & vitiosa Venus,

Causa inq̃ est cæcitas: Fides perit, & charitas extincta est. Omnes itaque ordines (somnium Endimionis dormientes) vna orationis serie accusat Ezechiel, vates altiloquus, in hæc verba (Domini nomine) prorumpens. Sacerdotes (inquit) eius contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea, inter sacrum & prophanũ non habuerunt distantiam. Principes eius in medio illius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, ad perdẽdum animas, & auarè sectanda lucra. Populi terrę calumniabantur calumniam, hæc Propheta. Vtinam, vtinam, ad illa solum tempora hæc pertinerẽt, ac non nostri quoq; tẽporis imaginẽ referrent: Et cũ scriptũ sit nobis (inquit Saluianus, li. 4.) vt omnia faciamus in gloriã Dei) nos è diuerso cuncta in Dei facimus iniuriã: nebulis similes, quæ iuxta mutationes flatuũ nunc huc nũc illuc ferũtur. Cũq; ipse saluator noster ad nos quotidie clamet. Sic luceat lux vestra corã hoĩbus vt videant

opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est, Nos ita viuimus è contrario, vt filij hominum videant opera nostra mala, & blasphement Patrem qui est in cælis. Quàm multa sunt apud gentiles exempla eorum, qui fidem pecunia, qui pudicitiam vita potiorem habuerunt: qui sola conscientia recti contenti, neq; honores, neq; opes, neq; reliqua fortunæ cōmoda desiderarunt? Et vt ne commemorem Phocionis sanctitatem, Fabritij diuitijs potiorem paupertatem, Camilli magnanimitatem, Bruti seueritatem, Pythagoræ pudicitiam, Socratis inexpugnabilem continentiam, Catonis integritatem, ac mille pulcherrima omnium virtutum decora, quæ passim in Lacędemoniorū, in Persarū, in Atheniensium, in Romanorum Annalibus leguntur, magno quidem nostro pudore. Atque vt semel dicā, corpus morbo subducas omnia facis vt corpus & animā ab æterna morte subtrahas, nō illa facis quæ fecerunt & Ethnici? Hæc verò omnia prædixit Dominus, dicens: Ecce percutiam domum maiorem ruinis, & domum minorē scissionibus. Sed reprimamus nunc verba vsq; ad tempus magis oportunum, nam introductiones tantùm scribimus.

Amos 6.

Ad duo orbis Christiani lumina, Paraclesis.

Hoc pensa ô Pontifex maxime, tui interest tantas Christi iniurias & fidelium vlcisci: cogita quale futurum sit Dei iudicium. Noli pati vt perfidus iste, atque communis omnium hostis, sub iugo nos infidelitatis ac perfidiæ suæ subijciat, fidē & religionem nostram opprimat, regna & imperia pessundet. Adest adest hostis, aduolat quàm ocissimè rabida belua, præ foribus & in limite adest, festinat: ad nos opprimendos totis viribus accelerat, & instar torrentis, qui ex magnis & inundantibus pluuijs è montibus descendens, omnia secum rapit, prosternit, atque euertit. Sic hostis Ecclesiæ, pijs Christianis cædem, cladem, damna, & iacturas maximas infert. Enitere igitur, & quo studio curáque alij pro commodis suis necessariorumque suorum satagunt, ea tu pro gloria Dei & Ecclesia Christi, cui omnia teq; ipsum debes, dimica: Abundas doctrina & concilio; gratia & authoritate, cura etiam vt voluntatis & pietatis non leuia præ cæteris documēta sępe præbeas. Fauebit proculdubio pio studio & conatui Deus, & nō modò euentū præstabit, verū etiā chariorē & admirabiliorē cunctis te reddet, ac deinde beata immortalitate, & vt ait D. Petrus immarcessibili gloriæ corona remunerabit. Moueat te diuina pietas, & miserere Christianitatis tuæ, qui scis & potes, cui ad nutum oēs Christiani catholici, vindicaturi Christianorum iniurias

1. Petri 5.

(ab

(ab Hismahelitis lunigeris Sarmatis illatas) facile obtempera-bunt: iacula præuisa minus feriunt. Moueat te fides Petri, moueāt te dilaceratæ sanctorum reliquiæ, ædes sacræ euersæ. Ecce (ô dolor) templa Dei prophanata sunt sterquilinijs. Silent piè docentium ora, cum interea Iudæorum synagoga non taceat, contra id quod scriptum est, Esa. 56. Bethi beth thephilah. Reliquię martyrum & aliorum sanctorum iam cum Christo regnantium, aut porcis, aut canibus obijciuntur, aut pedibus conculcantur. Iam sacra Ecclesiastica disijciuntur atque proteruntur. Iam nulla statua sine singulari probro dimittitur. Basilicæ euertuntur. Sacerdotum collegia fugantur. Sacer negligitur honor: necessitudinis iura violantur: Fraterni amoris nexus rumpitur. Ecclesiæ sanctæ septem sacramenta subsannantur, contemnuntur, lacerantur: Monasteria ac pauperum tuguria exusta. Sacræ virgines cum viduis & puellis vitiatæ. Pecora abacta. Cuncta mœror ingens, veluti diffusa caligo, occupat: quando adeò omnia nunc sacra, tanto turbine atque intemperie, summa cum ignominia Christiani nominis, ac maximo cum periculo Romani imperij miscentur. Iacet contempta legum seueritas, religio oppressa est, mos maiorum sublatus, nulla pietas, metus nullus, nullus amplius (in improbis) pudor: tædium boni operis irrepsit, feruor operandi opera fidei tepuit. Omnis mora in sacris molestissima, at in spectaculis seu comœdijs poeticis ludicris, aut conuiuijs, nulla satis longa est: nemo in his dormit, nemo frigus aut æstum causatur, adeò increuit malitia. Altaria funditus diruta, cultu spiritali vacant: mundiora hodie ferè equorum stabula, q̄ diuorum templa. Nulli amplius Christianorum cœtus: cessarunt doctrinæ salubres, cessarunt panegyres: hymnodiæ nocturnæ nō habentur. Sacræ vestes versæ sunt in diploides: in ornamenta meretricum aut monacharum votifragarum, in tunicas sacrilegorum: Hîc nulla sacrificia, nullæ Missarum oblationes, horæ canonicæ nullę, ieiunia nulla, nullæ annuę celebritates sanctorum: Ecclesiarum dedicationes nullæ, processiones supplicantium nullæ, nulla sacrosanctæ crucis vexilla, nulla in tēplis luminaria, breuiter nihil eorum quę catholica antiquitus seruauit Ecclesia: à cælibatu sacerdotes eximunt: laicis Eucharistiæ consecratio permittitur. Mulierculis identidē voto cōstrictis licentiā indulgēt lasciuiendi, apostaticì: Nomina sanctorum, in cælis triumphantium, de canone sacrificij, quasi idolatrica essent, erasa. Vbi Ecclesiasticę disciplinæ vigor? vbi canonū reuerētia? An non sacra omnia & profana cōmixta sunt? vbi nunc syncerè orthodoxi? Quis hęreticorū cōmunione se pollui existimat? iacet oīs disciplina, ridet obediētia, ablata est

regendi, solis sacerdotibus concessa authoritas miserè hallucinatur, & palat ignobile vulgus. Ordo Ecclesiasticus confunditur, deturbatur. Constitutiones ab vniuersali Ecclesia iam olim receptæ, abrogantur, rescinduntur. Ecclesiæ ager, tritico fidelium sanáque doctrina odoriferus atque flagrans, errorum quisquilijs corrumpitur, polluitur: fidei candor, sectariorum technis atque imposturis conspurcatur. Quis non dixerit nos ferè ex Christianismo in Ethnicismum prolapsos?

Nunquam adeo Mauors nostras perterruit vrbes,
Nunquam adeo reges, belligerosque duces.
Vulcano pereunt altis in montibus arces.
Viuitur ex rapto, nulla rapina satis:
Flagranti vruntur flamma numero sine villæ,
Vrunturque humiles igne sonante casæ.
Corruit & Christi, & sanctæ Genitricis imago,
Fœdant picturas stercora multa sacras.
Vastatur seruandæ extructa domuncula mannæ,
Diripitur miris arcula sculpta modis:
Cœnobijs pellunt monachos, castasq; puellas,
Non tutus monachus, virgineusque chorus.
Templorum ornatus vesanis diripiuntur,
Sacrilegæ spoliant templa sacrata manus.
Reliquiæ quoque diuorum pedibus miserorum
Calcantur, calcant reliquias miseri.
Historias magna referentes arte fenestræ
Franguntur, bello quæque fenestra cadit.

O ignominia gentis Christianæ: ô dedecus nostri nominis sempiternum: ô seculum illud infœlix: ô ferreum seculum: ô detestabile vitium resque nunquam audita. O nephas inexpiandum. O cælum. O terra hosce absorbe. O maria. O furiosam & execrabilem, horrendã, & abominabilé impietatem. O horrendum & miserabile spectaculum. O deflenda dies, nigróque notanda lapillo. O sacrilegum genus, proh impudentiam. O scelera tetra, cor meum mihi rumpitur doloribus. O miram hominum dementiam. O Lemnium malũ. O pudor: O indignitas: O verè tempus, quale (vt inquit Daniel) nõ fuit ex quo gentes cœperunt esse. O vere dies illa, dies est. (teste propheta) iræ, calamitatis & miseriæ, in quo est frigus & gelu. O tarda fulmina. O volucrem fortunam, quàm citò omnia ex lætitia & voluptate, ad luctum & lachrymas recidunt? Quo recidimus? Quis iam non opinatur vltimum instare diem? vnde scimus in propinquo esse mundi finem? Osiander quidem diem & annum contra Dei præceptum, non veretur publicare: Ego illud liquidò (cõiecturis cõtẽtus) dixerim, eò nũc prolapsum esse rerum humanarum

Danielis 15. Sophon. 3. Zachar. vlt.

ϰλῦσμα, vt nunquam adeſſe poſſet opportunius. An non idem nunc faciunt homines, quod fecere imminente cataclyſmo? Epulantur, potant, comeſſantur, ducunt, nubunt, ſcortantur, emunt, vendunt, fœnerant, & fœnerantur, ædificãt, belligerantur, populus tumultuatur, ſcriptura adulteratur, tot modò apud nos popinæ, tot ganeæ, tot gnatonum & luparum tabernæ, tot modò reperta ferculorum genera, tot obſoniorum condimenta, tot menſarum leges & cæremoniæ, vt Aſiatorum, Mileſiorum, Sybaritarum, Tarentinorũ: prætereà Sardanapali, Xerxis, Claudij, Tiberij, Vitellij, Heliogabali, Galieni imperatorum opipara conuiuia longe longè ſuperent. Belligeramur aſſiduè, gens cum gente colliditur, regnum cum regno, ciuitas cum ciuitate, princeps cum principe, populus cum populo, & quod Ethnici quoque fatentur impium, affinis cum affine, cognatus cum cognato, frater cum fratre, filius cum patre: denique, quod ego ſanè puto his omnibus atrocius, Chriſtianus cum Chriſtiano. Iocus & ludus ſunt, in militia domos diripere, fama ſpoliare, virgines rapere, ſolidas vrbes atque oppida incendere. Hæc decora: profuiſſe nemini, nocuiſſe quàm plurimis: Denique nihil malorum abeſt, fames, ſitis, latrocinia, bellum, peſtilentia, ſeditio, rerum bonarum inopia. An non hæc arguunt adeſſe finem rerum humanarum? nimius ſum fateor, at quis non præ indignitate rei totus in lachrymas ſolueretur? O bone Deus, cur me tam funeſti ludi ſpectatorem delegiſti? cur non rapuiſti ante hæc ſecula, cum patribus meis, ſpiritum meum? quàm voluiſſem vnquam hos receſſus conſpexiſſe? quàm præſtabat, in remotis orbis terrarum plagis nunc abeſſe? Hîc non abſurdum videtur, huic querelę Sapphicon Georgij Dayi annectere.

O dolor, φεῦ φεῦ ſcelus ô nephandum.
Exulat Chriſtus, Nouus & Pilatus
Prodijt, rurſum minitans IESV
Verbera mortem.
Quod dedit Chriſtus, docuit quòd almus
Spiritus, ſancti tenuere patres,
Credidit per ſecula tot priora
Turba fidelis.
Vnus id totum iugulat Lutherus
Vnus hic Chriſto melior? magisque
Spiritu verus? patribus tot iſte
Plus valet vnus.

Euigila ergo animo, Pater beatiſsime: Heli memento, qui in filios Ophni & Phinees negligens, grauem in ſe excepit

vltionem, fractis ceruicibus, peremptis liberis, ablata arca: Et Saulem regem, non ob aliud Deus auersatus est, quàm quod ille quidē peccantes filios suos lenius quàm debebat corripuit. Nec alia re Phinees sacerdos & ipse, sempiternum sacerdotium sibi posterisq; suis stabiliuit, & iram Dei à filijs Israel auertit, quàm quod zelatus pro Deo suo flagitiosos vltus est. Sentiant & te iudicem qui patrem non agnoscunt: sentiant seuerum, qui hactenus lenitate tua sunt abusi. Imitare Samaritanum illum Euangelicum, qui vulneribus consauciati à latronibus, nō modò lenitatis oleum, verumetiam acrimoniæ vinum infudit. Eiecit Christus vendentes & ementes: Eijce & tu cultum diuinum profanantes, & sanctissimas cæremonias irridentes: Eijce rapientes aliena, & in Christianos Domini sacerdotes impias & conscelleratas manus inijcientes. Deniq; subuerte mensas numulariorū, hoc est, repurga Dei Ecclesiā: Cernis vt omniū Ecclesiasticorū oculi in te conie̋ctisunt, oēs taciti fidē opē q; tuā mecū implorant: te pastorē & Antistitem suum summum in terris agnoscunt, tibi se salutē ac dignitatem suam, tibi sanctissimam Christi religionē, cum suis mysterijs ac cæremonijs, etiam atque etiam commendat ordo Ecclesiasticus. Elige B. Pater potius castigare affectus, quàm propter ipsos castigari. Cogita te pastorem, & corpus tuum ἐσκωληκοδόχον: Viro docto cogitandum est frequenter de migratione ex hoc æuo, deq; vita illa sempiterna, & ita meditandum sæpe ac multum, vt familiarem sibi cogitationem mortis faciat, ne ad illius mentionem terreatur. Magnus est (inquit vetus prouerbium) Athletā placuisse Herculi: quātum ergo tu Deo, à quo toties laudabere, quoties aliquid egeris illi gratum: hic scopus ergo, vnde merces immortalis consequitur.

Numeri. 25.

Hoc est, vermium receptaculum.

Præficitur pastor baculo munitus adunco,
Vt vigili erranteis lumine seruet oues.

Ad Protectorem fidei Christianæ, Paraclesis.

SVB VMBRA ALARVM TVARVM PROTEGE NOS.

Sed non simili ratione tu præteriri debes inuictissime Cæsar, qui totius orbis Christiani hyperaspistes es, haud dissimilis Pelleo magnanimo, seu Cæsari dictatori: te alloquor, & olitor aliquando oportuna locutus est: Summi gubernatores in magnis nonnunquam tempestatibus à vectoribus admoneri solent, ait Cicero, Philippica 7. Scimusque Deum per asinæ etiam os veritatem locutum fuisse. Tu

ille,

ille, qui à maiorum magnanimitate & pietate minimè degeneras, ſed veluti hæreditariam accepiſti virtutem. Viuunt in te imperatoris Maximiliani virtutes: Viuit adhuc recẽs, & poſteritate ipſa creſcit, proaui tui Frederici memoria: Honeſtos ille labores pro ludo habuit, terris iactatus & alto: voluptatem & ocium (peſtem teterrimã) non ſecus fugiebat, quàm Maximilianus. Quot hyemes ſub pellibus egit Maximilianus, pius, fœlix, Auguſtus? quantis anguſtijs ſua ſe vigilantia expediuit μεγαλοπρεπέστατος Fredericus? Quid obtinuit, quò non ſumma cum laude ſit perfunctus? debent illa pectori tuo (maxime Cæſar) infixa ſedere: onerant aliàs (vt venia tua dixerim) te tuorum imagines, non illuſtrant: niſi quibus factis illi ſibi nobilitatem pepererunt, ijs tu tuearis imagines eorum, & alas eorum titulis. Huc te vocat Habſpurgicæ familiæ claritas, huc patriæ pietas: aderunt fortibus auſis ſuperi fauentes. Audaces adiuuat ipſe Deus, & in re honeſta ſuus cuique animus Deus eſt. Tu ne cede malis, ſed contra ardentius ito. Haud eſt virile (inquit Seneca) terga fortunæ dare. Sic ſic itur ad cœlum. Maxima pars ſtadij tibi iam decurſa eſt: hoc alacrius ad metam propera, quo propior es. Tuis humeris innixa eſt patria: Qua (inquit Cicero, ad Quirites poſt red.) nihil dulcius, nihil charius in vita eſſe debet: hanc qui conſeruarint, adiuuerint, auxerint, æterna poſſidebunt gaudia. Illi (domeſtici tui) deſpõdebunt animum, niſi eum præſtiteris quem ſemper eſſe iudicarunt, Regis ad exemplum totus componitur orbis. Hæc ruitura eſt ſi te ſubduxeris. Σπάρτην ἔλαχες, κείνην κόσμει. Ardua eſt, iuxta Heſiodum, via, ſed in vertice manet inæſtimabile præmium. Verè regium, magniq; animi eſt, malè audire, quum bene feceris. Aſina per medios ignes ſuccurrit ſuo fœtui, & imperator fortiſsimus deſtituet domeſticã ſedem periclitantem, cuius pars ſunt & liberi? Placet hic egregiũ exemplum pietatis erga patriam in medium adducere: Peſte Lacedæmonios occupante, propter necem legatorum, quos Xerxes miſerat terram & aquam petens ceu primitias prædæ, oraculum datum eſt: liberandos ipſos, ſi qui modo Lacedæmoniorum regi ſeſe occidẽdos obtuliſſent. Tum Bules & Sperches adierunt regem, cum mortis ſuę petitione: ille verò hominum virtutem admiratus, domum reuerti iuſsit. Serenus ſcribit eos rogatos, vt cum Xerxe manerent, reſpondiſſe: non poſſe ſe patriam relinquere, cuius charitatis & peſtis auertendæ gratia tantum itineris morituri confeciſſent, &c. Eò ergo perge, non quò te reuocat mundus, ſed quo te vocat pancratiaſtes Chriſtus. An te remoratur difficultas, vbi cælum promittitur? an dubitas de præmio, vbi promiſſor eſt Deus? Deus Opt. Max. hoc ſanctiſsi-

Id eſt. Spartã ſortitus es, hãc orna

nam religionem esse demersam: vides inundare hæreses, quæ iuue-nescunt, nidificant. Non nescis Cæsar, quomodo hæreticus nutaue-rit, quomodo duabus aliquando sellis sederit, quàm insidiose tecum hostis tuus egerit, quod fœdus percusserit, quomodo bellum tibi de-nunciarit, epistola multum atroci & plena exprobrationum, quomo-do libellis editis & picturis, nomen tuum, atque famam lacerarit? Meministin, quanta fide & diligentia iuuerit hostes tuos Gallicanos? Quod si clamauerint, quod solent, & magno supercilio intonant de Euangelio, & libertate sua Euangelica, non mouearis hisce philtris: Hæc enim sunt illa suauia & blanda carmina, quæ multos pios Ec-clesiæ alumnos in errores & naufragia pertraxerunt. Hæ sunt illæ Syrenes, quas obturatis auribus, vt Vlysses fecit, prænauigare oportet, ad euitandum periculum. Nomine duntaxat Christiani, cæ-terùm doctrinæ Christi & Ecclesiæ, tum irrisores, tum oppugnato-res. Vide ne quid istorum perduellionum blateramenta te permo-ueant, quorum miseranda cæcitas deploranda potius quàm imi-tanda. Fac ergo, vt reflorescat prisca fidei veritas, nam murem in pe-ra nutrire quàm tutum sit, prouerbium docet: Anguis torpentem fri gore herinacium domi suscepit; qui calefactus extensis pennis anguē domo pepulit: Nullus ad nocendum (ait Cicero) efficacior, quàm do-mesticus inimicus: & nullæ sunt occultiores insidiæ, quàm quæ latēt in simulatione officij, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam eū qui palam est aduersarius, facile cauendo (ait idem) vitare possis: hoc verò occultum, intestinum, ac domesticum malum nō modò existit, uerumetiam opprimit antequam prospicere atque explorare potueris. Concoquendæ tot iniuriæ, tot imperij deformationes acceptæ? Sat odoratus es. Quò ingentia consilia abiere? quantum Græciæ subegi-mus? Quousque Sacramentariorum nomen inanibus inter nos collo-quijs fugauimus? optamus oēs, ac precamur Deum, vt quāadmodū Cyri animum olim emollijt, & ad sui populi liberationem accom-modauit, ita quoque te his nostris, nimium adflictis, & ferè deplora-tis temporibus, salutarem esse S.R.E. exoptat protectorem. Ecce iā nomen tuum vbique euolat. Ecce te omnes Christifideles in auxilium & defensionem inuocant, te assertorem, & liberatorem appellant. Nullus vnquam in Christiano orbe à septingentis retro annis po-tentior, nemo victorijs plenior, nemo milite exercitato instructior. O fælix patria, quæ te talem & tantum virum produxit. O fælices parentes qui te genuere. O fælices proceres & commilitones, qui te ducem, te rectorem, principem & imperatorem sequuntur: qui tanto rege gaudent, vtuntur fruunturque, ibis fælix, fælicior redibis. Domi-

Actio. 7. in Verrem.

Occultæ inimici magis timēdi quā indicti & aperti.

nus(mentium efficacissimus transformator)erit protector vitæ tuæ; & à quo trepidabis? mittet tibi auxilium de sancto, & de zion tuebitur te: Tribuet tibi secundum cor tuum, & omne consilium tuum confirmabit. Deus obijcit clypeum suum in bello (inquit Homerus omnium disciplinarum oceanus) vt principes tueatur, qui & Palladem deam Achilli adfuisse finxit: Non deerit virtutis exercendę materia, non ingentis laudis occasio. Ecce populus tuus, & ciues tui tibi aram constituunt. Ecce te tanquam Deum, & numen quoddam terrestre colũt, venerãturq;. Ecce ꝑ te vt victor & incolumis redeas, preces iugiter ad Deum effundere parati. Ecce tibi vrbeis, familiã, liberos, quicquid habent, possident, seq; totum denique in mancipiũ dedunt, atq; tradunt. Ibis ergo ô lux & decus patriæ tuæ, in hosteis Christi, liberabis conculcatum Christianismum: fortem fortuna adiuuet, & fortitudini fortuna adiumento esse solet: Imperium virtute partum, virtute tuendum: & pax repudianda, si sub eius nomine la-

Hier. 20. titat bellum. Soter inquam tecum est, tanquam fortis bellator, ideo qui tua negotia remorantur & persequuntur, cadent. Patrium est e-

Romanis patrium imperare. nim Romanis alijs imperare ait D. Halicarnasseus. Quid ergo aduersus stimulum calcas? Non deseretur Romanum Imperium. Nosti Vergilianum: Imperium sine fine dedi? Rursum: Romanos rerum dominos? Nosti Homericum illud, Aeneas, τρώεσσιν ἀνάξει? Vt ho-

Hyperoche seu excellentia Romani Cæsaratus mo (inquit Florus) qui animãtium solus rationis ac cogitationis particeps est, cæteris omnibus præfertur animalibus. Ita Romanum Imperium, cæterarum gentium imperia atque respub. excelluit dignitate. Collige itaque teipsum: vehementeis namque composuisti animorum motus, exitia interuertisti, tumultus & διχοστασίας compescuisti. Quid enim aliud est principis in facinorosos lenitas, quàm in bonos crudelitas? suscipienda (inquit Cicero, 1. Offi.) bella sunt, vt in pace sine iniuria viuatur: ad priuatas inquam iniurias, oportet principem esse facilem ad ignoscendum: in ijs verò quæ Rempublicam

C. noli existi. a.p. & religionem lædunt, decet esse seuerum: id quod & LL. volunt. Iustum est bellum, quod ita geritur, non vt bellum exerceatur, sed vt pax acquiratur. Licuit ergo illud tuæ reputationi, bonos in pace conseruare, & inquietos perduelliones (qui rescindũt decreta) castigare. Et, sicut sol χρυσόκομος est in mundo oculus: cor in cęlo, iucunditas diei, & cæli pulchritudo: occidens, oriens, æstuans, temperans, viuificans,

Proprietates solis. producens, maturans, attrahens, extenuans, purgans, durans, emolliens, illustrans, serenans, exhilarans. Ita & tu potentissime sceptrifer mundo adaptatus es: Quod nobis videtur cecinisse Agapetus, hisce verbis, ὥσπερ ὀφθαλμὸς ἐμπέφυκε σώματι, οὕτω βασιλεὺς τῷ κόσμῳ ἐνήρμοσται. Sic

sic,

sic, Rerum certa salus, terrarum gloria Cæsar: Immortalis eris, nunquam tua fama peribit: Stabunt æternos fortia cœpta dies. Non est prolongata manus Domini, veniet fides, & illa temporis filia VERITAS victrix stabit. Quæ tantam semper potentiam habuit, vt nullius machinis, aut cuiusquam hominis ingenio aut arte subuerti potuerit. Hæc licet in causis (inquit Cicero) nullum patronum aut defensorem obtineat, tamen per seipsa defenditur, &c. Adducet Deus Opt. Max. lætam rerum vicissitudinem. Redibit S.E. lux pristina, sartietur vnitas, cultusq; religionis, in dignitatis pristinum gradum, cum vsura restituetur. Humiliabitur superbia Assur, & sceptrum Aegypti recedet: Fiet quod vaticinatur Esaias, capite 32. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciç, & in requie opulenta. Nec enim dormitabit neque dormiet qui custodit Israel. Veritas.

AVREA AETAS.

Aurea quippe prius longis amissa diebus
Aetas, his validis manibus reuocata redibit.
Resque suas modicas humilis cum diuite pauper
Aequabit, veluti fertur vixisse vetustas.

Et iterum.

Tristia iam lætis, vertentur & vltima primis:
Celsa ruent, stabunt quæ cecidere prius.
Regnabit pietas cælo demissa sereno,
A qua descendit quicquid vbique boni est.
Ipse redibit amor, ratio instituetur honesti,
Mutabit mores, impia turba, suos.
Iustitiæ studium ciues venerabitur inter,
Et quæ nunc virtus vndique spreta iacet,
In falcem durus curuam formabitur ensis: Esai. 2.
Qui modò sæua gerit prælia vertet humum.
Veraque nutanti iam pax donabitur orbi,
Aurea Saturni tempora regis erunt.

Epinicion seu victoriale, & gratulatorium carmen.

Græcia Aristiden, Augustum Roma celebret,
Te patriæ dicet Theutonis ora patrem.
I cito maxime rex, tibi sic Deus oro benignum
Præstet iter, faueat principijsq; tuis.
Ecce humeris defers mundi rex fortis habenas:
Iure tibi paret, quicquid in orbe vides.
Viue vale gaude βασιλεῦ fortissime regum:
Et tibi cunctipotens vota secundet, Amen.

CHRI-

CHRISTIANORVM PROSEVCHE AD DEVM, VT GLORIOSISSIMO FIDEI DEFENSORI, SVSCEPTAS expeditiones terra mariq; pro misericordia sua Diuina, nec non Ecclesiæ suæ bono, prosperare, atq; victoriã tribuere dignetur, vt tandẽ domitis Dei hostibus in pace & tranquillitate Deo seruire valeamus.

OPT. Max. Domine Deus, clementissime Pater, miserator & misericors, patiens & multæ misericordiæ, & verax, prẹter quẽ persuasissimum habemus, nõ esse alium, quem et corde & ore, omnes quotquot sumus, confitemur, colimus, atq; in veritate Verũ Deum, trinum in personis, ac vnum in essentia, adoramus: Cuius diuino, ineloquibiliq; oris verbo, cælum & terra, omniáq; in eis conclusa, ad extremum vsq; miraculum, ac vltra quàm humani captus imbecillitas compræhendere valeat, sunt condita. Quiq; haud (quãsquam es immensus, atq; omnipotens, nec non omnia, teste propheta tuo Dauide, fecisti in cælo & in terra, quæcunq; voluisti) grauatè Patris appellationem admittis, cum nos Filius tuus Dominus noster IESVS CHRISTVS, per quem popellum tuum à fæuissima diaboli manu (in quam lapsi prima virgine præuia) liberaueris, atque in conditionem longe meliorem, longéq; dulciorem constitueris, nos sic orare docuerit, vt semper misericordię tuæ aulã pulsaturi, à paterni nominis vocabulo auspicaremur. Qui procul dubio, cũ sit sophia tua, nihil vnquam docere tentauit, quod sublimitati tuæ displicere nouerit. Nouit autem omnia, quem omnibus pręfecisti, inclina igitur Domine Deus Pater fidelissime, aures tuas diuinas de throni tui celsitudine, & audi orationem nostram, quam cernui coram maiestate tua tremenda oramus. Nec minimum est, quod nos filioli tui apud clementiæ tuæ solium impetrare satagimus, potentiæ tamen tuæ factu facilimum. Nec nobis formidanda repulsa, quam sæpissimè apud huius mundi princ̃ipes mortales patiuntur, cum certi simus quantum nos diligas, vt etiam Filiũ tuum vnigenitum, pro salute nostra mori destinaueris, ipséq; nihil sententiæ tuæ repugnans, sed voluntatis tuæ decreto lubens morem gesserit vsq; ad mortem, mortem autem (vt Apostolus tuus ait) crucis. Domine Deus Pater omnipotens, oramus te per inenarrabilem Filij tui IESV naturę humanæ

manæ aſſumptionem miraculoſam, natiuitatem ſalutarem, quam ta men omnium turpiſſimam paſſus in cruce mortem, triumphalem à mortuis anaſtaſin, glorioſam in cælos aſcenſionem, deſiderabilem ha gij pneumatis cælitus demiſſionē, vt ſeruo tuo Regi Catholico, cuiꝰ tui tuo deditiſſimo, ſuſceptas in rebelles expeditiones, proſperare, vi ctoriamq; largiri digneris. Nec tale quicquam precamur, vt ſecu- rius in carne ambulemus, aut oſcitantius præcepta tua præuarican- do peccemus, ſed quò liberius, feruentioriq; mentis noſtræ æſtu, im- menſæ maieſtati tuæ ſecundū ſpiritus tui inſpirationem ſeruiamus, teq; cū omnibus tibi placentibus, hîc & illic in dierū longitudine lau dare poſsimus. O pater cæleſtis, audi atq; exaudi inuocātes te in ve- ritate, quæ eſt filius tuus vnigenitus Dominus noſter IESVS CHRITVS benedictus in ſecula. Moueat te precioſus filij tui ſan- guis. In quibus quōdā regionibus nomē tuū ſanctū adorabatur, in il lis maieſtas tua tremenda (ò dolor) blaſphematur, à quibus etiā fœ- difragis plebecula tua in arctum adeo angulum contruſa eſt, vt mi- nimam orbis terræ à te conditi portionem incolamus. Pater niſi pre cēs noſtras exaudieris, hanc exiguam exſtantis adhuc Chriſtianiſmi partem ſimiliter amittemus, omneſq; cum parentibus noſtris, ſce- leſtiſſimis impietatis magiſtris (aduerſarijs tuis) ſeruire cogemur, cul tuſq; tuus in orbe delebitur radicitus. Noſti Pater, quem nihil latet, quā prorſus nullū, aut q̄ minutum ab initio rebellantiū imperium, quantūq; nunc ſe extendat Turcarum regnū: à Septentrione ad Me ridiē, ab Oriente ad occidentē. Id enim Septentrionali plaga, per vl timū Pontiſinū vſq; ad Colchos, Albanoſq; cū ingēti S.E. detrimēto exporrigitur. A Meridionali regione, mari Erythræo, plagaq; Nilo- tica terminatur. Sole occiduo, Mælia, Macedonia, Epiro, Illirico fi- nitur. A ſolis ortu Euphrate clauditur, &c. Quis aūt poterit omnem rebellātiū tyrannidē in querimoniā adducere? Audi & exaudi nos Domine, & miſerere noſtri. Dic Regi fortiſsimo, quod in veteri lege Ioſue regi dixiſti: Confortabitur & robuſtus erit, nec quiſq̄ ei reſiſtet. Præſta domine Cæſari noſtro, vt in brachij tui robore vindicet læſam maieſtatē, ac iuſtorū ſanguinē quē ſanguiſitibundus hoſtis in furore ſuo hauſit, nec haurire deſinit. Trade domine Pater cæleſtis perfidos in tui ſerui poteſtatē, qui te vſq; adeò diligit vt ob nominis tui glo- riā mori nō dubitet, quiq; ab incunabulis vſq; nullū nō mouerit la- pidē, quò cultus tuus dilataretur, atq; indies creſceret: in qua re, ma- iores ſuos ab vtroq; parente non ſolum æquauit, verumetiā longo poſt ſe interuallo reliquit & ſuperat: id quod nō ſibi ex ſuis, ſed ſpiri- tus tui inflationi acceptum fert. Qua in virtute à benignitate tua tributa, ipſum perſcrutabilē miſericordiæ tuæ abyſſum, ſtabilire ac

Kk conſ-

confirmare velis, quo copiosius auxilium contra suos, & S. R. E. hostes crudeles, à cælo expectare mereatur: Nec aliunde nouus Iosue noster & archistrategus dependet, quàm à maiestate tua, maiestas humana à diuina, mortalis ab immortali, qui tibi se & sua omnia iamdudum commendauit, quẽ summe commendatum habere, ac tueri digneris. Fac domine Deus Pater misericors famulum tuũ sentire, preces nostras clementiæ tuæ gratas fuisse, quod vt nobis tribuatur in nomine filij tui precamur. Quicunque vnquam te orarunt ô pater, aliquid impetrarunt. Da nobis filiolis tuis gratiam, vt & nos id quod filij tui nomine petimus impetremus. Cum Aegyptus iussu tuo ranarum multitudine obstrepera infestaretur, orauit te Moses, ranęq; reuersæ in flumina. Immissa est musca grauissima in domos Pharaonis, seruorumque eius, & in omnem Aegyptiacam plagam, Moses deprecatus est, & muscæ ex orationis virtute depulsæ sunt. Cum Solomõ peteret à te sapientiã, supremũ bonũ quod das mortalibus, exaudisti & dixisti: Postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudiciũ, Ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens in tantum, vt nullus ante te similis tibi fuerit, nec post resurrecturus sit, sed & hæc quæ non postulasti dedi tibi, diuitias scilicet & gloriã, vt nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus. Sareptanæ mulieris filius cum vita decessisset, clamauit pro illa ad sedem tuam Helias, & exauditus est, & reuixit puer. Impetrauit Iosue te inuocãdo, vt sol & luna starẽt, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis, stetit itaq; sol in medio cæli, & non festinauit occũbere spacio vnius diei: non fuit antea & postea tã longa dies, obediẽte te Domine voci hominis, & pugnãte pro Israel. Cũ Iudith uellet occidere Holofernẽ, stetit ante lectum orans cũ lachrymis & labiorũ motu in silentio, dicens. Confirma me domine deus Israhel, & respice in hac hora ad opera manuũ mearũ, vt sicut promisisti, Hierusalẽ ciuitatẽ erigas, vt hoc quod per te posse cogitaui perficiã: Et res ei ex animi sentẽtia successit Clamamus ad te cũ Iosaphat, Domine Deus patrũ nostrorũ, tu es Deus in cælo, & dominaris cunctis regnis gentiũ, in manu tua est fortitudo & potentia, nec quisquã tibi potest resistere. Presta imperatori nostro, vincendi hostes tuos, atq; tuorũ fortitudinẽ. Cũ eodẽ Iosaphat & Iuda cadimus proni in terra corã facie tua, & adoramus te, largire famulo tuo palmã. vt impij rebelles, confiteantur tandem, te esse verum Deum, trinum in personis, vnumque in essentia: Et IESVM agnoscãt mũdi redemptorẽ, illique seruire incipiant. Clamamus cũ psalmographo: Exaltare qui iudicas terrã, redde retributionẽ superbis, vsq; quo peccatores Domine, vsq; quo peccatores gloriabuntur, effabuntur, & loquen-

loquentur iniquitatem, loquentur omnes qui operantur iniuſtitiā, populum tuum Domine humiliauerunt, & hæreditatem tuā vexa-uerunt, & pupillos occiderunt. Adiuua regem inſtructiſsimū noſtrū Deus ſalutaris noſter, Et propter gloriā nominis tui Domine libe-ra nos ab impijs. O pater miſerator nos aduoluti pedibus tuis ora-mus te quemadmodum Ezechias orauit: Domine exercituū Deus Iſrahel, qui ſedes ſuper Cherubin, tu es Deus ſolus omnium regno-rum, tu feciſti cælum & terram, Inclina Domine aurem tuam, & vide & audi impiorum nephanda ſcelera, aduerſus te & tuam S. Ec-cleſiā. In te ſolo cōfidimus, in te ſolo confidit gratus alumnus Cæſar. Præſta igitur victoriam omnipotens domine Deus. Exurge & diſſi-pentur inimici tui: Maledictus homo qui confidit in homine, & car-nē ponit brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius. Benedictus vir qui confidit in Domino, erit Dominus fiducia eius, Sunt arma, equi, viri, ſed in his neq; nos fiduciam poſuimus, neq; rex noſter po-tentiſsimus, Quicquid fiduciæ habemus, in te domine Deus ſolo fir-matū eſt, neq; à te, niſi tu dereliqueris nos, cademus. Innumerabilis aduerſariorum vis, maius eſt brachij tui robur, in quo Pharao cum omni exercitu ſuo perijt in mari rubro. Iabin rex Haſor, Iobab rex Mandor, rex Semerō, rex Achſaph, Chananæus, Amorrhæus, Ethæ us, Pherezęus, Iebuſæus. Euęus quoq;, qui habitabat ad radices Her mon in terra Maſpha. Iſti reges omnes egreſsi ſunt cum turmis ſuis, populus multus nimis, ſicut arena quæ eſt in littore maris, equi quoq; & currus immenſæ multitudinis conuenerunt contra Iſrahel, dixiſti q; tu domine Deus noſter ad Ioſue regem. Ne timeas eos, cras enim hac eadē hora, ego tradā omnes iſtos vulnerandos in conſpe-ctu Iſrahel. Equos eorū ſubneruabis, & currus igne combures, & fa-ctum eſt domine Deus ſecundū verbū tuum. Ita quoque miſericors domine velis aſsiſtere Eccleſię tuæ defenſori, aduerſus crudeliſsimos inimicos verbi tui, vt in virtute tua palmā reportet, atq; triumphet. Impius tyrannus ſimilis fiat Adoniſedech. Et exitum regis Hai ſor-tiatur. Sis domine Deus cum Imperatore noſtro quemad. fuiſti cum Moſe & Ioſue: Trade domine Deus impios Chriſticydas in manus eius, vt Chuſanratathiam Meſopotamiæ regem conieciſti in manus Othonielis. Ne derelinquas famulum tuū Deus noſter ad te clamā-tē cū Dauide, Adiutor meus, & protector meus tu es, Deus ne tarda ueris. Id quod & nos te ex penetralibus cordium precamur per filij tui Domini noſtri IESV CHRISTI ſanguinē, quē pro redēptio-ne noſtra effudit, cui tecum, quemadmodum & Spiritui ſancto, ſit laus & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Ioſue 10.

Vt Ioſue, ita vincat fidei noſtræ deſ. nſor.

ECCLESIAE AD CHRISTIFIDELES alumnos, Exhortatio.

QVocirca ſtate mecum Chriſtifideles, induite totam armaturã
Dei, vt poſsitis ſtare aduerſus inſultus diaboli. Ephe. vi. State.
lumbis circumcinctis baltheo per veritatem.; & tu perdilecta mea
SVNAMITIS (quę hactenus fortiter viciſti omnigenos hoſtes, olim
nullis ſuperabilis armis, & quam nunquã potuit proſternere bellica
uirtus) Reuertere, reuertere: Reuertere ad me dicit Dominus om-
nipotens, Iob. 14. Tit. 1. Can. 6. Hier. 3. 4. Reg. 17. Ezech. 18. Mala.
3. et ego te ſuſcipiam. Remea ad verum Chriſti ouile, cognoſce teip-
ſum. Conuertere ad Dominum Deum tuum, recordare, qua boni-
tate te ſponſus meus condiderit? qua miſericordia redemerit? qua li-
beralitate locupletarit? qua lenitate ſuſtinuerit te delinquentẽ? Ora
veniã: Synaxim ritè celebra. Seduxerũt te viri pacifici tui, Hier. 38.
Proſtrauit te ſubdola lingua nigelli: Hic niger eſt, hunc tu Romane
Horatius. caueto. Sed quid Horatium profero? tametſi ab Hieronymo et do-
ctus & acutus appellatur, cum ſub ouina pelle cauendos lupos præ-
Eſai 3. cipiat ſponſus ille meus, qui ſolus eſt, non tam renum, quàm cordi-
um perſcrutator? Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipi-
Hoc eſt ſerpentem confoues & iſte unt: ὄφιν θάλπεις, καὶ οἱ ὄφις. Quid tecum hæres? Heu quanta inuidentia
ſatan iam olim inſidiatur ſaluti tuæ? in quas ærumnas te coniecit?
Quid te ſeduci pateris? cur in furias te pręcipitas? Cur immemor no-
minis, religionis, profeſsionis, vnius hominis ſacrilegam temerita-
tem Eccleſiæ Chriſti præponis? Quando exterges hanc maculam?
Quis te à ſeueri iudicis abſoluet ira? cur confeſſos, conuictos, dam-
natoſque rebellantes et inſultantes contra me matrem (vniuerſſam
Eccleſiam) ſuſtines, ac intra viſcera tua claudis? Quorſum diſtrahe-
ris per tot diſpendia? cur ad hunc modum te crucias & affligis ipſe?
Vide quò te ipſam deieceris, miſera Sunamitis. Chriſtus ſponſus
meus te tam charam habuit, vt te ſuo ſanguine redemerit, vt te cæ-
leſtis hæreditatis conſortem eſſe voluerit, & tu te facis cloacam, ad
quam cõmeant quilibet ſordidi, impuri, ſcabioſi? An non vides, mi-
ſera & afflicta Sunamitis, te pro pace tumultus, ſeditiones, rebellio-
nes, inteſtina & externa bella, pro rerum abundantia, omnium re-
rum penuriam, ſterilitatem recepiſſe? Ah neſcis demens quanta
pericla manẽt? Quid trepidas atque triſtaris verò? Quid rõchiſſas
& ſter-

& ſtertis? Quid cũctaris, ſponſo meo ne diffidis? Quæ hæc rerũ μετα-
βολὴ eſt? Vnde ea mentium alienatio? Quæ te occupant intẽperię? An
ſathanas eſt ſponſo potentior? Si malam cauſam defendis, cur non
mutas propoſitum? Si piam atque iuſtam, cur Dei promiſsis non
confidis? O prauum & inſulſum tuorum conſilium. Conſule, conſule
iam tibi, ne hæreſis te tuoſq; opprimat. Nihil cogitat ſubdolus hære-
ſiarcha, nihil molitur veterator perfidus, niſi quomodo fidem Chri-
ſti (ſub prætextu) expugnet atq; obruat. Cur dormis? at ſathanę ſatel-
les, inimicus tuus, non torpeſcit, non ocio tabeſcit, inuigilat, laborat,
accelerat, vt Chriſti Euangelion prophanet, Petri nauiculã ſubruat,
veſtem Chriſti diſcindat, atque dilaceret.

Ah procul à recto seducta vagaris ouili.
Ah miseranda feris es modo præda lupis.
O mea progenies dulcissima, teutona pubes,
Accipias matris tristia verba tuæ.

Hæccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens? Qua fronte
audes contra ſponſum meum, & tuum regem, qui pro te vitam im-
pendit, infeſta ſigna tollere? cur ludibrio habes me ſponſam ſuam?
Quid eſſe poteſt execrabilius, monſtruoſiuſq;? Quouſque patiar ge-
neratio incredula & peruerſa? quouſq; ero vobiſcũ? vbi deuota pe-
ctora? vnde tanta vacillatio, qui ſemper cæteris nationibus fortitu-
dinis & conſtantiæ laude præcelluiſtis? Quid vobis felicius, ſi poſitis
diſsidijs concordes eſſetis in domo Domini? Reuoca obſecro (Suna-
mitis) maiorum tuorum fidem: memento dierum antiquorum, co-
gita generationes ſingulas, interroga patrem tuum & annunciabit
tibi, maiores tuos & dicent tibi. Quis neſcit Timotheum quoque ad- Deuter. 32.
monuiſſe Paulum, vt fidei quæ primũ habitauit in auia ſua Loide,
& matre ſua Eunicæ recordaretur, & Ioãnes in canonica ſua antiqui 2. Timot. 1.
tatẽ ſeruãdã docet: Quod, inq̃t, audiuiſtis ab initio, maneat in vobis, Irenę. li. 4. ca. 43. Aug.
inſiſtite ergo veſtigijs patrũ ſanctiſsimorũ, nõ ſunt bleſi, balbi, Pytha contra Maniche. ca. 4.
gorei: Sed viri ſapientia graues, ſcientia inſignes, virtutibus & pote-
ſtatibus pollentes, vita & moribus integri, prudẽtia inuicti, ætate &
robore diſpoſiti, in me mãſerũt ἀναμάρτητοι, & ego pro eis ſteti: Et quid
pulchrius q̃ prudentem, quid honeſtius q̃ temperatum, quid maius
q̃ fortem eſſe dici? Præpone (Chriſtiana plebecula) tibi Herculis exẽ-
plũ: is adhuc ephœbus & prætextatæ ætatis, cũ ad biuiũ illud, quod Virtutis laus.
à Pythagora in forma (Υ) ὔψιλον literæ figuratũ fuit, perueniſſet: repul
ſa voluptate totis vt aiunt vlnis virtutẽ cõplexus eſt. Omnia ei ad-
ſunt bona quę penes eſt virtus. Sola virtus expers ſepulchri, virtuti
fortuna cedit: virtuti oĩa parẽt. Domat oĩa virtus. Virtutis & gloriæ

comes inuidia: Nunquam ſtygias fertur ad vmbras inclyta virtus, Qui per virtutem perit, non ſol interit: atq; vt ait Cicero, (in Piſo.) virtutis tanta eſt vis, vt nõ poſsit vnquam eſſe vir bonus non beatus: Hæc (virtus) conciliat amicitias atque conſeruat, conciliatrix amicitiæ eſt: in ea eſt conuenientia rerum, in ea eſt ſtabilitas, in ea eſt conſtantia in tempeſtate ſæua, quieta eſt. Virtus ad bene viuendum ſeipſa contenta eſt. Lucet in tenebris, & pulſa loco manet tamẽ: Alienis ſordibus nunquàm obſoleſcit. Hæc altiſsimis defixa radicibus, nunquam labefactatur, nunquam dimouetur loco. Nihil intentatum relinquit. Eneruos animos odit: tendit in ardua. Hæc longe longè flammiferis aſtris formoſior eſt: hæc nunquam à Chriſtifidelibus eripitur, nec ſurripi poteſt, neque naufragio, neque incendio amittitur, nec vi tempeſtatum, nec perturbatione temporum mutatur: ſe poſsidentes diuinos efficit, etc. Submittite, ſubmittite, chariſsimi ſponſo meo IESV CHRISTO (qui eſt ſplẽdor paternæ gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius) animos veſtros, & demiſsis ſpiritibus ad ſeruiendum ei, lachrymas ſeu preces Energiticas & intenſas effundite, vt pro ſua voluntate vobis impertiatur miſericordiam ſuam, vt ſicut animus veſter ſuperbia impiorum conſternatus eſt, ita rurſum ex afflictione conſequatur gloria. Vbi nunc animi veſtri conſtantia? literæ? fides? iuramentũ? Quo Excelſi ſpiritus abiere? Non vos ſeducit ſponſa Chriſti (qui enim Chriſtum ſequitur, per eius veſtigia vſque ad æternæ lucis ſolium trãſmeabit) tu contra audentior ito.

Fidite virtuti, fortuna fugatior vndis,
Non manet & certam neſcit habere domum.

Etiamſi vltra Getas & Rypheum cęlum relegati eſſetis, nos vos, Vinea illa Engaddi negabit. Quamobrem dilectiſsimi zelotæ (qui præsbyteri eſtis populi Dei, & ex vobis pendet animus ſubditorum: vita & prædicatione veſtra illorum animi eriguntur, & quales in Repub. inquit Cicero, principes ſunt, tales reliqui ſolent eſſe ciues) Agite ante omnia gratias ſponſo meo IESV, qui tentat: Reputate, hæc ipſa ſupplicia eſſe & flagella Domini, quibus quaſi tranſgreſſores vos caſtigat Dominus. Ponite idcirco fiduciam & ſpem veſtram in Domino, & ipſe (dilectus meus ſponſus) vos mirabiliter & ſtupendis modis enutriet, non tardabit, non dabit inæternũ fluctuationem iuſto, Pſa. 54. Quid enim illo ditius? Quid illuſtrius eo? Quid illo potẽtius? Quid auguſtius? Quid fortius atq; inuictius? Quid triũphãtius? Sapiẽtius? formoſius? Quid efficacius? Qui ſimplici nutu cõdidit vniuerſa: ipſe ophthalmicus verus, procul hinc Machaones, Podoly

Integritas præſidẽtũ, ſalus eſt ſubditorum.

Cic. l. titulo Famil. lib. 1.

Eminẽtiſsima dilectio Dei erga ſigmẽtũ ſuũ.

rij & Aesculapij: ipse ipse Deus zyō, qui rectissime dextra administrat mūdi gubernacula, qui flexuosa cūcta rectè dirigit. Qui pro nobis vinciri, trahi, dānari, rideri, cædi, cōspui, vapulare, probris affici, demū in ara crucis agnus sine macula immolari voluit, vt nos suis vinclis solueret, suis sanaret vulneribus, suo purgaret sanguine, sua morte ad immortalitatis laureā eueheret. Qui omnem ceruicem elatam deprimit, & omnes colles in plana deducit. Ipse iustitia nostra, victoria nostra, spes & securitas nostra: Triumphus & corona nostra: Et quid maius, quid clarius, quàm Christi amicum & esse & appellari? Excedit hæc dignitas naturæ humanæ terminos. Hic omnes consolatur, erigit, armat, docet, mouet, trahit, rapit, mutat, transformat, viget, sentit, meminit, præuidet, regit & moderatur, omnibus vndique obuius: Is nostrum hunc limum induit, nostra forma (quo esset amabilior & coniunctior nobis) tectus, nostram infirmitatem (excepta culpa, neque enim sordium nostrarum quicquam omnino contraxit) induit, nostram humanitatem assumpsit: vt nos immortalitatis gloria vestiret, & in sui, hoc est summi boni, communionem assereret. Vt nos seruaret homo factus est: vt peccatores sanaret, cum peccatoribus familiariter versatus est. Vt Iudæos alliceret, circūcisus est, purificatus est, obseruauit sabbata. Ad huius mei dilecti sponsi iussum silescit mare, vertuntur rerū species, fugiunt morbi, cōcidunt armati, pelluntur dæmones, seruiunt elementa, scinduntur petræ, reuiuiscunt mortui, resipiscunt peccatores, denique nouantur omnia? Quis nescit immensitatem eius adorandam magis quàm explicandam? QVERITE ergo (filioli) Dominū, dum inueniri potest: inuocate eum dum prope est: Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad dilectum meum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Non excidat vobis Hieremianum istud: Domine cognouimus impietates nostras, & iniquitates patrū nostrorū (delinquentiū) quia peccauimus tibi. Ne des nos opprobrium propter nomen tuum, neque facias nobis contumeliam, soli gloriæ tuę recordare, ne irritum facias fœdus tuum quod nobiscum habes, &c. Diligite Dominum omnes sancti eius, fidos enim tuetur Dominus, & abunde retribuit his qui superbè agunt. Eia ergo fili Charissime, patienter expecta, quisquis sapis, auxilium Domini: Sis animo infracto, nec dubita quin ipse sponsus meus confortaturus sit cor tuum, & quicquid acciderit tibi feras patienter, & totus pendeas à Domino. In os sacrosanctum paranymphi mei, oculos tuos fige: Huc aures cordis admoue, hunc time. Qui timet dominum, ab auditione mala non timebit,

Luc. 11. Esai. 55. Hiere. 14. Psal. 31. Timor Domini.

Kk iiij sed &

ſed & omnes deſpiciet inimicos. Si honor & opes quærũtur, Glo-
ria & diuitiæ in domo eius. Si laus & fauor, generatio rectorum be-
nedicetur: Si potentia, potens erit in terra ipſe & ſemen eius: Forti-
tudo eius exaltabitur in gloria. Si nuptiæ & coniugij proſperitas:
Vxor eius ſicut vitis abundans in lateribus domus, & filij eius ſi-
cut nouellę oliuarum. Si corporis ſanitas & robur: Non dabit Do-
minus ſanctos ſuos videre corruptionem. Ille ianua, Ioan. 10. Ille
via, vita, veritas, Ioã. 5. 14. Ille Stephanoplocus. Ille ſcala ſanguinis
& aquæ, hanc vidit Iacob: in illa angeli deſcenderunt & aſcenderunt.
Genef. 28. Solus iſte mirabilia facit, vnicuiq; miſeretur omnium: ſolus pius &
miſericors. Ipſius miſericordia eſt, qui reddet vnicuique ſecundum
Pſal. 61. opera eius. Qui & miſeretur & iudicat, & ſaluat in terra. Qui bonus
Hier. 9. Marci 10. Sapiens, fortis, Iob 12. Ille lactea per quam deſcendere &
aſcendere debent aroma precum veſtrarũ (filioli) plenis acerris. Ha-
derech, (inquit Eſaias de orthodoxa doctrina, capite 30.) Lechu bo,
ki Thaæminu, vcki Thaſmeilu: id eſt, Hęc eſt via, ambulate in ea,
1. Tim. 2. tam hi qui ad dextram declinatis, quàm qui ad ſiniſtram. Eia (iterum
Ioan. 9. Ioan. 3. dico) chariſsimi, puras & innocentes manus veſtras extendite: Fidu-
ciam habete erga Deum, & quicquid petieritis accipietis ab eo, di-
lecto meo. Præcepta eius cuſtodite, & ea quæ ſunt placita coram eo
facite. Talem te præbe fili (ait Ambroſius, lib. 2. cap. 10.) bonis ſtu-
dijs, & prompta fide, vt Deus tui miſereatur, & vocet te ſicut Eccle-
ſiam vocauit, dicens: Palam factus ſum quærentibus me; apparui
ijs qui me nõ interrogabãt. Auiculis (inqt Chryſoſtomus) ideo datæ
ſunt alæ, vt fugiant laqueos: & ratio vobis hominibus, vt à peccatis
effugiatis, &c. Conſtantes igitur eſtote, & obfirmetur cor veſtrum,
Id eſt, viri eſt accidẽtia generoſè ferre. omnes qui ſperatis in Dominum: Ἀνδρὸς τὰ προσπίπτοντα γενναίως φέρειν. Co-
gita fili quale futurum ſit Dei iudicium: expende omnia peccata
tua. Nam licet ipſe delictorum obliuiſcaris, Deus nunquam obliuiſ-
citur: ſed omnia tuis oculis obijcientur, niſi nunc præueniens ea, diſ-
ſoluas pœnitudine & confeſſione. &c. Fratres quidem noſtri, & olim
Iob. 42. filioli, qui vbera mea ſuxerunt: Ah longè longe (cum benefacta be-
Pſal. 9. nefactis cumulanda ſint) facti ſunt à me: Dereliquerunt me (Lydium
lapidem & indicem) propinqui mei, & qui me nouerant, obliuioni
nos tradiderunt: Retia expandunt inſidiantes vitæ meæ, & ſtuden-
Pſal. 37. tes incommodare mihi, loquuntur ſcelerata, & fraudes aſſiduè ma-
chinantur; impinguatum enim eſt & ſtupore veluti aruina obductũ
1. Pet. 2. Philip. 2. cor illorum: magiſtri mẽdaces & inimici crucis Chriſti facti. Quibus
olim dedi ſanctum baptiſmum, ſacros ordines, ſceptrum: Hi in Vuic
clephicos transformati, Huſſiticaque glande ſaginati, nunc rabie ca-
nina

nina immanissimos edunt contra me latratus, vt me dirumpant. Siphnius lapis oleo excalfactus durescit, alioqui mollissimus: Et hodie ingrata soboles, benefactis redditur deterior. Si quando fletu & ieiunio se macerat pius alumnus, ingrati vertunt id, & mihi & filiolis meis, probro. Visus sum huc usque pro veste sacco, & factus sum etiam ob hoc illis fabula. Pessime loquuntur de me qui potant vinum in tabernis. Lippus ille nigellus veterator (quid non turbarum inuexit aper ille Calydonius?) & homo factus ad lites, perfidè violauit fidem meam, progeniem seduxit. Improbus est (inquit Plautus) qui beneficium scit sumere, & reddere nescit. Ingratus est, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit: ingratus, inquam, qui id dissimulat: rursum ingratus, qui non reddit: at omnium ingratissimus, qui oblitus est. An non ingratus Absalon patri suo? Quis nescit ingratum fuisse Saulem erga Dauida, & huius plagam? An non ingratus (o viscera saxa) Lutherus matri suæ? Sic Ioas rex, occidit filium Ioiadæ sacerdotis, immemor beneficiorum quæ contulerat in illum Ioiada sacerdos. Sic ingratus fuit Amasias rex, is ab hoste liberatus Domini manu: Dei immemor beneficiorum, idola adorauit. Quis Hieroboam ingratum, Quis Laban, Quis filios Amon nescit? Ingratus aut malè facit, aut malè cogitat: Sibi tantùm parcit, alijs detrahit: Et odit omneis qui bonis benefaciunt. Ingratus est audacior, quo nequior: impudens ad omnia scelera trahitur. Audax est, cuncta semper in peius mouēs. Ingratus est seminarium scelerum omnium: Huic est auara mens, & animus perditus: Huic fastus impotens. Ingratus hoc vnum benefacit, cum perit: Nā tellus ipsa fœdius nihil creat. Portentum id omnium est habendum maximum. Is ergo (pro summis beneficijs maleficium reddens) ingratus. Saxo me matrem perturbauit, contra id quod scriptum est, Exod. 20. Leui. 20. Deutero. 25. Prouerb. 6. 15. & 30. Ecclesiast. 3. A qua matre fuerat nudus egensq; receptus olim: Quem enutriui, & exaltaui, hic spreuit me. Quid à me præteritum est, quo tarditatem tuam Luthere vincerem? Audes inficiari homo frontis perfrictæ? Testabuntur laborum meorum apud tuos monumenta. Non rubore perfunderis? Non exhorrescis, non te ipsum refugis, si quando ab ista lepra consectarij resipiscunt? Tu Ecclesiam matrem tuam, tam bene meritam de te non amare, non venerari potes? Quid me citis pedibus mortalis insectaris? nondum me Ecclesiam intellexisti? Tu me persequi nō cessas? Qua me insontē mactasti insania? memini istin factum? ab vtro nostrum est pactio violata? Non tamen me interficies: Quis te non irrideat, & planè exibilet: an ita cares communi-

Contra Antichristos seu ingratos.

Ingratitudo.

2. Reg. 15.

3. Reg. 11.
2. Para. 24.

4. Reg. 11.
Gene. 31.
2. Reg. 10.

Esai. 1.

muni sensu, vt existimes tuas istas aniles nugas non esse dignas quæ exagitentur? Durum sanè fuerit tuis fratribus contra stimulum calcitrare. Tu ille, quem nō timor Domini ad improbanda decreta Ecclesiastica induxit, sed peruersitas animi ac peruicacia, qua studuit totam eneruare Ecclesiasticā disciplinā, & licētiosam inducere facultatem viuendi secundum carnem & sanguinem, amotis eis repagulis & retinaculis, quæ desiderijs carnis obstaculum præbent. In quo neque legum metus, neque ratio, neq; iurisiurandi relligio (lingua quidem iurauit, inquit Euripides, sed iniuriata mens) & æquitas vlla: nec inferni cruciatus perpetui, nec numinis vllius reuerentia, & metus: Neque ætatis pudor.

Virgil. Æneid. 4.

Nec tibi diua parens, generis nec Dardanus autor
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens.

Quod si Medeæ Colchidis instar, mactassem, pœnam non negarem fugeremq; condignam: Sed nunc quando proprijs factis talia damur, nequeo non flere immeritum malum, quę neque furibūdæ Althęę, neque impiæ Heristillæ vnquam adhæsi. Quapropter charissimi filioli, Sectariorum à me matre recessus non vos permoueant, Sors mea Dominus est: in hoc sum vt custodiam verba sua. Quamuis similis esset cutis mea vtri fumo in rugas contracto, mandatorum tamen suorum (sponsi mei) nunquam oblitus fui, nec promissis vnquam diffidam. Vultum suum deprecor ex toto corde, vt misereatur iuxta sermonem suum. Ergo dilecti mi, charissimos meos respice: Ecce orphani sunt, ridentur, flagellātur tota die, cohæredes tui sunt. Penetret vsque in conspectum tuum gemitus eorum, qui tenentur captiui in carcere, magnitudine potētiæ brachij tui in vita conserua eos, qui morti destinantur ab hostibus tuis. Tu sponse mi, illorum vulnera portasti, sauciatus es pro ipsis: verùm, Ba hæburatho nirpalanu, hoc est, eius plagis nobis medela & salus cōtigit, Esai. 53. Eius liuore sanati sumus. Posuisti animam tuam (inquit Ambrosius de fide, lib: 2. cap. 1.) vt nostram leuares. Ligatus es vt solueres mundi ruentis complices, per probra tergens crimina, quæ mundus auxit plurima: Pro illis supplico misericors Deus, Domine exercituū: Reuertere obsecro, respice de cælis, & vide, & visita præparaque vineam tuam, quam plantauit dextera tua: Ne quando dicant gentes vbi est Deus eorum? vtere quæso solita benignitate tua ergo Sion, vt extruas muros Hierusalem. Tu semper spes mea fuisti, & instar turris munitissimæ contra hosteis meos acerrimos: Ecce dilecte mi, inter cælestes orbes nullum est dissidium, elementa quæq; suis funguntur muneribus: Et sponsam tuam in cuius gratiam condita

Rom. 8. — Psal. 79. — Psal. 5o.

condita sunt vniuersa, fines perpetuo ire pessum? Patieris vt impij spiritus, discordiarum autores, in tua Ecclesia tyrannidem exerceant impune? Patieris illum fortem, quem semel expugnatum deturbasti, rursus occupare tuam Ecclesiam, tuaque casta? tempore tribulationis meæ, te (extremam ancoram, & postremum subsidium) inuoco Domine, nam tu exaudis me. Violenti quidem insurrexerũt in me, & cætus audacium quærunt animas filiorum meorum, neque habẽt te præ oculis suis: Sed quemadmodum in aduersa tempestate, summaque rerum desperatione, nautæ solent sacram iacere ancoram, à clauo nunquam discedentes. Ita ego dispectis omnibus, ad te sponsum amabilem, confugio. Respice misericorditer me, quia mandata tua amaui: Domine pro tua benignitate misereat te mei. Multi sunt qui persequuntur me, & hostes mei numero sunt plurimi. Peruenit precatio mea vsque in conspectum tuum, & quemadmodum promittunt verba tua, è malis eripe me. Sint quæso aures tuæ attentæ ad lamentabiles precationes meas. Eripe me priusquam penitus demergar. Nisi tu Deus, velut ἀπομηχανῆς, huc te ad me contuleris, funditus interij. Tu Domine Deus clemens & misericors (qui tardus es ad irascendum, sed propensus ad ignoscendum) conuertere ad me & miserere mei: da robur ac salutem misero tuo popello: Ecce charissimi mei sunt, quos (filiolos) mihi tradidisti: à te expecto τησσαγίας ἀποκαλύψεως. Fac mecum signum in bonum, vt eo viso pudefiant osores mei, quod tu Domine auxilium & consolationem tuleris mihi. Defatigatus sum fletu lamentabili, lectum meum laui singulis noctibus, & lachrymis meis cubile meum humectaui: Sed tu quod promisisti sponsæ prestabis. Cognosce & vide, quod nihil mali molior, nihil præuaricationis, nihil in te peccaui ego, semper in corde meo abscondi eloquia tua: Ipsi verò aduersarij mei, venantur animam, vt tollant eam, claudicauerunt à semitis tuis: Venerunt in hæreditatem tuam, polluerunt sanctum templum tuum, posuerũt morticina seruorum tuorum, escas volatilibus cæli, carnes sanctorum tuorum bestijs terræ: Sed tu iudica inter me & illos. Et quare, dilecte mi, sic me persequeris? Lamahazautani? Deus Deus meus cur deseruisti me? Vsquequo Domine Deus ira tua desæuiet in oues pascui tui? Hoccine premij pro meo officio & sedulitate reporto? Itáne nihil (apostatici) meministis? Appello eum, qui summa sceptra concutit, à quo potestas iudicandi, etiã malis conceditur potentibus: is corda nouit, & scrutatur viscera, erroribusque nullis est obnoxius: is vindicans iustam feret sententiã. Quid ego designaui pie IESV? Quid verò mali est in manu mea? Num perpetuò nobis irasceris?

Esai.14. Psal.86. Psal.17. Psal.44.

ἐξεγέρθητι,

ἐξεγέρθητι, ἵνα τί ὑπνοῖς κύριε, ἀνάστηθι καὶ μὴ ἀπώσῃς εἰς τέλος. Id eſt, exurge quare
obdormis Domine, & ne repellas in finem, Pſal. 43. Fremuerunt gē-
tes, & populi meditati ſunt inania: Concurſarunt reges terræ, & prin
cipes in vnum ſturnatim glomerantur, aduerſus ſponſam & popu-
lum eius. Quamuis nulla re læſi ſint à me ſpurij, tamen currunt vt
noceant mihi, & ſummo ſtudio conātur perdere me, Pſal. 59. vt me
indemnatam ac inauditam interficiant. Diuiſerunt ſibi mea veſtimē
Pſal. 119. ta, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem, Matth. 27. Acuerunt lin
Pſal. 21. guas ſuas ſicut ſerpentes, venenum aſpidum ſub labijs eorum. Lo-
Pſal. 108. cuti ſunt aduerſum me lingua doloſa, & ſermonibus odij circunde-
derunt me. Et poſuerunt aduerſum me mala pro bonis, & odiū pro
dilectione mea. Rete expanderunt pedibus meis, tantum non fui ir-
retitus: foderunt foueam in via per quam iturus eram, ſed ipſi cor-
ruerunt in eandem illam, quam foderant in perniciem meam: Sed
tu pie IESV, λύχνος τοῖς ποσί μου, & lux ad iter meum, iuraui, idq; con-
ſtanter pſtabo, vt cuſtodiā iuditia iuſtitiæ tuæ. Adieci animum meū
decretis tuis, & exequar illa in finē vſq;, & adeò æternū. Fuiſti enim
ſemp ſpes mea domine Deus, & fiducia mea ab ipſa infantia vſq; in æ-
tatē hāc, ideoq; à iudicijs tuis non receſſi, qui ſemp docueras me. Ag-
grediuntur nos inimici noſtri copia iniuriarum & iniuſtitia, vt me
funditus deleant, conculcare inquam, me hoſtes mei conantur omni
tempore, qui & plurimi ſunt, & animo hoſtili perſequuntur me, ô Al
Pſal. 56. tiſſime. Sed tu Archidoctor dilecte, illos in conſpectu meo conficies.
Fac illis ſicut Madian & Syſare, ſicut Iabin in torrente Cyſon. Pone
principes eorū, ſicut Oreb Zeb & Zebee & Salmana: Fiāt ſicut fœ
num tectorū, quod priuſquā euellatur exaruit. Similes fiant lima-
Pſal. 58. ci, quæ inter rependum colliqueſcit, & abortiuo, vel talpæ, quæ non
videt ſolē. Diffluant ſicut aquę natura labiles, ſagittę quas iaculanť
inter volandū confringantur. Palatia eorū fiant deſerta, & in taber-
Pſal. 69. naculis eorū, nō ſit quiſquā qui inhabitet. Effūde in eos indignationē
tuā, & vehemēti cū ira apprehēde illos. Et ſicut ſine negocio diſpergi
tur à vento fumus. Ita diſperges illos tu, & ſicut liquefit cęra igni ad-
hibita, ſic impij pereant. Præcipita illos in puteū interitus, vt imple
atur id quod ſcriptū eſt. Viri ſanguinarij & fraudulenti nō peruenīēt
Pſal. 55. ad dimidiū vitæ. Cōtudiſti olim ſumme Deus (cuius ꝓpriū eſt miſe-
reſcere ſemp) Amalechitas, cōtriuiſti Moabitas, cōfregiſti Ammoni
tas, deleſti Edomitas forti manu, atq; brachio extēto tuo: Ah contūde
nūc eadē ira & cōtere, & cōfringe, & dele inimicos Chriſticydas: Per-
de illos Deus, irrita ſint cōſilia eorū, ꝓpter multitudinē ſcelerū, ſub-
uerte illos, comminue dentes eorum intra os eorum, dentes mola-
res eorum quibus leonum catulis ſimiles ſunt, confringe Domine,
Eui-

Euigila quousque stertere videberis? Expergiscere, ne perpetuo neglecturus videaris nos. Quousque feres, ó Deus, contumeliosum in te aduersariũ & inimicũ blasphemũ in maiestatem nominis, perpetuóne? Quare contrahis vtrãq; manũ sinistram & dextrã tuã, instar hominis ociosi? Profer quæso tandem eam è sinu tuo, & perde hos impios conatus in te funditus: Eritne hæc iniquitas impunita illis, qui mihi ita omnes sensus expectorant? Quousq; tandem obliuisceris mei, perpetuóne domine? Exardescet ne quemad. ignis solet furor tuus? quousq; auertis tanquam iratus vultum tuum à me? quousque sines inimicum meum erigere cristas aduersum me? Qua tandẽ frõte me studebitis contumelia afficere Christicydæ, idq; frustra? quod enim tentatis nunquam succedet vobis. PERSEVERATE ergo charissimi, in vestigijs patrum vestrorum, nolite lectisternia propria defœdare: Proprio enim ligone seipsum percutere, vinetaq; sua cædere, ac in factã à se foueam decidere, quàm imprudẽs incautũq; sit, vel lippis atq; tonsoribus notum est. Iactent in nos aduersarij contumelias, nos illis meliora præcamur, diligere illos qui nos oderunt, virtutis opus est & diuinum: diligentes diligere, humanũ & vulgare. Cæterùm odisse etiam diligentes, ne belluis quidem conuenit. Nos, nos inquam, causæ confidimus, causam iustissimam tuemur, in qua non dubitamus quicquam subesse fraudis. Ne terreamini. Nam pro nostra parte scripturæ sanctæ gladios vibrant, stant in acie sacri patrum commentarij. Canones & concilia pro nobis dimicant, Apostolicæ traditiones aperte decertant, patrocinatur demum pía in S. R. E. & diuturna cõsuetudo. Apostatici verò cõtra, pro suo sensu aut scripturas inuertunt, aut inficiantur, sacros interpretes contemnunt, canones & cõcilia damnant, traditiones spernunt apostolicas, diuturnas piorum consuetudines pro nihilo ducunt. A terrore eorum ne formidetis, fremant reges atq; populi quantum volent: qui cęlos inhabitat deridebit eos. Vobis interim sic viuendum est, vt si fractus illabatur orbis, impauidos feriant ruinę: datum quidem est illis vincere, sed ad tempus: Persequutus est te (inquit Dominus) inimicus tuus, sed cito videbis perditionem ipsius, & super ceruices ipsius ascendes. Si Deus pro nobis quis contra nos? Si ille sustinet, quis deijciet? Neque animo frangamini, Labeone enim Oresteq; insaniores sunt: Quod non debent, agunt: Quod non volunt, adinueniunt. Qui ergo se illis coniungit, diaboli viscario intricatur, in sinu ignẽ, & aurum Tholosanum defert, hamum deuorat: Quin potius Dominum exercituum ipsum sanctificate: is sit timor vester, pauor vester. Caue te spermologos (clamosas illas scraptias) solam fidem identidem iu- Baruch. 4.

stifisicare, blaterantes: Hæc enim quàm sufficiant, satis comperitum habetis. Is ergo S.R.E. consensus communis, sit vobis (charissimi) stupa & cera cōtra Seirenas (tres fuisse filias Acheoloi fingūt Poetæ) seu illarū blanditias atq; scopulos: circumueniunt vos certè certe lubrici Epicurei mille mæandris. Atq; vt tandem (filioli) cōcludam Estote fideles vsq; ad mortē, & habebitis à sponso meo coronā vitæ: quia non est deficientia timentibus nomen eius, Psal. 34. Baiom hasliśli iekimenu, venthic lephanaf, hoc est, in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius. Ego verò (tua ECCLESIA) cantabo benignitatem tuā summo mane, fortitudinem tuam cum exultatione, fuisti enim protectio mihi, & refugium quo tempore periclitabar inter hostes meos. Nunquam non pro tua benignitate memor fuisti mei, quare & nunc facies bene, facies inquam bene populo Israeli, facies & bene familiæ Aaron. Ego verò quid retribuam sponso meo, cuius tam varia extāt in me redemptionis beneficia? poculum gratiarum actionis in altum sustollam, & auxilium dilectissimi sponsi mei implorare non desinam. Multo est melius spem suam collocare in Domino, quàm fidere cuiuis hominū. Etiamsi varię gentes circundederint me, nihil sollicitus ero, fretus enim auxilio Domini, facile perdā omnes. Cingant me & diligentisimè circundent, nihil tamen metuam, perdam omnes, nullo negocio illos subuertam.

Apoca. 2. Osee 6. Psal. 108. Psal. 15.

Sapphicon. B. Ex Psalmo 30.

Spem tuam firmam posui paterna
In manu, mundi dominator. Hinc fit,
Quod pudoris non faciem rubore
Conscio muta.
Aequitas me nunc tua liberato
His malis pressam, miseraq; pronas
Prebeas aures, celera iuuamen
Eripe dextra.
Tuq; protector meus, atq; tutum
Sis fuga asylum trepida timore,
Tu feras promptam misera salutem,
Confugium tu.
Tu meum robur, reducem beatam
Fac tuum propter precor alme nomen
Gratia larga foueas misellam,
Rector Olympi.
Libera me nunc dominator alte
Omnibus technis, laqueis dolisq;
Quos malignantes posuere mihi,
Protege dextra.
Christe ô pastor, Deus Israelis,

Pelle

Pelle labruscas, madefac sacrato,
Et tuum regnum sinito venire,
Germina rore.
In tuas palmas animam dolore,
Territam, mando domine & redemptor,
Tu deus veri, reijcisq; longè,
Pectora vana.

FINIS PARACLESEOS.

ORATIO PIORVM AD S.R.E. Prodromum.

FEr igitur opem Christe, qua defendamur ab improborum matricidarum morsibus: habe quæso rationem calamitatis nostræ, & exaudi nos domine Deus. Nos certe in tua benignitate posuimus omnem spem nostram, quare nihil dubitamus, quin futurum sit, vt gaudeat cor nostrum ob salutem nobis abs te allatam, & materiam habituri simus cantandi laudes sponsi, vbi vltus fueris iniuriam, qua affecerunt nos hostes tui verbi. Te nitimur pie IESV, & in nomine tuo, non erit nobis formidabilis ἀπολλύων & infernalis Harmagedon. Exterminator & scismaticus: cum scriptum sit, ἡ ἐκκλησία τοῦ κυρίου μένει εἰς τὸν αἰῶνα. Quid verò timebimus, qui propiciatorem habemus Deum? ignominiam? at summa est gloria pro Christo & sua Ecclesia ignominiam pati. Paupertatem? at opum sarcinam lubens abijcit, quisquis ad Christon properat. Mortem? at ea maxime in votis est, per quam scimus ad immortalem vitam esse transmutandos. Ergo Domine, Excita potentiam tuam & veni, & quod Ecclesiæ tuæ promisisti, vsque in finem seculi clementer operare. Da pastoribus, quibus tuas vices delegare dignatus es, prophetiæ donum, vt arcanas scripturas, ex tuo afflatu interpretentur. Da charitatē triplicē, quā à B. Petro stipulatus es ouiū curā illi demādaturus: Laua quod est sordidū, riga quod est aridū, sana quod est sauciū: Flecte quod est rigidū, foue quod est lāguidū, rege quod est deuiū. Da principibus tui timorē, vt sic Rēpublicā administrēt, tanq̄ breui tibi regū regi rationē de singulis reddituri: Da throno tuo semper assistentem sapientiam, vt quid sit optimum factu perspiciant animo, factisq; persequātur. Da sacerdotibus tuis sobrietatis & castitatis amorem. Da misero tuo popello bonam voluntatem obtemperandi præceptis tuis, ac promptitudinem obsequendi ijs per quos iuxta tuum animum voluisti res administrari humanas: Da tuis fidelibus, in te confidentibus, sacrum septenarium. Da gaudiorum premia, da gratiarum munera, dissolue litis vincula, astringe pacis fœdera. Da uirtutis meri-

Apoca. 9.
1. Cor. 10.

tum, da salutis exitum, da perenne gaudium. Hoc fac fili Dei, & citissime, fiat, fiat: Dicat omnis Ecclesia, Δόξα πατρὶ καὶ υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι. ὡσ ἦρ ἐν ἀρχῇ καὶ νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰσ τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ieamen.

Ad zoilum.

Liuide pone tuum tandem exitiale venenum,
Non alium ledis te furor ipse necat.
Sed quis liuidulo tentabit perdere morsu,
Fortia quem diuæ Palladis arma tegunt?

Τῷ Θεῷ δόξα.



INDEX ALPHABETICVS RERVM ET locorum maxime insignium.

Euge-

O.

P.

Q.

R.

S.

FINIS.





